

**OPERA**  
**LITURGICA.**

# COLLECTIO

DECRETORUM AUTHENTICORUM

SACRÆ

## RITUUM CONGREGATIONIS,

CUM NOTIS;

STUDIO ET OPERA

R. D. TOSSANI-JOSEPHI ROMSÉE,

PRESBYTERI, ET QUONDAM SACRORUM RITUUM IN SEMINARIO LEODIENSI  
PROFESSORIS.

EDITIO NOVA

A Sacræ Theologiæ Professore accuratè revisa, necnon vitâ Auctoris  
variisque notis illustrata.

---

**Tomus Quintus.**

---



MECHLINÆ.

P. J. HANICQ, TYPOGR. ARCHIEP. MECHL.

CUM APPROBATIONE. — 1838.

COLLECTIO

DECRETORUM AUTHENTICORUM

ALPHABETICIS

RITUM CONGRUATIONIS

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.



1994/993

CAA 052

-5



## LECTOR BENEVOLE,

*Sacra rituum Congregatio à Sixto V Pontifice fuit instituta, tuncque temporis quinque tantum cardinales illud tribunal componebant: at hodie præter cardinales, quorum numerus jam pendet ab arbitrio Papæ, interveniunt huic Congregationi plures prælati, quorum unus est secretarius, ac etiam aliqui religiosi theologiæ professores, et præ cæteris magister sacri palatii, ac sacrista, necnon unus, aut plures magistri cæremoniarum Papæ.*

*Porro finis primarius institutæ hujus Congregationis est, ut omnia in divinis officiis, Sacramentorum administratione, atque Dei cultu religiosè paragentur, nihilque indecens in ritibus sacris et cæremoniis occurrat. Insuper ad illud tribunal spectat supremum judicium de difficultatibus et dubiis in sacra liturgia obvenientibus.*

*Præterea, ex eadem constitutione Sixtina, ei incumbit opus canonizationis Sanctorum; sed praxi hodierna, juxta cardinalem de Luca ob rei gravitatem, membris hujus Congregationis adjunguntur alii prælati, nempe promotor fidei, tres seniores rotæ auditores, unus è protonotariis participantibus, adhibenturque alii theologi qui consultores dicuntur, imò in consilium, medici et philosophi ad judican-*

dum; an prodigia, quæ Sanctis tribuuntur, naturæ ordinem excedant.

His positis circa naturam et functiones hujus tribunalis, cum ab illius ortu innumeræ decisiones et decreta prodierint, quæ totidem sunt leges servandæ à clericis in celebratione missæ et officii divini, quæque ad notitiam multorum hactenus non pervenerunt; ad satisfaciendum votis eorum, qui instrui cupiunt iis quæ Dei sunt et sacri ministerii, animo duximus sacræ rituum Congregationis decretorum corpus seriemque contexere, additâ brevi, cum opus fuerit, elucidatione. Ita sacrarum cæremoniarum studiosi poterunt, in muniis ecclesiasticis, tutam agendi normam depromere. Accedit index rerum accuratè elaboratus, cujus ope faciliùs quærentibus occurrant.

Cum in decretis sacræ rituum Congregationis non rarò fiat remissio ad rubricas generales tum missalis tum breviarii, quas in promptu non omnes habent, utile judicavi fore, si ad calcem hujus tomi insererentur, ut ita in eodem libro omnia hanc rem spectantia reperiantur.

# SERIES

DECRETORUM PRÆCIPUORUM

SACRÆ

## RITUUM CONGREGATIONIS,

CUM NOTIS.

---

1. EPISCOPUS *non potest cogere Regulares, ut faciant commemorationem ipsius in ultima collecta.* S. R. C. 10 Junii 1602. Aliud est de sæcularibus sibi subditis.

2. *Consuetudo immemorabilis, ut præter diaconum et subdiaconum canonico celebranti solemniter, assistat unus capellanus cum pluviali, servanda est.* S. R. C. 10. Junii 1602. *Solemniter*; adeòque privatim celebranti nulla ei dari potest assistentia, sed ut simplex sacerdos missam celebrare tenetur. Idem omninò dicendum de dignitatibus et canonicis ecclesiæ cathedralis; hi enim in missis privatis tenentur se gerere, ut simplices sacerdotes, ferendo calicem ad altare propriis manibus, et inde reportando in sacristiam; unus tantum minister adesse debet, qui ipsis inserviat; sub eorum missa duo tantum cerei accendi possunt: solùm ipsi

indulget S. R. C. sub data 20 Martii 1706 aliquid quoad paramenta et locum se parandi; hoc est, quòd induere valeant vestes pretiosiores suis usibus reservatas, et illas assumere in sacristia particulari.

3. *Usus semel introductus juxta regulas libri cæremonialis servandus est, et pax cum osculo omnibus viris ecclesiasticis in choro sedentibus danda est.* S. R. C. 8 Julii 1602. 1.<sup>o</sup> Dicitur *juxta regulas lib. cær.*, quia usus et consuetudines contra dictum cær., rituale Romanum et rubricas tum missalis tum breviarii, omninò corrigi debent. 2.<sup>o</sup> Dicitur *in choro sedentibus*, id est, iis qui habent jus sedendi in choro, seu in eo stallum; nam pax semper danda est stantibus, et non sedentibus; cær. episc. lib. 1. c. 24. n.<sup>o</sup> 7. Dicitur 3.<sup>o</sup> *Omnibus viris ecclesiasticis cum osculo*, genis leviter se physicè tangentibus juxta aliquos; juxta alios verò quasi cum osculo, approximando tantùm genam sinistram sinistræ alterius. Hic modus est communior, et decentior videtur: porrò pax cum dicto osculo solis clericis est exhibenda; laicis enim utriusque sexûs, quantumvis nobilibus, dari debet cum instrumento, in quo recondita sit aliqua sancta reliquia, quæque præbetur ipsis osculanda à presbytero assistente, si adsit, aliàs, à subdiacono, qui illud osculatur, et deindè, absque ulla inclinatione, tradit osculandum dicens: *pax tecum*. Pariter in missa plana, seu privata, quæ celebratur coram episcopo, pax illi solet dari cum instrumento; idque fit per ejus sacellanum, qui illud accipit à celebrante. Cær. episc. l. 1. c. 24 et 50.

4. *In regno Castellæ et Legionis servandum est cær. episc. etiam in processionibus generalibus; ita ut fratres, seu monachi, vel ordines regulares antecedant, et presbyteri, seu clerici sæculares subsequantur et ultimum locum detineant, nec mixtim cum regularibus incedant: superiores verò regularium numerum debitum, decentem, et consuetum fratrum ad easdem processiones mittant. S. R. C. 50 Aug. 1602. In regno Castellæ et alibi, ubi viget usus Romanus. Regulares præcedant: adeòque incedere debent post confraternitates laicorum, nisi usu et consuetudine debeant eas præcedere. Postea sequuntur curiales, seu officiales; deindè clerus, præcedente cruce cathedralis ecclesiæ ordine seq.: 1.º Decreto S. R. C. 1 Sept. 1607. Clerici seminarii. 2.º Curati ecclesiarum parochiarum cum cottis sine stola. 3.º Collegiatæ cum suis insignibus, quæ etiam in die corporis Christi permittuntur, si aliàs illa deferre soleant. Tandem clerus ecclesiæ cathedralis: ita *Talu* scribens in hoc decreto.*

5. *Baldachini hastæ in ecclesia deferendæ sunt, ut dicitur in cær. episc. S. R. C. 50 Augusti 1602.* Porrò dictum cærem. assignat digniori primam hastam, quæ est ante episcopi dexteram, deindè secundo in dignitate alteram hastam, quæ prima est ante episcopi sinistram; tum tertio in dignitate aliam, quæ immediatè est sub prima ad dexteram episcopi, et sic successivè.

6. *Tertiarii S. Francisci degentes in sæculo, qui fuerint de gremio alicujus ecclesiæ, et illius choro obligati, debent recitare officia particularia illius ecclesiæ; secus autem, si sint de gremio, et nullatenùs choro inservire debuerint. S. R. C. 28 Sept.*



1602. Per officia autem particularia non solum intelliguntur officia solemnia patroni, dedicationis ecclesiae etc., sed et omnia alia officia ecclesiae illius propria.

7. *Canonici debent cantare altâ voce, et episcopus potest eos hortari ad id faciendum.* S. R. C. 23 Nov.

1602. *Potest eos hortari*, quia supponuntur exempti; si enim essent subjecti illius jurisdictioni, non tantum posset eos hortari, sed eos cogere ad replendum hoc munus ipsis essenziale. Super quo videri possunt constitutio S. Pii V, quae incipit *Ex proximo*, Benedicti XIV, quae incipit *Dilecte fili*, conc. Trid. sess. 24. c. 12. de reform. et plures decisiones S. C. cardinalium, ubi uniformiter hæc obligatio ipsis declaratur et ampliat sub pœna non faciendi fructus suos.

8. *Genuflectendum est semper ab omnibus trans-euntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt processiones per ecclesiam; et contraria consuetudo declaratur abusus.* S. R. C. 14 Dec. 1602. *Genuflectendum est*, duobus scilicet genibus cum profunda capitis inclinatione, saltem in actuali transitu SS. Sacramenti. Ab hac lege excipitur crucifer à cær. episc. Perindè est autem, si SS. deferatur patens in ostensorio, vel inclusum in pyxide, aut in calice velatum, ut feria V. in coena Domini; in his enim omnibus casibus trans-euntes vel celebrantes se gerere debent eodem modo, ac si Sacramentum esset patenter expositum. Idem dic coram ostensorio in altari velato, prout declaravit eadem S. C. 22. Decembris 1753.

9. *Assistentes episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, et ante dignitates sunt thurificandi.* S. R. C. 23 Maii 1603.

10. *Officium anniversarium, vel septenarium, vel trigenarium defunctorum post obitum, si cadat in die dominico vel festivo, transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. S. R. C. 23 Maii 1603. Si cadat in die dominico vel festivo, adde vel si occurrat cum officio primæ aut secundæ classis. Transfertur in diem sequentem, vel melius in immediatè præcedentem, licèt in eo occurrat duplex majus. Cum eadem solemnitate. Id est, cum una tantùm oratione, et prosa Dies iræ, et absque ulla mutatione in orationibus missæ anniversarii. Hæc autem translatio fieri debet de præcepto, prout declaravit S. R. C. 22 Decembris 1753. Porrò hæc regula pro anniversariis non currit pro aliis missis, v. g. quotidianis, quæ per annum celebrantur; equidem si dies permittat, legendæ sunt de *requiem*: quia in his missis orationes et plura alia adaptantur defunctis; ast si dies non permittat missas votivas, satisfit per missam diei, applicando fructum illius mortuis: ita S. R. C. 2 Septembris 1741.*

11. *Assistentiæ ratio non habetur in receptione cinerum, candelarum et palmarum, sed quilibet debet accedere secundum prærogativam sui ordinis. S. R. C. 23 Maii 1603. Hoc decretum valet tantùm pro ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus viget cær. episc.; in illis igitur diaconi et alii ministrantes nullâ gaudent quâ tales præferentiâ in receptione cinerum, etc. Sed cùm ecclesiæ parochiales regulentur rubricis missalis Romani, ministri parati immediatè post digniorem à quo celebrans recepit cineres, etc. debent illos recipere ante alios.*

12. *Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie vesperi in festo omnium Sanctorum, sed recitari manè die secunda Novembris post Laudes diei.* S. R. C. 25 Maii 1605. Hoc decreto tantùm prohibetur, ne in choro publicè cantetur pridie secundæ Novembris : quare privatim matutinum cum laudibus post medium horæ tertiæ recitari potest. Imò decreto posteriore ejusdem S. C. sub data 4 Septembris 1745 permittitur, suppositâ consuetudine illud cantandi pridie, ut populi commodiùs et frequentius illi interesse possint, illam retineri posse. Solùm foret optandum, ut sonitui campanarum lugubri, quo magna solemnitas omnium Sanctorum vertitur in luctum, et qui in nonnullis pagis in multam noctem protrahitur, modus imponeretur.

13. *Oratio quæ dicitur in festo sanctorum Fabiani et Sebastiani non est alteranda; ita ut de S. Sebastiano tantùm recitetur etiam in propria ecclesia eidem dedicata.* S. R. C. 6 Sept. 1605. Ubi S. Sebastianus est patronus, fit de eo sub ritu primæ classis cum octava, translato officio S. Fabiani : porrò retinenda est in officio S. Sebastiani oratio *infirmi*tem, quamvis ia breviario assignetur solis martyribus Pontificibus, eam tamen ponendo in singulari (\*). In officio autem S. Fabiani, dum separatur à socio in eadem oratione videtur addendum martyris tui *atque Pontificis* : quia hæc verba sunt dempta in oratione communi utriusque, ut sit vera respectu utriusque. Interim dum unus ex illis est patronus tantùm secundarius, festum utriusque simul ce-

(\*) Consule decretum 2 Maii 1801.

lebratur, uti in breviario : ita S. R. C. 12 Novembris 1698.

14. *Consuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur cruci feriâ sextâ Parasceves, dentur magistris cæremoniarum, servanda est.* S. R. C. 29 Nov. 1605.

15. *Episcopus non debet in ecclesia salutare canonicos aperiendo caput, sed benedicendo manu.* S. R. C. 10 Jan. 1604. *Benedicendo manu : hoc decretum etiam locum habet, dum in Matutinis cantatâ lectione, canonicus caput episcopo inclinat, hic tantum manu, seu signo crucis ei benedicit : hoc tamen non observatur in officio defunctorum, quia episcopus sedet sub lectionibus officii.* Cær. episc. lib. 2. c. 10. *Idem die in Matutinis tenebrarum.*

16. *Commemoratio S. Mariæ in suffragiis Sanctorum debet fieri in ecclesiis eidem dicatis, etiamsi officium ejus parvum in choro recitatum fuerit.* S. R. C. 10 Januarii 1604.

17. *Dignitates, quæ habent præbendas cum onere cantandi evangelium seu epistolam, non tenentur ministrare inferioribus.* S. R. C. 16 Januarii 1604. *Inferioribus, seu hebdomadariis celebrantibus pro canonicis.*

18. *In ecclesia collegiata exempta, præsentate uno canonico cathedralis cum episcopo, et abbate collegiatae ejusdem cum suis canonicis, prius incensetur canonicus, quàm abbas.* S. R. C. 7 Februarii 1604.

19. *Episcopo suffraganeo tenentur canonici assistere, quando nomine proprii episcopi functiones episcopales exercet.* S. R. C. 21 Februarii 1604.

20. *Una clavis reliquiarum sanctorum patronorum concedi potest magistratui sæculari ejusdem civitatis.* S. R. C. 8 Maii 1604.

21. *Episcopus potest habere fenestram ex domo respicientem in ecclesia.* S. R. C. 19 Junii 1604.

22. *Clerus ecclesiæ cathedralis unitus ultimo loco incedere debet in processionibus, neque clericus, vel canonici aliarum ecclesiarum cum dicto clero cathedralis incedere debent.* S. R. C. 21 Augusti 1604.

23. *Potest episcopus ex causa necessitatis, olea sacra conficere cum minori numero ministrorum, quàm præscribitur in libro pontificali.* S. R. C. 21 Augusti 1604. In conc. Rothomagensi anno 1572, duodecim sacerdotes requiruntur tanquàm cooperatores juxta aliquos; juxta alios verò, ut testes solummodò, sed verosimiliùs adsunt sub utroque titulo; ut confectores hujus benedictionis cum episcopo, simul et ut testes hujus cæremoniæ: eundem numerum sacerdotum requirit Pont. Rom. et præterea septem diaconos septemque subdiaconos cum vestibus suo ordini convenientibus albi coloris: porrò præsentè decreto huic legi derogatur, modò adsit justa ratio.

24. *Cæremoniale episcoporum non tollit immemorabiles et laudabiles ecclesiarum consuetudines.* S. R. C. 11 Junii 1605. *Immemorabiles et laudabiles; modò non adversentur cær. episc., rituali Rom. et rubricis missalis: in hoc enim supposito laudabiles censi nequeunt; adeòque reformari debent.* Vide n. 5.

25. *Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam, non sunt recitandæ inter missarum solemnia, ne missæ sacrificium interrumpatur.* S. R. C. 11 Junii 1605. Ita nec quævis aliæ, sivè pro vivis, sivè pro defunctis; sed post missam.

26. *Commemoratio omnium fidelium defunctorum non est celebranda in die dominico, sed transferri*

*debet in feriam ij. sequentem. S. R. C. 24 Septembris 1605. In feriam ij. sequentem, licèt duplex minus occurrat, missæque omnes de requiem sunt celebrandæ.*

27. *Canonicus vel dignitas factus episcopus cum retentione canonicatûs vel dignitatis, debet præcedere omnibus dignitatibus et canonicis, etiam ipso antiquioribus. S. R. C. 24 Septembris 1605.*

28. *Consuetudo immemorabilis aliquibus in locis, ut campanæ in salutatione angelica non pulsantur ante pulsationem in ecclesia matrice, servanda est. S. R. C. 24 Sept. 1605.*

29. *Abbas semel benedictus cum usu birreti, si transferatur ad aliam abbatiam cum usu mitræ, non indiget aliâ benedictione, sed potest per seipsum mitram capere. S. R. C. 25 Febr. 1606.*

30. *Capellanus confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia episcopi processiones facere. S. R. C. 4 Martii 1606.*

31. *Eucharistia non est singulis diebus exponenda, sed in quibusdam tantùm solemnitatibus. S. R. C. 4. Martii 1606. Hæ solemnitates regulariter sunt preces 40 horarum, et octava corporis Christi; ita ut in multis locis non permittatur expositio patentis Sacramenti extra hos dies; optandumque foret, ad majorem tanti Sacramenti reverentiam, ut ubique idem servaretur; saltem, ut extra solemnitates primi ordinis, ut Paschatis, Pentecostes, etc. non exponeretur Eucharistia patens in ostensorio, sed latens in ciborio. Hæc super re videri possunt decisio S. C. conc. Trid. apud Benedictum XIV, tom. 1. inst. 30. et constitutio Clem. XI, quæ incipit *Essendo*.*

52. *Assistentia duarum dignitatum vel duorum canonicorum, episcopo loci ordinario tantummodò convenit. S. R. C. 9 Maii 1606. Adde et episcopo suffraganeo, quandò nomine proprii episcopi functiones episcopales exercet. Vide antè num. 49. Hoc autem privilegium nulli alteri debetur quamvis sedis apostolicæ legato. Cær. episc. lib. 1. cap. 55. in fine.*

53. *Positâ præbendarum distinctione in presbyterales, diaconales et subdiaconales, qui de novo obtinuerit presbyteralem, præcedere debet habentes diaconales. S. R. C. 17 Junii 1606.*

54. *Benedictio ac distributio candelarum ac palmarum regulariter potest fieri in omnibus ecclesiis tam collegiatis quàm parochialibus, tam sæcularibus quàm regularibus. S. R. C. 28 Aprilis 1607.*

55. *Chorus universus ad Primam et Completorium debet replicare misereatur et confiteor. S. R. C. 19 Maii 1607.*

56. *Debentur assistentia episcopo, quandò facit ordinationes in missa solemni; si verò ipsas in missa privata, vel alias functiones episcopales in pontificalibus facit, saltem duo canonici assistant præter archidiaconum, qui vocare debet ordinandos. S. R. C. 19 Maii 1607. Intellige quandò celebrat per civitatem, non verò per diocesim, quoad canonicorum assistentiam; archidiaconus autem, non quidem vocare debet ordinandos, exprimendo nomina singulorum, quod spectat ad notarium, sed per hæc verba: *accedant qui ordinandi sunt.**

57. *Gloria in excelsis Deo dicitur in missis votivis S. Mariæ, tam in sabbatis feriarum, quàm in sabbatis adventûs, licèt ipsâ die officium non fiat de beata Virgine. S. R. C. 19 Maii 1607. Id est, quòd*

hymnus angelicus poni debeat in omnibus missis votivis B. M. V. quæ per totum annum celebrantur in sabbato, tam privatis, quàm cantatis; aliis verò diebus hebdomadæ semper omitti debet.

38. *Ubi adest consuetudo recitandi Matutinum mediâ nocte à clero sæculari; potest dimitti et mutari, ut recitetur albescente die, ex justa causa.* S. R. C. 21 Junii 1607. *A clero sæculari;* cùm enim canonici non ampliùs, ut olim, habitent sub eodem tecto, distantia ab ecclesia, et pericula noctis possent interdùm in nonnullis procreare legitimam causam absentiaè è precibus nocturnis; indèque Ecclesia, ut unusquisque obligationem adèò strictam possit replere, permittit Matutinum ab ipsis sub aurora posse cantari. Hoc autem indultum non currit pro monachis et religiosis, qui domo exire non debent ut officio intersint; adèoque consuetudinem cantandi hoc officium mediâ nocte absque gravi prævaricatione non possunt immutare; pariter nec aliorum officiorum; sed statutis et consuetudinibus sui ordinis firmiter stare tenentur.

39. *Defunctorum missæ non sunt cantandæ, nec celebrandæ diebus solemnibus.* S. R. C. 23 Junii 1607. Etiam corpore præsentè missa exequialis cantari nequit in festis primæ classis, quæ à populo observantur, demptis tamen feriis secundis et tertiis Paschæ et Pentecostes, in quibus cantari potest missa unica solennis de *requiem*. Pariter missa exequialis prohibetur triduo ante Pascha: aliis autem diebus, licèt dominicis et festivis, una missa solennis de *requiem* cantari potest, ne corpus sine sacrificio terræ mandetur. Ita S. R. C. 11 Augusti 1756, et 2 Septembris 1741.



Absente verò corpore, exequiæ persolvi nequeunt in dominicis et diebus festivis, sed tantùm in duplicibus licèt majoribus; id est, diebus, in quibus possunt cantari anniversaria. Ita S. R. C. 19 Septemb. 1754. Vide num. 10. Hic notari potest, quòd decretum S. R. C. sub data 7 Maii 1746, prohibens sacerdotibus habentibus officium duplex, ne celebrent missas de *requiem* in ecclesiis ubi fiunt exequiæ, sit reformatum alio recentiore sub data 29 Januarii 1752, quo fit licentia omnibus sacerdotibus tùm sæcularibus tùm regularibus, quodvis officium duplex etiam primæ classis recitantibus, celebrare in exequiis missas de *requiem*, modò in ecclesia, in qua celebrant, tales missæ, v. g. ratione officii semid., sint licitæ.

40. *Antiphonæ feriales ad laudes ante Nativitatem, omitti possunt in festo solemniter celebrato, ut contingit in festo sancti Thomæ, sed antiphonæ majores (scilicet quæ per O incipiunt) etiam in festis solemnioribus dicendæ sunt ad Magnificat.* S. R. C. 17 Novembris 1607.

41. *Simplex reconciliatio ecclesiæ, seu cæmeterii non consecrati, potest committi presbytero in dignitate ecclesiastica constituto.* S. R. C. 9 Feb. 1608. Si verò ecclesia fuerit consecrata, tunc non à simplici sacerdote, sed ab episcopo reconcilianda: *rit. Rom. de bened.* Hæc sunt de jure communi, cui adversatur, juxta *Van Espen*, privilegium factum à sede apostolica vicario apostolico Silvæduicensi, quo fit ei potestas deputandi sacerdotes ad hoc opus, cum aqua tamen ab episcopo benedicta; imò in necessitate cum aqua lustrali communi: hoc indultum invenitur ad calcem

synodorum Silvæducensium, editionis anni 1692, Deindè, juxta eundem, ei adversatur praxis episcoporum Belgii, cui addi potest praxis episcopi Leodiensis, à quo functio illa committitur simplicibus sacerdotibus et à quibus perficitur aquâ lustrali communi, ab episcopo non benedictâ. In gratiam hujus praxis faciunt curæ multæ, quibus obruuntur episcopi in magnis diocesisibus, et quibus impediuntur, ne per se hanc functionem exercent: addique potest quòd silentium sedis apostolicæ circa hanc praxim, sit tacita illius approbatio. Vide tamen decretum n. 24. quod certò valet pro aliis casibus non ita urgentibus.

42. *Missæ conventuales infra octavam corporis Christi possunt, ubi est consuetudo, cantari sine diacono et subdiacono, excepto die festo, ac dominicâ, et die octava.* S. R. C. 15 Martii 1608. Dum autem missa cantatur sine ministris, non debet thurificari neque altare neque chorus, ut habet decretum S. R. C. 19 Augusti 1651. Ex hoc ultimo decreto absoluto et generali, quo sub missa quantumvis solemnè sine ministris thurificatio altaris et chori prohibetur, ne inferas thurificationem ab acolytho sub consecratione talium missarum, et in fine infra benedictionem cum SS. Sacramento esse simul prohibitam.

43. *Usus missalis et breviarii Romani semel introductus in aliqua ecclesia quæ habebat particulare missale et breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui missalis et breviarii.* S. R. C. 15 Martii 1608. Hinc in Ecclesia Leodiensi, ubi ecclesia cathedralis assumpsit ritum Romanum, non ipsi amplius licet redire ad usum priorem.



Hicque meretur observari, quòd religiosus habens breviarium particulare, ad pastoratum promotus, debeat deserere omninò missale, et breviarium sui ordinis, et assumere ea quæ sunt ritus Romani vel Leodiensis, prout unus vel alter viget in loco suæ residentiae; idque ut pastor concordet in celebratione divinorum officiorum cum sacerdotibus suæ ecclesiae adscriptis. Hæc obligatio fundatur in sequenti decreto S. R. C. sub data 11 Junii 1605: *Episcopus regularis debet recitare officium juxta ritum suæ diœcesis, non verò sui ordinis.* Hoc decretum quamvis non reperiatur in registris S. C., tamen ut genuinum admittitur ab auctoribus, et reperitur apud Merati, tom. 2. decretorum, n.º 18. (\*) Hinc mirum est in nonnullis locis tolerari talem abusum, quo quotidie nascitur confusio in celebratione missarum et officiorum, respectu sæcularium eorum ecclesiae adscriptorum.

44. *Diaconus evangelii debet thurificare chorum, nec ab eo munere excusatur sub prætextu contrariæ consuetudinis.* S. R. C. 15 Martii 1608. Sub nomine chori non veniunt acolythi, nec populus; hi enim à thuriferario incensandi; dum autem adest baro, seu domini loci in ecclesia parochiali, non collegiata, ubi non sunt canonici, thurificandus est post celebrantem, ministros paratos et archipresbyterum duplici ductu, ab eodem ministro qui thurificat, et ante omnes alios presbyteros. S. R. C. 27 Septembris 1608. Ab eodem ministro, scilicet sub missa à diacono, et sub vesperis ab assistente, vel à thuriferario parato. Jus baronis quoad hoc etiam se extendit ad magnos principes,

(\*) Legitur etiam in novâ collectione Romanâ, sub N.º 110.

principissas, magistratus, etc. In vesperis celebrans, ut incensavit altare, et nihil ultrà, redit ad sedem in choro, ubi thurificatur; quòd si ad chorum non redeat, thurificatur constitutus in plano extra gradus in cornu epistolæ ab assistente, vel à thuriferario qui reliquum incensationis peragit 1.º erga baronem, si adsit, 2.º erga chorum, et 3.º erga populum.

45. *In festo SS. Corporis Christi non convenit cantare cantiones vulgari sermone.* S. R. C. 21 Martii 1609. Sed cantandi sunt hymni officii.

46. *Benedictio candelarum, cinerum, palmarum et aliæ similes actiones, quas faceret episcopus præsens, eo absente vel impedito, ad primam dignitatem, non verò ad canonicum hebdomadarium pertinent.* S. R. C. 21 Martii 1609. *Et aliæ similes actiones, ut officium Paschatis, Pentecostes et aliarum solemnitatum.* Ex his deduci potest superiores ordinum et pastores his diebus teneri per se officium celebrare, nisi legitimè impediuntur. Deindè dicitur hanc obligationem transire ad primam dignitatem, et hâc similiter impeditâ ad secundam, et sic successivè.

47 *Potest episcopus compellere regulares, etiam per censuras, ut accedant ad publicas processiones.* S. R. C. 17 Julii 1609. Id intelligi debet, sepositis privilegiis, quibus gaudent nonnulli religiosi, ut monachi Congregat. Cassinensis, Carthusiani, etc.

48. *Abbas licèt habeat usum mitræ et baculi, et solemniter benedicere populo possit, privatam tamen benedictionem more episcoporum per vias mimicè dare potest.* S. R. C. 24 Augusti 1609. Imò nec incedens per ecclesiam pontificalibus indutus.

Dicitur *more episcoporum*, qui per vias incedentes multitudinem fidelium à dextris et à sinistris signant. Nihil igitur impedit quominus in pagis more religiosorum et sacerdotum infantibus et aliis benedictionem sacerdotalem petentibus impertiatur.

49. *Curatus ratione stolæ debet præcedere aliis presbyteris, etiam canonicis ecclesiæ collegiatæ.* S. R. C. 24 Octob. 1609. *præcedere*, id est, tenere locum eminentiorem respectu presbyterorum et canonicorum. Dum adest sine stola, vide num. 4.

50. *Presbyteri et clerici cathedralis omnes faciunt unum corpus cum canonicis, et sub una cruce debent incedere.* S. R. C. 28 Novembris 1609. Vide etiam num. 4.

51. *Reliquiam deferre in processionibus pertinet ad superiorem conventus, undè reliquia assumitur, qui cum ministris paratis, ultimo loco incedere debet; sed regulares debent, in dictis processionibus, locum cedere digniorem clero sæculari.* S. R. C. 23 Jan. 1610.

52. *Decretum in visitatione factum contra regulas libri cæremonialis, non est servandum.* S. R. C. 7 Augusti 1610. Vide num. 24.

53. *Sacerdos, diaconus et subdiaconus celebrantes solemniter possunt et debent sedere in banco, dum cantatur Gloria et Credo, etc., etiamsi sint beneficiati, prout sedent canonici, non obstante quâlibet consuetudine.* S. R. C. 15 Januarii 1614. *In banco*, seu scamno oblongo sine postergalibus, nullatenus autem in sede camerale, seu brachiata, prout declaravit S. R. C. 19 Maii 1614. Eadem Con. 12 Junii 1627, decrevit sedendum esse in latere epistolæ. Deindè dicitur *sub Gloria et Credo, etc.*

Per *etc.* significatur ultrà esse sedendum, nempe sub kyrie, graduali et sequentia, saltem si multùm temporis insumatur ad illa cantanda ultrà illud quod requiritur ad illa recitanda. Interim hic benè notandum sessionem omnem esse prohibitam exposito SS. Sacramento, quod nec velari potest, eo fine ut sessio habeatur. Quoad bancum de quo suprà, coöperiri debet simplici panno coloris officii. S. R. C. 19 Maii 1614.

54. *Cantor si est dignitas in cathedrali, debet suum munus obire, vel per se, vel per vicecantorem antè sumendum, et ab episcopo approbandum, qui non sit de iis qui alioquin sint choro obligati.* S. R. C. 19 Maii 1611.

55. *Præcedentia inter presbyteros sumitur ex antiquitate ordinis, non verò ex gradu doctoratús: quia presbyteratús ordo longè dignior est, quàm gradus doctoratús.* S. R. C. 30 Martii 1621. Idem servandum inter canonicos.

56. *Tenantur omninò canonici cantare missam de die, ut lucrentur distributiones.* S. R. C. 28 Januarii 1612. *Missam conventualem de festo vel feriâ occurrente. Circa quod decrevit Bened. XIV, ut applicetur pro benefactoribus in genere, non obstante quâvis consuetudine in contrarium. Et non tantùm hoc est verum de unâ, sed etiam de secundâ et tertiâ, quæ interdùm cantantur ex præscripto rubricarum, et quæ similiter benefactoribus sunt applicandæ. Citatus tamen Pontifex super secunda et tertia utitur quâdam moderatione, nempe quòd si ex consuetudine contraria aliis fructus earum applicetur, hæc praxis servari possit dummodò eorum benefactorum non obliviscantur in com-*

memoratione omnium defunctorum. Constit. quæ incipit, *Cum semper*. Die 19 Augusti 1744.

57. *Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit aliis collegiatis antiquioribus*. S. R. C. 24 Martii 1612. Scilicet quæ p...

58. *Consuetudo commemorantis, quòd passio Domini in dominica Palmarum et feria vj. Parasceves decantetur à canonicis, debet servari, non obstante cæremoniali, in quo disponitur eam à can' vibus lecantandam esse*. S. R. C. 7 Julii 1612.

59. *Episcopus non potest signum, quod habere debent canonici cathedralis ad distinctionem, concedere aliis vel immutare inconsultâ sede apostolicâ*. S. R. C. 1 Sept. 1602. Signum hoc est, crux aurea, et vestes formæ specialis et coloris, etc.

60. *Si occurrat festum Annuntiationis B. M. V. in dominica secunda, tertia, vel quarta quadragesimæ, non fit officium de Annuntiatione, nisi in ecclesiis sub invocatione Annuntiationis dicatis*. S. R. C. 1 Sept. 1612. Ritu Romano præfatis dominicis, quibus adjungi debet dominica passionis, si occurrat festum Annuntiationis, illius officium absque feriatiōe transfertur in feriam secundam sequentem, modò non sit impedita officio ritûs altioris; potestque in die dominico, si sit altare in ecclesia dicatum huic mysterio cum solemnitate et concursu populi, cantari secunda missa de Annuntiatione cum *Gloria, Credo*, et evangelio S. Joannis sine commemoratione dominicæ. Imò in ecclesiis minoribus unica tantùm missa de Annuntiatione cantari potest, ut innuit S. R. C. 29 Junii 1752. Interim hæc missa de Annuntiatione absolutè et in omni loco pro-

hibetur infra totam hebdomadam majorem et triduum Paschæ. Rub. miss. tit. 6 de transl. fest.

Quando festum Annuntiationis incidit in feriam vj. hebdomadæ majoris vel in sabbatum sanctum, transfertur in feriam ij. post dominicam in Albis quoad officium et festum in populo, modò hæc feria non sit impedita festo altioris ritûs, quo in supposito, festum manet dictâ feriâ ij. et officium transfertur ad primum diem non impeditum. Ita pluries decrevit S. R. C. et notanter 11 Feb. 1690, 2 Sept. 1741. Hoc decretum cautè est legendum; in eo quippè habetur, officium in casibus relatis, Annuntiationis esse transferendum in feriam ij. post quindenam Paschæ, etiamsi in ea occurrat festum primæ classis; legi profectò debet secundæ classis; aliàs plùs tribueretur huic officio translato, quàm ipsi competat in die ipsius proprio. Interim quidquid sit, hoc decretum est reformatum posteriore sub data 20 Julii 1748, ubi habetur: *non tamen altioris ritûs* (\*).

Dum autem hoc festum incidit in quindenam alio die quàm feriæ vj. et sabbati sancti, servatur à populo 25 Martii, et officium transfertur, ut suprâ ad feriam ij. post dominicam in Albis.

Pro provincia Mechliniensi, notandum decretum synodi prov. anni 1607 approbatæ à Paulo. V. Quod sic sonat: « Festum Annuntiationis beatæ Mariæ, si quando inter dominicam Palmarum » et dominicam in Albis occurrerit, celebretur » juxta receptam consuetudinem tam à populo » quàm à clero, feriâ tertiâ post dictam domi-

(\*) Consule decretum generale 14 Maii 1805.



» nicam in Albis : si verò in aliam quamlibet  
 » dominicam quadragesimæ præterquam Palma-  
 » rum inciderit, celebretur feriâ secundâ proximè  
 » sequenti, etiam à populo. »

Quoad indulgentias festo Annuntiationis B. M. concessas, manent affixæ festo ipsius in populo, sivè anticipetur, sivè postponatur; quia dies ille festivus declaratione S. R. C. 11 Feb. 1690, pro sede propria et fixa haberi debet. Eâ de re exstat seq. decretum S. R. C. *Translato festo unicè quoad officium, non transfertur indulgentia tali festo concessa.* 16 Septembris 1741.

61. *Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obstante consuetudine synodali, dummodò habeat solitum reliquiarum repositorium juxta reformationem rubricarum missalis Rom. S. R. C. 10 Nov. 1612. Cum ara lapidea ab episcopo consecrata, et altari inserta necnon tribus mappis coöperta, et quæ possit facilè continere hostiam et calicem.*

62. *Abbates, quando sunt plures in eodem loco, et habent clerum distinctum, debent in processio- nibus incedere, unusquisque cum suo clero, et in suo loco.* S. R. C. 19 Jan. 1613.

63. *Canonici et dignitates non tenentur ad benedictionem episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare, nec debent genuflectere, quando episcopum celebrantem thurificant.* S. R. C. 4 Maii 1613. Intellige canonicos cathedralis ecclesiæ, etiam et collegiatarum, modò sit apud hos talis consuetudo introducta : ita decretum S. R. C. 11 Julii 1739.

64. *Non possunt regulares processiones facere extra ecclesiam in feria v. in cæna Domini, nec*

*in festo corporis Christi, extra eorum jurisdictionem, et per parochiam alienam. S. R. C. 11 Dec. 1613. Ita nec sæculares quoad dictam feriam v. et vj. in Parasceve, dùm processio fit intra missarum solemniam. E dec. S. R. C. 15 Sept. 1742.*

65. *Abbates non sunt associandi à domo sua, nec excipiendi, cum ad pontificaliter celebrandum accedunt. S. R. C. 11 Dec. 1613. Nec dùm divinis peractis ab altari recedunt. S. R. C. 27 Sept. 1659. Excipiuntur abbates congregationis Cassinensium, qui indulto speciali S. C. possunt associari more episcoporum à suis monachis, modò non extra, sed intra septa monasterii. 12 Junii 1660.*

66. *Si, inceptà consecratione ecclesiæ, correptus morbo episcopus deficiat, et præsertim antequàm unguentur cruces, reassumenda est à capite consecratio. S. R. C. 12 Aprilis 1614.*

67. *Missæ votivæ jam acceptæ, quæ non possunt celebrari diebus impeditis, debent recitari de festo occurrenti cum applicatione sacrificii. S. R. C. 19 Maii 1614. Missæ votivæ, tum privatæ tum solennes. Quoad missas de requiem, vide num. 10.*

68. *Fratres prædicatores nequeunt in suis processionibus SS. Sacramenti dominicâ infra octavam corporis Christi mutare viam semel à principio electam. S. R. C. 14 Novemb. 1615.*

69. *Presbyteri alicujus ecclesiæ intra limites propriæ parochiæ, non possunt propriam crucem erigere, sed debent incedere sub cruce parochiæ, licèt parochia sit regularium. S. R. C. 12 Martii 1616.*

70. *Ubi habitus dignitatum est distinctus et diversus ab habitu canonicorum, quamvis canonici sint impares numero, non sunt conjungendæ dignitates*

*cum canonicis in processione, sed tres ultimi digniores, tam ex illis, quam ex istis. incedunt simul in eadem riga. S. R. C. 3 Junii 1617.*

71. *Duplex officium est recitandum de Sancto, cujus insignis habetur reliquia, ubi asservatur, vel sit corpus integrum, aut magna pars ejusdem, aut caput, et sit ex Sanctis approbatis, et positus in martyrologio Romano. S. R. C. 12 Martii 1618. Insignes reliquiae sunt (praeter caput) brachium, crus, aut illa pars corporis, in qua passus est martyr, modò sint integra, et non parva, et legitime ab ordinariis approbata. S. R. C. 8 Aprilis 1628. In his casibus officium illius Sancti recitari debet sub ritu duplici, et dici in missa Gloria et Credo. Nota hoc indultum valere tantum pro ipsa ecclesia, ubi reliquia supra dicta servatur; ita ut si reliquia sit in cathedrali vel matrice, aliae ecclesiae non debeant illi se conformare. S. R. C. 12 Martii 1618.*

72. *In personarum incensatione tota thurificatio facienda est cum unico thuribulo. S. R. C. 21 Junii 1618.*

73. *Dum Horae canonicae recitantur in choro, non sunt celebrandae missae privatae in altari majori. S. R. C. 2 Maii 1620.*

74. *Dum elevatur Eucharistia sanctissima, canonici et clerus, sive in choro existant, sive processionaliter incedant, semper debent genuflectere. S. R. C. 2 Maii 1620. Debent genuflectere, in supposito quòd campanula incautè pulsetur. Dico incautè, quia S. R. C. 4 Martii 1681 id prohibet: in processionibus, inquit, candelarum, palmarum et similibus, quae fiunt per ecclesiam sine SS. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem Hostiae*

*in missa privata. Quòd si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu à transeuntibus ante altare ubi missa celebratur, et deposito SS. Sacramento progrediendum est; similiter si alii transeant in elevatione calicis. Rectores igitur ecclesiarum seu sacristæ cavere debent, ne in illis casibus tangatur campanula à ministro serviente. Præterea, silentium campanulæ imponi debet infra absolutionem post missam exequiale, ne præsentibus continuis genuflexionibus à sancta et salubri cæremonia distrahantur: ita communiter auctores.*

75. *Octavarium Rom. à R. P. D. Bartholomæo Gavanto, cler. reg. S. Pauli pro celebrandis cum octava festivitibus jam pridem elaboratum, ac referente bonæ memoriæ Illust. Card. Bellarmino, à S. R. C. non semel laudatum probatumque, ut recitari possit, ne diutiùs religiosi viri desiderarent eadem cong. posse imprimi seorsùm à breviario, unanimi Illustrissimorum PP. consensu decrevit 26 Februarii 1622. Hoc octavarium est liber, seu volumen continens lectiones ij. et iij. nocturni pro octavis SS. apostolorum, martyrum, confessorum etc., è quo ad præcavendas repetitiones continuas earundem lectionum sub octavis Sanctorum unusquisque excerpere possit novam laudis materiam.*

76. *Si dies octava occurrat in dominicis primæ vel secundæ classis, in quibus de octava facienda est tantùm commemoratio, Vesperæ dicendæ sunt (nisi concurrant cum alio festo præcedenti) de officio sequenti cum commemoratione diei octavæ, ut in primis Vesperis: quia cum dies octava non habeat officium in die sequenti, nec etiam convenit*

*habere primas Vesperas in præcedenti, ut in simili casu dicitur de concurrentia officii num 10. S. R. C. 9 Nov. 1622; indè sequentem regulam accipe, scilicet, numquàm esse inchoandum officium per primas Vesperas, quando die sequente de eo fieri nequit.*

77. *Coadjutori episcopi debetur primum stallum in choro, sivè sedes cameralis. S. R. C. 14 Januarii 1623. Sedes cameralis, seu sedes cum umbella.*

78. *Qui habet usum mitræ et insignium pontificalium, in missis etiam privatis benedicit cum Versu sit nomen Domini benedictum: non potest tamen benedicere populo extra actum celebrationis. S. R. C. 25 Maii 1624. Hic est sermo de episcopo extra diocesim de licentia celebrante; non autem de prælatis episcopo inferioribus. Ita Talu super hoc decreto. Vide decr. num. 2.*

79. *Regulares ordinis Minimorum, dum in oratione S. Franciscum, præfati ordinis fundatorem, nominant, non debent adjungere de Paula. S. R. C. 23 Decembris 1624. Hoc decretum est generale: nam S. R. C. 5 Maii 1736, statuit, ut sequitur: ab orationibus expungenda sunt cognomina et patriæ Sanctorum: undè 31 Januarii omitti debet Nolasco, 8 Febr. de Matha; 2 April. de Paula; 31 Aug. Nonnati; 10 Oct. de Borgia; 29 Jan. in oratione S. Canuti omitti debet Danorum; 18 Jun. in oratione S. Margaritæ, Scotiæ; 23 Feb. in oratione S. Margaritæ, de Cortona Exprimi tamen debent nomina, ut vocant, characteristica, qualia sunt Joannis Chrysostomi, Petri Cælestini, et Petri Chrysologi: quibus jungitur Joannes Gualbertus.*

80. *Missæ votivæ non possunt suffragari pro missa conventuali, quæ non potest omitti, etiamsi cantetur*

*missa votiva.* S. R. C. 16 Maii 1726. Hoc decretum non tangit certas votivas, quæ in fine missalis assignantur recitandæ pro conventuali, igitur extra adventum, quadragesimam, ferias quat. temp., rogationum et vigiliarum, quando fit de feria, et non est resumenda missa dominicæ præcedentis (censetur autem resumenda, quando lectio illius fuit impedita festo duplici, aut alia de causa); tunc feria ij. missæ conventuali potest substitui missa de requiem vel de SS. Trinitate; iij. de Angelis; iv. de apostolis Petro et Paulo; v. de Spiritu S. vel de SS. Sacramento; vj. de cruce vel passione, et sabbato de S. Maria. In illis tres dicuntur orationes, ut in votivis privatis, sine *Gloria* et *Credo*; excipi tamen debent missæ Angelorum et B. M. V. in sabbato, quæ hymnum angelicum admittunt.

Præterea notandum è missali tit. de missis defunctorum n° 1, quòd primâ die mensis (extra adventum, quadragesimam et tempus paschale) non impeditâ officio dup. vel semid. dicatur, nempe de præcepto, missa principalis seu chori, generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis, hoc est, missa quotidiana cum tribus orationibus. Si verò in ea fuerit festum simplex, vel feria, quæ propriam missam habeat, aut resumenda sit missa dominicæ præcedentis, et infra hebdomadam non occurrat alia dies, in qua resumì posset, in cathedralibus et collegiatis dicantur duæ missæ, una pro defunctis, et alia de die; sed in aliis dici debet missa de die cum commemoratione pro defunctis.

Tandem notandum, quòd in omnibus sabbatis, etiam in adventu, non impeditis festo dup.,

semid., octavâ, vigiliâ, feriâ quat. temp., aut officio dominicæ anticipato, dici debeat missa chori de B. M. V. secundum varietatem temporum, ut in fine missalis. *Rubr. gen. de missis votiv.*, n. 1. et 2.

81. *Servandus est, etiam mutato proprio breviario, et acceptato Romano, mos antiquæ et laudabilis consuetudinis recitandi in choro officium parvum B. M., etiam in simplicibus et dominicis, non obstante rubricâ breviarii.* S. R. C. 2 Januarii 1627. *Servandus est, de consilio tantum respectu eorum, qui utuntur breviario Romano : nam S. R. C. sequentibus decretis respectu horum tollit omnem obligationem hujus officii, sive quoad privatam, sive publicam illius recitationem. Quippè quæ 2 Decembris 1741 sic statuit : canonici extra chorum officium persolventes non tenentur ad psalmos graduales, pœnitentiales, ad officium defunctorum, B. M. V. etc., quæ quidem officia sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro. Eadem Congregatio decreto sub data 14 Junii 1755, respondens ad sequens dubium, eos eximit ab his officiis etiam in choro recitandis : an canonici cogi possint ad recitationem in choro statutis diebus officii B. M. et defunctorum, psalmodiarum quoque pœnitentialium, atque gradualium juxta rubricas breviarii Romani, constitutiones synodales, et consuetudinem Firmanæ diœcesis? et proposito dubio per Emin. Cardin. Tamburinum sac. Cong. præfectum, et hujus instantiæ ponentem, Eminentissimi Patres sac. rit. Congr. propositi unanimes fuerunt in sensu, non esse cogendos. Hic tamen scitè observat Cavalieri, tom. 2. pag. 206, has decisiones non cadere in eos qui breviario diverso*

utuntur à Romano, sic ut eis insit eadem obligatio circa dicta officia, quæ eis inerat ante reformationem breviarii Romani à Pio V. Tandem superest seriò observandum suprà citatas decisiones tantùm cadere super dicta officia, prout præscribuntur certis diebus recitanda à rubricis; nullatenus autem super officium defunctorum die 2 Nov., nec super idem recitandum certis diebus ex fundatione à canonicis, vel beneficiatis. Tenentur, ut fructus faciant suos, illis adesse à principio ad finem, et illa canctu personali persolvere. Quòd si aliquis ab illis ex legitima causa absit, valdè probabiliter juxta celebres auctores, tenetur officium privatim recitare, maximè si aliquot fructus indè percipiat. Vide num. 7.

82. *Missa conventualis de feria in cathedralibus et collegiatis omninò est dicenda ultra missam festi, et abusus sunt reformandi.* S. R. C. 16 Jan. 1627. Quoad applicationem fructus, vide num. 56.

83. *Coadjutor canonici justà de causà immunis et exempti à choro, tenetur interesse, ut canonicus lucretur distributiones.* S. R. C. 20 Februarii 1627.

84. *Potest Episcopus cogere canonicos, ut à capellanis in quadragesima cantari faciant missam conventualem feriae cum diacono et subdiacono.* S. R. C. 17 Julii 1627. Hoc decretum videtur supponere obligationem adhibendi ministros ad celebrandam illam missam, seposità omni monitione.

85. *Canonici non possunt uti pallio et pileo in choro, quando assistunt etiam Completorio.* S. R. C. 17 Julii 1627. Sed habitu proprio canonicali.

86. *In ecclesiis regularium habentibus claustra, fiant processiones inter claustra tantùm, si verò*



*non habeant claustra, fiant prope muros ecclesiæ, sive exeundo ab una porta, et intrando per aliam ecclesiæ portam, sive per eandem. S. R. C. 26 Feb. 1628. Intellige, nisi consentiat parochus, vel gaudeant ad hoc privilegio, uti constat ex seq. depr.*

87. *Extra ambitum ecclesiæ non licet regularibus facere processiones, nisi de licentia et consensu parochi, salvis privilegiis, si quæ sunt; processiones verò confraternitatum non debent extendi per vias, sed circa muros regularium, qui eas regunt. S. R. C. 26 Februarii 1628.*

88. *Nequeunt regulares SS. Sacramentum exponere sine licentia ordinarii. S. R. C. 26 Februarii 1728. Imò nec alii, exceptis certis diebus, de quibus vide num. 51. Ratio hujus decreti est, ne, nimis frequenti expositione, reverentia erga tantum Sacramentum sensim minuat: eademque ratione benedictiones cum eodem Sacramento parçè sunt impertiendæ.*

89. *Non potuisse post bullam Pii V. de breviario Romano, neque posse locorum ordinarios, tam sæculares, quàm regulares, addere Calendariis etiam propriis Sanctorum officia, nisi ea dumtaxat quæ breviarii Romani rubricis, vel S. R. C., seu sedis apostolicæ licentiâ conceduntur; neque propriâ auctoritate, quovis prætextu, posse mutare ritum qui habetur in Calendario Romano, in altiore ritum, neque extendere concessa officia de loco in locum: officia tamen de episcopis sanctis locorum possunt continuari de communi, si constaret illos fuisse canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuisse de illis officium et missam, declaravit S. R. C. 8 Aprilis 1628. Dum ex legato instituitur*

*alicujus Sancti solemnitas, quoad pompam extrinsecam, potest cum apparatu celebrari, sed ritus sub quo colitur in calendario, non potest immutari.* S. R. C. 14 Maii 1644. Ratione tamen solemnitatis et concursûs, integras potest habere Vesperas in concursu officii ejusdem ritûs. *Rub. XI, de concursu offi. n.º 2.*

90. *Canonici habentes usum cappæ et rocchetti, quandò administrant Sacramenta, debent deponere cappam et induere superpelliceum cum stola.* S. R. C. 12 Julii 1628.

91. *Missa conventualis non potest celebrari pro anniversario, sed cantandæ sunt duæ missæ; in die verò depositionis, dicenda est missa pro defuncto, non obstante contrariâ consuetudine.* S. R. C. 12 Jul. 1628. Id etiam locum habet 2 Nov. *Missa ut in die obitûs, inquit S. R. C., præsentè corpore, ultra missam de comm. defunct. celebranda erit, quandò aliquis obierit in die commemorationis omnium fidelium defunctorum.* 14 Aprilis 1646.

92. *Celebrari non potest per totam civitatem et diocesim, etiam de cujuscumque ordinarii auctoritate, festum cum officio de Sancto, eò quòd in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua reliquia, sed tantùm in ecclesia ipsius Sancti titularis, seu ubi asservatur corpus, aut insignes reliquiæ, et non alibi.* S. R. C. 8 Augusti 1628. Vide num. 71.

93. *Canonici regulares possunt in publicis processionibus uti rocchetto et superpelliceo.* S. R. C. 28 Aug. 1628.

94. *Potest episcopus cogere sacerdotes sæculares, ut audiant confessiones sacramentales cum super-*

pelliceo et stola, et regulares cum stola tantum. S. R. C. 28 Augusti 1628. Et stola nempè violacei coloris. *Rit. Rom. de pœnit. t. 5. c. 1. n.º 9.*

95. *Non potest prohiberi celebratio missæ in oratorio ruri ædificato per laicum, a sequam celebretur missa parochialis.* S. R. C. Martii 1620. Excipe, nisi sit in contrarium statutum synodale. S. C. Conc. Trid. 25 Maii 1652. In illa missa, dum legitur, per celebrantem fieri debet catechismus: ita *Clem. XII, in Encyclica, 1 Julii 1755.* Tandem notandum ex *const. Bened. XIV, 17 Feb. 1742,* quòd si hujusmodi oratoria sint vicina ecclesiæ parochiali, non liceat in illis celebrare ante missam parochialem.

96. *In altari, sub quo sepulta sunt cadavera defunctorum, non potest celebrari.* S. R. C. 11 Junii 1629. Ratio decreti est, ne involvantur in hac oratione: *oramus te, Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hîc sunt,* etc. Adeoque ut altare fiat aptum ad missam, debent transportari.

97. Ad dubium propositum S. R. C. à D. Henrico Fortuna, proc. Gen. totius congr. monachorum Cœlestinorum, ordinis S. Benedicti, circa privilegia abbatum: re maturè discussâ.... Declaravit licere abbatibus Cœlestinis in tribus tantum anni festivitibus solemniter celebrantibus uti baldachine, sine auro tamen et pompa, necnon assistentiâ unius presbyteri, et duorum diaconorum, et aliorum sex ad summum monachorum sacris vestibus coloris solemnitati respectivè convenientis induturorum, duorum nempè cum pluvialibus, duorum cum planetis, et aliorum cum tunicellis, ultra diaconum et subdiaconum, qui in missa cantaturi sunt evangelium et epistolam: dummodò iidem abbates

nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in ecclesia iis tantum diebus quibus solemniter, ut supra, celebrari debet: et dicti sex monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant in situ congruo, juxta ecclesiarum convenientem etiam tunc appositis, panno laneo coopertis, firmis in reliquo remanentibus supra scriptis sacræ C. in Firmana 28 Jan. 1606, et Neapolitana 18 Martii 1617. Decretis editis. Eadem S. C. 30 Jan. 1629.

98. Festum dedicationis aliarum ecclesiarum à cathedrali, celebrandum est tantum in ecclesia, ubi dies consecrationis peragitur. S. R. C. 18 Aug. 1629. Sub ritu nempe primæ classis cum octava à clero tantum illius ecclesiæ, non verò ab exteris, licet sub parochia degant. Ita eadem Cong. 17 Aug. 1709.

99. Non potest celebrari festum consecrationis illius ecclesiæ quam certum est non fuisse consecratam, vel dubium est; si autem constet de consecratione, et ignoretur dies, potest ordinarius assignare pro dicti festi celebratione. S. R. C. 18 Augusti 16<sup>note</sup> Vel est dubium: porro non est dubium, quando quotannis ex immemorabili usu in aliqua ecclesia anniversarium illius dedicationis peragitur, licet nullum amplius exstet instrumentum illius consecrationis, proindèque dictum festum ibi est continuandum. Nota hic agi de consecratione, non autem de nuda benedictione ecclesiæ; hujus enim annum festum celebrari certò nequit (1).

(1) Jam pridem in Tomo III. præcedente, art. XXI. §. IV. n.º VI., desiderium demonstravimus, ut eodem die in omnibus ecclesiis fieret officium anniversarii dedicationis; idque  
Tom. V.

100. *Officium cum missa S. Rochi conceditur in ecclesiis dumtaxat ad ejus honorem dicatis.* S. R. C. 29 Nov. 1629. Non autem alibi, licet festum illius ex devotione servetur. Possunt tamen sacerdotes extranei confluentes in ecclesiam huic Sancto dicatam, missam ipsius legere non tantum in ipsius festo, sed et ipsius votivas confessoris nempe non Pontificis.

101. *Ante SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè expositum, non potest fieri concio capite tecto, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine, et abusus est omninò tollendus.* S. R. C. 16 Februarii 1650.

102. *Non possunt inseri in litanis alii Sancti*

ut tollerentur tripudia et dissolutiones, quæ ubique sub illâ festivitate conspiciuntur: utque incolæ cujuslibet districtus absque extraneorum accessu in suis respectivè locis devotè officiis diei adessent. Quoad epulas, quas hæc solemnitas suadere videtur, unusquisque in sua familia, prout Deus ipsi dederit, quietè et in Domino eas sibi indulgeat. Votum nostrum auctoritate Pontificiâ jam impletum est, festum et officium anniversarii dedicationis omnium ecclesiarum in his partibus, fixa sunt primâ dominicâ post octavam omnium Sanctorum: sed eheu! finis non sequitur: retinent ubique eorum antiquum dictæ festivitatis, et ubique choreæ, saltationes, convivia et horum tristes sequelæ, sed quod magis reprehensibile est, et nonnulli pastores se his videntur associari, officium et missam solemniter celebrando, tibicines in suis templis admittendo, suis vicinis confratribus convivium parando; hoc sanè exemplo oves sibi creditas confirmare videntur in excessibus, quibus se tradunt, et se iis quasi diploma induunt. Idem die de confratribus qui ad illa festa confluant vicem reddituri suo ordine, profectò illorum præsentia favet profanis loci gaudiis. Igitur pastores, animarum suarum amatores et gregis sibi commisi, hâc die à suis templis musicarum instrumenta arcere debent, missam sine ullo apparatu celebrando, sed juxta ritum simplicem officii currentis: sermonem debitum habebunt ad populum, abstinere tamen ab omni convivio per totam septimanam, hoc medio ab ullo influxu in peccata populi sui se custodient.

*præter ibi descriptos, neque tempore pestis addendi sunt titulares et patroni civitatis sine speciali concessione.* S. R. C. 22 Martii 1651. Excipe casum consecrationis ecclesiæ vel altaris, ubi proprio loco nominatur bis Sanctus ille, in cujus honore et nomine ecclesia vel altare consecratur, et illi quorum reliquiæ in eo includuntur; licet etiam addere versiculum in illis necessitati congruentem, v. g. ad obtinendam pluviam, dicendo bis post *ÿ. Ut omnibus fidelibus defunctis: Ut nobis pluviam concedere digneris.* Pontif. Rom. et Rituale de process.

103. *Mulieres de cætero non possunt occasione processionum ingredi septa monasteriorum regularium, sub pœnis quibus comprehenduntur regulares permittentes fœminas ingredi septa eorum monasteriorum.* S. R. C. 5 Julii 1651. Id est, ex bulla Bened. XVI, quæ incipit: *regulares disciplinæ*, 3 Jan. 1742, sub pœna excommunicationis ipso facto. Hoc igitur posteriore decreto reformatur licentia ad id facta à Pio V, et Gregorio XIII, apud *Reiffenstuel*, lib. 3. tit 35. n. 74. Hic tamen cum citato auctore, *ibid.* n.º 66, adverti potest legem clausuræ esse humanam; adeoque usu long, seu 40 annorum contra eam quædam præscribi posse, tolerarique potest usus consuetudine introductus, modò indè nullus resultet abusus; aliàs superiores, et maximè episcopi, tenentur sub gravi strictam restituere clausuram.

104. *Spinæ de corona Domini Jesu Christi inter reliquias insignes computantur, et speciali nota et cultu dignæ sunt.* S. R. C. 21 Junii 1652. Undè sub baldachino in processionibus deferri possunt adhibito velo humerali, et præcedentibus thu-

riferariis. Ita *Talu*. Idem dic de ligno sanctæ crucis. Dec. S. R. C. 16 Sept. 1741. Vid. num. 71.

105. *Aquæ benedictæ aspersionis in dominicis debet fieri per ipsum celebrantem, etiam quòd sit prima vel alia dignitas; non obstante contrariâ consuetudine, quæ potiùs corruptela dici debet, cum sit contra rubr. missalis et cær. episc. lib. 2. cap. 30. n.º 1.* Solus igitur celebrans, qui aquam benedixit, est minister hujus aspersionis; hunc sub illa concomitari debet diaconus ministrans, si detur.

106. *Parocho rheumate laboranti, et SS. Sacramentum infirmis deferenti, solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra civitatem vel oppidum.* S. R. C. 5. Mart. 1655. In civitate vel oppido quâvis infirmitate laboret, debet incedere capite nudo, nisi dispensatio interveniat Pontificis. Eadem Cong. 15. Aug. 1695. Dum defertur extra civitatem, requiritur et sufficit ad hoc licentia episcopi. Eadem Cong. 10. Julii 1695. Puto satis esse si tacitè consentiat episcopus. Eâdem ratione, seu causâ vitandæ infirmitatis, tempore imbrium ruri usus pileoli toleratur.

107. *An liceat curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire, contra voluntatem hæredum defunctorum, ne regulares curati ad funus corpora defunctorum ad quasvis ecclesias deferenda unâ cum parochis et clericis processionaliter associant? responsum fuit, regulares in casu proposito non possunt impediri.* S. R. C. 23 Aprilis 1655. *De jure igitur possunt regulares concomitari cadavera defunctorum per parochias; verùm si fiat aliquid super illa, v. g. Absolutio, hæc spectat ad parochos, nec possunt regulares in eam se immiscere.* Ita S. C. concilii Trid. 28 Februarii 1708. *Dum autem cadaver*

*transit in jurisdictionem regularium, seu ad fores eorum ecclesiæ, ad hos spectat exclusis parochis, omnia agere circa illud. Ita S. R. C. 27 Nov. 1658, et 1 Septemb. 1708.*

108. *Ubi adest consuetudo immemorabilis cantandi singulis diebus, immediatè post Primam, missam votiv. de B. V. M. potest, exceptis solemnioribus festivitibus D. N. J. C., tolerari, prout tolerat S. R. C., et festa solemniora sunt, in quibus non toleratur hæc missa, dominica I. Adventûs, feria iv. cinerum, dominica I. quadragesimæ, dominica Palmarum cum tota hebdomada, dominica Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, corporis Christi, et omnes dies, in quibus celebrari debet peculiare festum in honorem B. M. V. juxta præscriptum in calendario; ac dummodò diebus, in quibus celebratur dicta missa votiva, præter eandem celebretur etiam missa conventualis, seu diei festi currentis. S. R. C. 19 Nov. 1653. Hoc privilegium est particulare soli B. M. V.; non autem aliis Sanctis, prout declaravit S. R. C. 22 Dec. 1753. et 11 Maii 1754. Undè missæ in cantu fundatæ de aliquo Sancto, cantari non possunt in duplici, sed illis diebus satisfieri debet per missam festi currentis, vel possunt transferri ad diem non impeditum. Ita S. R. C. 9 Dec. 1654.*

109. *Ubi non est aurora physicè, pro licita missarum celebratione, attendatur ea moraliter et politicè, quando scilicet terminari solet hominum quies, et inchoari labor juxta probatam regionum consuetudinem. S. R. C. 18 Sept. et 2 Nov. 1654. sacra rituum Congregatio in illis regionibus, ubi sol continuò lucescit per plures menses et itidem*



tenebræ noctis, pro celebratione divinarum officiorum et missarum fictam auroram, fictumque solis occasum posuerit, nempe pro aurora exitus operariorum ad labores; adeoque tunc sacerdotes ad altare accedere possunt, et consequenter dum conveniunt ad prandium missarum solemnitas cessare debent, uti in his partibus horâ duodecimâ.

110. *Coadjutores, quando coadjuti sunt præsentibus in choro vel in processionibus, non possunt in habitu canonicali intervenire.* S. R. C. 24 Maii 1656.

111. *Præcedentiam et digniorem locum in processionibus tam publicis quàm privatis, competere et deberi Augustinianis, supra Franciscanos, Recollectos et Discalceatos, juxta dispositionem bullæ Gregorii XIII, quæ incipit: Exposcit, sub die 15 Julii 1585, editam, et hoc sive dicti Recollecti incedant conjunctim, sive divisim, et perpetuum silentium imposuit* S. R. C. 12 Jan. 1657.

112. *Imagines S. Augustini, S. Nicolai de Tolentino, ac aliorum Beatorum ejusdem ordinis impressæ aut depictæ à fratribus Discalceatis ejusdem ordinis cum habitu quo ipsi Discalceati utuntur, suspendendæ sunt et abolendæ; injungendumque dictis fratribus Discalceatis, ne, sub pœnis arbitrio hujus sacræ Congr. infligendis, talia amplius audeant peragere, et omninò servari.* S. R. C. 19 Dec. 1657.

113. *Si vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in solemnitate corporis Christi, non est eo die jejunandum, nec abstinendum à carnibus in festo hujusmodi, sed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe feriâ iv.* S. R. C. 24 Sept. 1658. Tali anno nil quidquam fit de vigilia. Ita eadem Cong. 18 Sept. 1706.

114. *Benedictio cum SS. Sacramento danda est in fine hymni Pange lingua, non verò ad versum sit et benedictio.* S. R. C. 5 Feb. 1659. Idque ad tollendam omnem æquivocationem super hæc verba : *Sit et benedictio*, seu ne ea contra eorum sensum accipiant fideles : quippè verba hæc *sit et benedictio* in hymno referuntur ad illa : *Genitori Genitoque*; adeòque non cadunt super populum adstantem, prout sibi applicare posset; sicque benedictio cum Sanctissimo incipienda est sub his tantùm verbis : *procedenti ab utroque.*

115. *De protectore principali civitatis debet celebrari officium cum octava per civitatem et diœcesim sub ritu duplici primæ classis, tam apud sæculares, quàm apud regulares utriusque sexûs, sed isti (nempe regulares) sine octava.* S. R. C. 25 Maii 1659. Supponit præsens decretum non esse patronum aliquem diœcesis, cujus defectum supplet ordinando, ut suprâ.

116. *In nocte Nativitatis Domini, post cantatam primam missam, nullo modo possunt aliæ duæ immediatè celebrari, neque fideles communicari.* S. R. C. 20 Aprilis 1641. Idem dicendum de missis privatis, quæ legi non possunt ante auroram, prout constet ex eadem Congr. sub data 7 Dec. 1641. Usus tamen particularis Ecclesiæ Leodiensis habebat, ut, post primam missam, interjectis solummodò Laudibus, missa pastorum celebraretur. Imò permittebatur, post duodecimam, unumquemque celebrare tres missas privatas, et communionem fidelibus distribui : huic usui se conformabant utentes breviario Romano. Faciendum tamen praxim Romanam esse magis religiosam, et sanctificationi hujus magnæ festivitatis

magis accommodatam; nuncque observanda est in hac diœcesi. Ratio hujus est, quòd usus Romanus, usus jam sit Ecclesiæ Leodiensis; ac sicut olim utentes breviario Romano se pro uniformitate conformabant usui Leodiensi: nunc utentes breviario Ecclesiæ Leodiensis, se conformare tenentur usui Romano. Vide seq. decr.

*Præceptum, quòd in nocte Nativitatis Domini post missam decantatam non possint successivè aliæ duæ missæ celebrari, nec communio exhiberi eucharistica fidelibus deposcentibus, ligat etiam omnes regulares tum ordinis mendicantium, tum etiam Societatis Jesu, tum omnes cujuscumque alterius instituti, etiam speciali mentione nominandi. Neque possunt excipi in ecclesia confessiones, maximè mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum est, ut illucescat aurora tam pro confessionibus mulierum excipiendis, quàm pro Eucharistia ministranda fidelibus utriusque sexus. S. R. C. 25 Martii 1685. Quoad confessiones, in his partibus, ubi in hyeme dies sunt brevissimi, et tenebræ noctis longissimæ, præsertim sub Nativitate Domini, usus habet ut audiantur sub parte tenebrarum ad favendum devotioni fidelium: sed ad vitandum omne inconveniens, templum est illuminandum et maximè tribunalia, in quibus Confessiones excipiuntur.*

*117. Festum principalis patroni in quocumque regno seu provincia et alterius pariter principalioris patroni in quacumque civitate, aut oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit, est præceptivum cum obligatione audiendi Sacrum, et vacandi ab operibus servilibus. S. R. C. 15 Septemb. 1642. Principalioris: undè dum in*

uno loco sunt plures patroni, tantùm principalioris officium fieri debet sub ritu primæ classis cum octava, et festo in populo; aliorum autem sub ritu dup. majoris sine festivitate. In supposito autem quòd plures habeantur æquales, ille principalior censeri debet, qui festivitatem tenet in populo; si autem uterque forsàn quoad forum coleretur, ille principalior est qui est antiquior; adeoque festum alterius est resecandum, et deinceps officium hujus est legendum sub ritu dup. maj.

Ex hoc decreto hic etiam observa patrono diœcesis de jure festivitatem in populo non competere, sed tantùm usu et consuetudine; ideòque in aliquibus diœcesibus observatur: in aliis verò non.

118. SS. *Eucharistiæ Sacramentum, quod inter Vesperarum divina, peculiari custoditur sacello, thurificari debet.* S. R. C. 5 Septembris 1618. Dummodò SS. Sacramentum non sit publicè expositum in summo altari; tunc enim thurificari non debet. Pariter et à fortiori non thurificantur alia parva altaria, nec imagines, seu statuæ Sanctorum. S. R. C. 7 Maii 1746. Vide num. 44.

119. *In canone omninò facienda commemoratio de episcopo, etiam ab exemptis.* S. R. C. 25 Sept. 1649. Hæc commemoratio ponitur in præcepto, statim atque episcopus fit administrator et possessor, licèt necdum sit in ordinibus constitutus.

120. *Aspersio die dominico semper facienda est à celebrante, etiam quando superior celebrat.* S. R. C. 16 Nov. 1649. In cær. episc. excipitur episcopus pontificaliter celebrans, qui, nec per se nec per alium, populum aspergit.

121. *Sabbato passionis debent velari imagines et cruces, etiamsi occurrat eo die festum titularis, vel patroni ecclesiæ.* S. R. C. 16 Novemb. 1649. Non igitur tantum cruces altarium, sed omnes imagines et statuæ Sanctorum, quæ exstant intra ecclesiam; idque ad majorem inculcandum fidelibus mœrorem. Hæc autem sunt velanda ante primas Vesperas dominicæ passionis, nec detegenda sunt ante feriam vj. majoris hebdomadæ, quâvis occurrente festivitate. S. R. C. 16 Nov. 1649. Vela autem omnia debent esse coloris violacei, nec color eorum est immutandus ratione occurrentis solemnitatis, prout definivit eadem Congr. sub data superiore. Excipe missam solemnem feriæ v. in cœna Domini, infra quam et non ultrà, velari debet velo albi coloris sola crux altaris in quo celebratur. Ita S. R. C. 20 Decemb. 1783. Hic etiam adverte in velis non esse crucem vel imaginem pingendam, neque præviè in iis picta sit neque consuta.

122. *Pixis, ostensorium et corporalia, quæ immediatè inserviunt SS. Sacramento, debent benedici juxta formam, quæ habetur in missali propria.* S. R. C. 16 Nov. 1649.

123. *Quando missa canitur sine ministris, non debet thurificari, neque altare, neque chorus.* S. R. C. 19 Augusti 1651. In hoc decreto non excipitur missa quantumvis solemnis, etiam exposito venerabili Sacramento.

124. *Ubi adest sodalitas SS. Sacramenti, competit ei præcedentia super alias confraternitates in omnibus processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum.* S. R. C. 19 Junii 1655.

125. *Missæ solemnis de Annuntiatione B. V. M.*

*non potest celebrari, quando ejus festum incidit in dominica Palmarum. S. R. C. 10 Martii 1657. Licèt sit titulus ecclesiæ; id etiam extende ad totam hebdomadam dictæ dominicæ. Rub. miss. tit. 6. de transl. fest.*

126. *In novem diebus ante Nativitatem Domini, ubi adest antiquissima consuetudo vel concursus, potest decantari missa votiva solemnis B. M. V., quamvis in ipsis occurrat festum D. Thomæ apostoli, et dominica III vel IV adventûs, non omissâ tamen conventuali, statutâ horâ decantandâ. S. R. C. 28 Septembris 1658. Excipe diem expectationis partûs, in quo cantari debet missa diei, utpotè de Beata cum Gloria, Credo, et commemorationibus in directorio præscriptis. Aliis verò diebus equidem dicitur Gloria, et Credo, sed absque ulla commemoratione.*

127. *Non licet in ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio missæ in feria V. in cœna Domini, nec ejusdem augustissimi Sacramenti asservatio in sepulchro. S. R. C. 14 Junii 1659.*

128. *Dies in quibus solemniter prælatis inferioribus celebrare conceditur, sint de præcepto festivi, vel alii, in quibus ipsos pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempè patroni loci, fundatoris Ordinis, tituli et dedicationis ecclesiæ; abstinere autem debent ab hujusmodi Pontificalium usu, in officiis et missis defunctorum, quocumque die etiam festivo et de præcepto. S. R. C. 27 Septemb. 1659. Adeoque quater tantùm in anno vel etiam tertantùm, prout fert instrumentum privilegii à Summo Pontifice ipsis concessi, possunt Pontificalibus uti. Vide num. 97.*

129. *In missis privatis quoad indumenta, cæremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem, à simplici sacerdote prælati inferiores discrepare non debent, ac proindè sacras vestes induere debent in sacristia; neque uti possunt cruce pectorali; unico tantùm contenti sint ministro; aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrare minimè facere possunt, duasque tantùm candelas super altare adhibere valent. S. R. C. 27 Septemb. 1659. Vide num. 2. Aquam cum pelvi et urceolo argenteis; nempè ad lotionem manuum ante et post missam; hic igitur abbatibus et sacerdotibus simplicibus non interdicitur usus pelvicolæ et urceolorum ex argento in ordine ad sacrificium.*

130 *Prælati episcopis inferiores ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum benedicere valent. S. R. C. 27 Septemb. 1659. Nec ad benedicendum campanas, calices et similia, in quibus sacra adhibetur unctio, licentiam eis facere potest ordinarius. Ita expressis verbis S. R. C. eod. die.*

131. *Locorum ordinarii auctoritate Sedis apostolicæ possunt, immò debent abbates et prælatos episcopis inferiores, qui usu Pontificalium gaudent, tum sæculares, tum regulares, quantumvis exemptos, et speciali expressione indigentes, etiam per censuras, compellere ad omnimodam observantiam rerum præscriptarum circa moderationem Pontificalium. S. R. C. 27 Septembris 1659. Vide num. 128.*

132. *Si concessa fuerit per sedem apostolicam altarium erectio, non tamen ob id missa et officium de Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præsumitur: etenim specifica et expressa concessio super his præcedere debet. S. R. C. 27 Sept. 1659.*

153. *Missæ de Beatis, quæ fuerint indultæ certis personis, nempe presbyteris regularibus vel sæcularibus alicujus loci vel monasterii, seu presbyteris alicujus ecclesiæ servitio præcipuè addictis, à confluentibus sacerdotibus, quamvis dignitate, etiam cardinalatûs insignitis minimè celebrari possunt. S. R. C. 27 Septembris 1659.* Aliud est quando indultum locum afficit; tunc omnes sacerdotes ad illum confluentes, ibi missam Beati celebrare possunt.

154. *In publicis precibus, præter indultas, et à Sede apostolica approbatas, Beati non invocentur. S. R. C. 27 Septemb. 1659.*

155. *Beatorum reliquiæ in processionibus minimè circumferantur. S. R. C. 27 Sept. 1659. Vide seq. depr.*

156. *Non removetur cultus Beatis, qui per communem consensum Ecclesiæ, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis apostolicæ, aut ordinariorum hactenùs præstitus, ac certis modo et formâ ab eo tempore eis exhibitus fuit: verùm si à centum annis citra, cultus hujusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu in pristinum reducatur; proût quivis cultus, extra casus prædictos ad expressa tantùm verbaliter in apostolicis indultis omninò revocetur. S. R. C. 27 Sept. 1659.*

157. *Beati in patronos non eligantur, nec eorum natalitia cum octavis celebrentur. S. R. C. 27 Sept. 1659.* Subintellige absque apostolica auctoritate. Nota S. R. C. mandare locorum ordinariis, ut tanquàm delegati à S. Sede sæculares, et regu-



lares, quantumvis exemptos, etiam sub censuris compellant ad exactam observationem suprascriptorum decretorum circa Beatos. 27 Sept. 1659.

138. *In missis serialibus, quæ contingunt à dominica passionis ad feriam v. cænæ Domini, si facienda obveniat commemoratio de simplici, omittenda est tertia oratio, quæ pro secunda assignatur in missali, nempe pro Ecclesia vel pro Papa.* S. R. C. 22 Nov. 1659. Idem dic infra octavas Paschæ et Pentecostes. Ita dixit S. C. 15 Sept. 1736. Aliud est de semiduplici infra tempus passionis; in illius missa tres dicuntur orationes, secunda de feria, et tertia pro Ecclesia vel pro Papa. S. R. C. 10 Jan. 1695.

139. *Ubi indultum fuerit, ut missa de aliquo Beato celebretur, licitum est ejus imaginem et simulacrum super altari exponere, necnon votivas tabellas illi appendere.* S. R. C. 17 Aprilis 1660.

140. *Prælato episcopis inferiori vel cuique alio gaudenti usu Pontificalium, non licet benedicere concionatorem, qui concionem sit habiturus, dum ipsemet missarum solemnia Pontificali modo peragit: quia post conc. Trid. prohibentur hujusmodi benedictiones per decretum emanatum 27 Sept. 1659: circa usum Pontificalium.* S. R. C. 12 Junii 1660. Vide num. 129, 130, 131 et 132.

141. *Missa solemnis in dominica infra octavam alicujus Sancti, non debet celebrari de eodem Sancto licet de consensu ordinarii fiat processio ad ejus ecclesiam.* S. R. C. 24 Julii 1660. Igitur cantanda est missa de dominica, vel de duplici occurr. Excipe missam de B. M. V. Vide num. 147.

142. *Missæ plures non possunt celebrari in capellis nobilium à sacerdotibus regularibus* S. R. C. 25

Febr. 1661. *In capellis nobilium*, et oratoriis aliorum. *A sacerdotibus regularibus*, et sæcularibus, prout decrevit S. R. C. 15 Decembris 1703, apud *Merati*, n.º 579. Jus autem erigendi oratoria privata privativè habet solus Papa, arbitrio episcopi propriæ diœcecis duratura. Ita constit. Bened. XIV, 2 Junii 1751, quæ incipit: *magno animi nostri dolore*. Ita ad quæsitum: *An episcopi non habentes facultatem specialem concedendi in oratoriis privatis, et capellis pro sæcularibus et aliis, legendi missam, possint licentiam dictam petentibus concedere? Responsum fuit negativè*. S. R. C. 20 Septembris 1749. In his tamen locis, sivè ex indulto sivè ex usu, hanc licentiam concedunt episcopi; ad hoc autem, ut legitima sit gratia, sequentia requiruntur: 1.º Magna devotio ex parte supplicantium erga SS. Eucharistiæ mysterium; 2.º Impossibilitas, vel saltem magna difficultas accedendi ad ecclesiam publicam; 3.º In facultate reservari debent dies sequentes, nempe Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum; sanctorum Petri et Pauli, nec non titularis ecclesiæ. Tandem maximè cavendum est, ne sub umbra talis facultatis ipsi domini, filii et famuli frustrentur necessariâ instructione, quæ in sola parochiali ecclesia habetur; quibus omnibus consideratis, periculosum videtur talem facultatem petere et concedere. Interim dum laxatur, curandum est, ut in sacello ad sacrificium destinato omnia sint requisita ad illud decenter peragendum.

145. *Symbolum in missa solemnè potest decantari in illa ecclesia, ubi est altare erectum sub in-*

*vocatione alicujus Sancti, ratione concursus ad præscriptum rubricarum, licet de eo fiat officium sub ritu semid. ut pro Festo S. Antonii declaravit S. R. C. 1 April. 1661.*

144. *Patenæ suppositio per Sacerdotem cottâ indutum, in communione generali, quæ per dignitates agitur licita est. S. R. C. 5 Sept. 1661. In communione generali; non autem in communione unius vel alterius. Per dignitates; adeoque hoc jus non competit canonicis et simplicibus presbyteris.*

145. *Regulares tenentur quidem celebrare festum de dedicatione ecclesiæ cathedralis, sed sub ritu duplici secundæ classis, et sine octava. S. R. C. 2 Aprilis 1662. Regulares, nempe civitatis tantum, non verò totius diœcesis. Sub nomine autem regularium, veniunt et moniales pariter in civitate degentes. S. R. C. 22 Aug. 1744.*

146. *Tibia non est reliquia insignis. S. R. C. 5 Junii 1662. Vide num. 71 et 104.*

147 *Missa votiva cantata de B. M. V. potest celebrari in die dominico, ratione concursus populi. S. R. C. 20 Novemb. 1662. In die dominico, non privilegiato, vel in quo non incidit festum primæ vel secundæ classis. Pariter dici nequit infra octavas privilegiatas. Vide num. 108. In hac missâ dicuntur Gloria et Credo. S. R. C. 16 Junii 1665.*

148. *Cruz parva cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum in altari, non est sufficiens in missa, sed poni debet alia cruz in medio candelaborum. S. R. C. 16 Jun. 1663. Intentio igitur Ecclesiæ est, ut in medio altaris cruz cum imagine Crucifixi adeò magna apponatur ut non tantum sit conspicua sacerdoti celebranti, sed et populo*

præsenti; in altari tamen, in quo adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia crux, dum celebratur missa. S. R. C. 16 Junii 1663. Imò juxta auctores sufficit imago Christi crucifixi in tabula altaris, modò sit ibi principale objectum. Quando autem est expositum SS. Sacramentum, relinquit S. R. C. 2 Sept. 1741, unumquemque in suo usu apponendi crucem, vel non; et non mirum; quia celebrans in casu expositionis, oculos infra missam debet tollere ad SS. Sacramentum, et satiùs est, ut populus adoret archetypum sub sacrificio, quàm ipsius nudam figuram.

149. *Missa solemnis de sancto Josepho, quando ejus festum incidit in feriam ij., iij. aut iv. majoris hebdomadæ, non potest cantari, etiam ob concursum populi, sed debet omitti, nec potest in illis diebus fieri processio in ejus honorem.* S. R. C. 4 Aug. 1663. A fortiori nec ultimo triduo, nec dominicà Paschæ, cum duobus diebus sequentibus. *Rubr. miss. de transl. fest. n.º 1.*

150. *Passio in missis privatis legi debet à celebrante in cornu evangelii.* S. R. C. 4 Aug. 1663. Pariter et in cantata, si fortè in ea passio simpliciter legatur, et tunc inchoari non debet, nisi tractus sit absolutus.

151. *Hebdomadarius in decantandis in choro Horis canonicis, et sua officia peragens, non debet uti stolá.* S. R. C. 4 Aug. 1663. Idem sit judicium de aliis officiantibus.

152. *Cruces, quæ fiunt à sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in tranversa parte crucis.* S. R. C. 4 Aug. 1663.

153. *Manus sacerdotis ad hanc igitur debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super sinistrum in modum crucis super manus, non verò infra manus.* S. R. C. 4 Aug. 1665.

154. *Pars inferior hostiæ præcidi debet, non autem superior, quando dicitur: pax Domini sit semper vobiscum.* S. R. C. 4 Augusti 1663.

155. *In die commemorationis omnium fidelium defunctorum, sacrificia possunt à sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquibus tantum.* S. R. C. 4 Aug. 1665. Hic notari potest et debet, quòd in altari in quo expositum est SS. Sacramentum, non liceat celebrare missam de *requiem*, sivè privatam, sivè solemnem; imò si sit expositum ob publicam causam, nec liceat tales missas legere in aliis altaribus. Ita S. R. C. 7 Maii 1746. In die obitûs, in die anniversario 3.<sup>o</sup>, 7.<sup>o</sup> et 30.<sup>o</sup> (hi dies numerentur à die obitûs vel sepulturæ. S. R. C. 25 Aug. 1766) in missis, tum privatis, tum solemnibus, unica dicitur oratio cum prosa *Dies iræ*. In aliis missis, nisi solemni-ter cantentur et cum concursu populi, tres dicuntur orationes, quarum prima conveniens personæ, pro qua celebratur, secunda est in libitu sacerdotis, pro patre vel matre, aut alio. S. R. C. 2 Sept. 1741, et tertia semper *fidelium*; quando autem tres dicuntur orationes, prosa ponitur ad nutum celebrantis.

Si post missam de *requiem* vel aliam ex fundatione debeat recitari psalmus *De profundis*, vel quid simile, sic statuit S. R. C. sub data 31 Aug. 1669: *quando adest legatum, quòd sacerdos antequàm discedat ab altari, recitet aliquod*

*evangelium, psalmum seu orationem post terminatam missam, debet oneri sibi injuncto satisfacere post finem missæ, exutis vestibus sacerdotalibus, et cum sola cotta in altari, vel in sacristia, sic legatum adimplere. Ratio hujus est, ne dictæ preces videantur ingredi substantiam missæ. Undè inferes à fortiori infra missam non esse interponendas preces pro defunctis vel aliis de causis. Vide num. 170.*

156. *Recitantes ex legitima concessione officium SS. corporis Christi in quâlibet feriâ v. per annum non impeditâ festo novem lectionum, illud persolvere debent ut in die ejusdem solemnitatis : missam verò debent celebrare, quæ est votiva de SS. Sacramento. S. R. C. 12 Julii 1664. 1. Dicitur feriâ v. non impeditâ festo novem lectionum, subintellige etiam translato; dum autem occurrit cum dicta feriâ officium ad libitum, in illo casu licet unum vel aliud recitare, sed casu quo fiat de Venerabili, illo anno omittitur officium ad libitum. Ita S. R. C. 24 Januarii 1682. 2.º Tolli debet ex officio extra tempus Paschale, alleluia ab antiphonis, responsoriis et versiculis, et tempore Paschali psalmi nocturnorum leguntur sub una antiphona. S. R. C. 10 Decembris 1740, et rub. brev. Dicitur deindè : missam vero... quæ est votiva, cum Gloria in excelsis, sine prosa et Credo S. R. C. 26 Aug. 1752.*

157. *Secundæ Vesperæ de die octava non privilegiata concurrentes cum primis Vesperis festi dup., debent dimidiari, et fieri à capitulo de festo sequenti. S. R. C. 12 Julii 1664. Octavæ privilegiatæ sunt illæ, quæ tribuuntur festis Domini, quibus jam annumeratur festum dedicationis ecclesiæ, de-*

creto S. R. C. 27 Martii 1779. Item privilegiatæ sunt octavæ B. M. V., adeòque dum dies octava dictorum festorum concurrat cum duplici, integras habet utrasque Vesperas, et quidem dies octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et corporis Christi in concursu cum dup. maj. *rub. gen. brev. de concurr. off. n.º 7*. At dies octava dedicationis ecclesiæ et festorum B. M. V. integras tantùm habent Vesperas in concursu cum dup. min., non autem dum concurrunt cum dup. maj. Hoc enim habet Vesperas integras cum commemoratione diei octavæ dedicationis, seu B. M. V. *Rub. sup. citata, et S. R. C. 11 Augusti 1691*.

Dies tandem octava aliorum festorum, (etiam angelorum et apostolorum ex decr. S. R. C. 16 Febr. 1781.) dimidiant Vesperas. cum. dup. min.

158. *Lectiones primi nocturni in officio de festo dup. maj. sumendæ sunt ex ejus communi, si ex concessione non habeantur propriæ*. S. R. C. 12 Julii 1664. Adeoque poni non possunt de Scriptura occurrente.

159. *In missis de Beatis quæ sub ritu dup. maj. celebrantur non debet dici Credo*. S. R. C. 12 Julii 1664. Nec etiam in missis Sanctorum, licèt sint patroni secundarii; pariter nec in missis festorum secundariorum patroni principalis, v. g. in diocesi Leodiensi in missis translationis et triumphis S. Lamberti. Excipe tamen ecclesias in quibus conservatur reliquia insignis; ratione enim illius *Credo* poni debet. Ita expressè S. R. C. 1 Decembris 1742 et 22 Aug. 1744. Vide num. 71, 104 et 146.

160. *Dignior sacerdos ad quem spectat candelam, cineres et palmam sacerdoti celebranti in die Purificationis, in feria iv. cinerum, et in dominica Palmarum ministrare, debet ab eodem celebrante supradicta accipere stans, non verò flexis genibus.* S. R. C. 30 Augusti 1664. Præsens decretum tantum valet pro canonicis ecclesiæ cathedralis et collegiatæ, non verò pro aliis, qui decisione S. R. C. 14 Feb. 1705, dicta recipere tenentur flexis genibus.

161. *Quando exponitur Sacramentum in altari pro initio 40 horarum, vel spiritualium exercitiorum, si accidat in festo j. vel ij. classis, sive in dominica privilegiata j. vel ij. classis, tunc in collegiatis, vel duæ cantentur missæ, una de festo seu de dominica post Tertiam, altera votiva de Sacramento post Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione SS. Sacramenti.* S. R. C. 13 Feb. 1666. Vigore hujus decreti in ecclesiis collegiatis satisfit menti Ecclesiæ sub precibus 40 horarum celebratione solius missæ diei præfatis diebus, et celebratio secundæ relinquitur eorum devotioni. Verùm Clem. XI et XII, in constit. 40 horarum 1 Sept. 1736, quæ incipit: *Essendo state*, prohibent ne in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, præfatis diebus dominicis et festivis, insuper et feria iv. cinerum, ij., iij. et iv. majoris hebdomadæ per totam octavam Paschæ, Pentecostes et Epiphaniæ, in vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes duæ missæ cantentur (etiam, inquit *Talu*, ubi adest onus cantandi plures missas quotidie), sed tantum una, nempe de die cum commemoratione missæ votivæ unita per modum unius collectæ diei. Equidem hæc constitutio,



solam urbem Romanam afficere videtur, sed illam extendit S. R. C. 22 Aug. 1744, his verbis: *instructio pro oratione 40 horarum Romæ jussu fel. record. Clem. XI, primùm edita extra Urbem non obligat; laudandi tamen sunt qui se illi conformare student, nisi aliud ab ordinario locorum statutum sit.*

162. *Nulla disparitas adest inter translationem festorum apostolorum, et illam evangelistarum, sed occasione dictæ translationis faciendum officium, quod prius in calendario proponitur.* S. R. C. 18 Sept. 1666. Idem confirmavit 11 Julii 1706. In casu translationis sancti Marci, simul et SS. Philippi et Jacobi dando præferentiam S. Marco.

163. *Missa votiva, dum celebratur pro re gravi de aliquo Sancto, semper dici debet cum Gloria et Credo, et cum colore, quo utitur in festo cujus missa celebratur.* S. R. C. 13 Aug. 1667. Excipe missam votivam SS. Innocentium, quæ cum colore rubro celebrari debet: *Ita Merati, cui concordare videtur rub. miss. xvij. de coloribus, n.º 3.*

164. *Nemini licet facere octavas pro defunctis, sine speciali indulto Sedis apostolicæ, neque intuitu alicujus altaris privilegiati in aliqua ecclesia licet exponere tabellam super januam ipsius ecclesiæ cum inscriptione: Indulgentia per li morti, sed tantùm super ipso altari privilegiato consuetis verbis: altare privilegiatum pro defunctis.* S. R. C. 13 Augusti 1667. *Octavas nempe solemnes, et cum magno apparatu, v. g. cum cantu missæ de requiem diebus festivis in duplicibus; undè nil obstat quominus sacrificium et preces offerantur per octiduum pro defunctis sine læsione rubricarum hoc est, modò non cantentur missæ de requiem dictis*

diebus festivis et in duplicibus; sub precibus autem vespertinis, si habeatur expositio, licet in pyxide, tapetes nigri coloris in altari non inveniuntur, pariter nec ministri paramentis nigris uti possunt.

165. *Decretum de non exponenda imagine S. Antonii de Padua in habitu Capucinatorum, sed Conventualium, habet tantum locum in sacrario et ecclesia metropolitana Neapolis, et non ubique.* S. R. C. 21 Julii 1668.

166. *Missa S. Crucis non debet ullo modo celebrari die veneris infra octavam Nativitatis Domini, non obstante quacumque prætesa consuetudine illam celebrandi singulis diebus veneris infra annum, et signanter infra octavam supra dictam.* S. R. C. 12 Januarii 1669.

167. *Missa Conceptionis immaculatæ B. M. V. et continuatio quâlibet die sabbati ex particulari populi devotione, et ex quo sit patrona loci, non conceditur, sed ejus loco permittitur missa de S. Maria in sabbato, dummodò non sit impedita ab aliis festis dup. seu semid. S. R. C. 20 Julii 1669. ab aliis festis dup. etiam translatis, seu semid., nempe occurrentibus infra octavas privilegiatas, quas vide num. 183. Cæterum in locis et diebus, in quibus non legitur officium Conceptionis, si in sabbato occurrat officium semid., legenda est missa ex votivis B. M. V., quæ habentur in fine missalis. Idem dic de missa fundata in memoriam Annuntiationis, Assumptionis, etc. ejusdem B. M. V. Ita S. R. C. 29 Januarii 1752. Excipe missam votivam 7 dolorum; missale enim sub ejus festo tradens quid agendum, quando extra diem legitur, supponit apertè missam hujus*

festi votivam legi posse. Quibus diebus cantari possit in sabbato missa votiva B. M. V. vide num. 108.

168. *Privilegium Alexandri VII, die 22 Januarii 1667, circa missas de festo dup. in altaribus perpetuò privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliqua vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiatis, ac proindè missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo missæ defunctorum celebrari non possunt, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragantur, ita ut animæ Christi fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessa consequantur in omnibus et per omnia, perindè ac si missæ defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuissent.* S. R. C. 20 Julii 1669.

169. *Missæ B. M. V. sub invocatione 7 dolorum feria vj. infra hebdomadam passionis ab iis, qui gaudent hujusmodi indulto, debet recitari cum Gloria Patri ad introitum, et cum psalmo judica me Deus ad Confessionem, sed sine Gloria in excelsis.* S. R. C. 31 Aug. 1669. *Sed sine Gloria in excelsis.* Ex decreto tamen posteriore Bened. XIII, die 22 Aug. 1727, dicitur cum *Gloria et Credo.*

In missa votiva omitti debet prosa ex rubrica appendice ad hanc missam.

Quando concurrit hoc festum cum Annuntiatione B. M. V., Vesperæ ponuntur de Annuntiatione, sine commemoratione 7 dolorum. Dec. S. R. C. 5 Sept. 1672.

Dum occurrit officium 7 dolorum cum festo altioris ritûs, transfertur in sabbatum sequens,

modò non sit impeditum festo similiter ritùs altioris : *Ita dec. mox citatum.* In hoc autem supposito eo anno omittitur officium 7 dolorum, quia non congruit fieri festivo tempore Paschali. *Ex decr. S. R. C. 20 Mart. 1683.*

170. *Quando adest legatum quòd sacerdos antequam discedat ab altari, recitet aliquod evangelium, psalmum, seu orationem post terminatam missam, debet oneri sibi injuncto satisfacere post finem missæ, exutis vestibus sacerdotalibus, et cum sola cotta in altari vel in sacristia et sic legatum adimplere.* S. R. C. 31 Aug. 1669. *Cum cotta, seu rocchetto, cujus usum suadet rubrica sub vestibus sacris; sed cum id negligatur in his partibus, debent sacerdotes tale legatum cum sola vesti talari adimplere absoluto præviè cantico benedicite, etc.; idque non obstante dispositione contrariâ fundatoris, quæ ut nulla haberi debet, utpotè apposita contra mentem Ecclesiæ: porrò ratio hujus decreti est, ne devotione indiscretâ fidelium aliquid tandem substantiæ sacrificii admisceatur, prout accidit olim respectu evangelii sancti Joannis.*

171. *Missam in altari majori, ubi est expositum publicè SS. Sacramentum, non licet celebrare, præsertim si in ecclesia adsint alia altaria, in quibus celebrari possit.* S. R. C. 9 Aug. 1670. *Excipe missam pro exponendo et reponendo SS. Sacramentum sub precibus 40 horarum.* *Ita const. Clem. XI, et S. R. C. 15 Junii 1671.* Id strictè Romæ servatur, et utinam ubique ad majorem uniformitatem.

172. *Missæ cantatæ mortuorum infra octavam corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsentè corpore.* S. R. C. 12 Sept. 1671.

173. *Si festum simp. occurrerit eo die, quo fit de dup. infra eandem octavam corporis Christi, tunc legitur nona lectio de eodem festo simp.* S. R. C. 12 Sept. 1671. Omittitur autem dicta lectio nona dum fit officium de Venerabili infra octavam dicti corporis Christi; non tamen in officio ejus votivo seu hebdomadali.

174. *Sac. Cong. censuit in futurum officia SS. ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti dominico, aut aliquo die festorum mobilium.* S. R. C. 20 Decembris 1673. Omitti igitur debent in illis casibus, non obstante decreto anteriore sub data 18 Julii 1671, quo translatio præcipiebatur.

Circa præsentem materiam notanda sunt sequentia : 1.º Diebus infra quamlibet octavam impediri officium ad libitum, uti in dominicis et festis. *Ita S. R. C. 24 Januarii 1682.* 2.º Si festum ad libitum habeat ritum simplicis, ut festum S. Remigii 1 Octobris, si poni non possit officium illius ad libitum, illud celebrari saltem sub ritu simplicis. *S. R. C. 13 Junii 1682.* 3.º Si festum ad libitum occurrat cum officio translato, vel cum votivo hebdomadali, ad nutum poni potest unum vel aliud. *S. R. C. 24 Jan. 1685.* Tandem semel et pro semper assignare potest ordinarius diem non impeditam extra dominicam et octavas SS. *festis SS. ad libitum non immutatâ tamen lege SS. ad libitum.* S. R. C. 7 Maii 1746.

175. *Celebrans in missa solemnî procedere debet ad præparatam sedem aperto capite, et ita regredi ad altare, quando sedere debet, dum cantatur hymnus angelicus et symbolum apostolorum, sed ad illa verba quæ cantantur in choro, et ad quæ fieri debet*

*inclinatio, tenetur se inclinare nudo capite, non obstante contrariâ consuetudine. S. R. C. 21 Martii 1676. Se inclinare inclinatione capitis profundâ; idque locum habet sub versu et incarnatus est, etc.; exceptis tribus missis Nativitatis Domini, et missa Annuntiationis B. M. V., quibus ad-  
jungi debet, juxta Merati et alios, missa Aurea, sub quibus celebrans et ministri flectunt in altari duobus genibus, capite profundè inclinato. Ratio hujus est, quòd in his missis specialitèr recolatur mysterium incarnationis VERBI. Finaliter notandum exposito sanctissimo Sacramento locum non habere sessionem, nec licere ad illam velare vel occludere SS. Sacramentum; stabunt ergo celebrans et ministri sub cantu Gloria et Credo in altari.*

176. *In benedicendo populo cum SS. Sacramento iste modus approbatur, nimirum cum sacerdos stat ante populum, ostensorium ante pectus tenet, tunc elevat illud decenti mora, non supra caput, sed tantum usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum rectâ lineâ illud tollit usque ad pectus, et exindè ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dexterum, et versus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes mundi partes cruce, et Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet; tunc gyrum perficiens collocat ostensorium super altare. Servari potest alius modus descriptus in cær. episc. lib. 2. cap. 33, ubi requiritur tantummodò, ut cum eodem Sacramento celebrans producat signum crucis. S. R. C. 21 Martii 1675. Modus benedicendi suprâ positus à S. R. C. ubique jam servatur; excepto quòd sacerdos post benedictio-*

nem se convertat ad altare per suam sinistram, quod non improbatum à cær. episc. et consequenter retineri potest. Ex eodem cær. loco citato collige benedictionem cum SS. etiam in pyxide dandam esse in silentio absque verbis.

177. *In exequiis parvulorum in feria v. in cæna Domini, et in feria vj. et sabbato sancto majoris hebdomadæ potest omitti Gloria Patri in psalmis qui dicuntur pro conformitate temporis. S. R. C. 16 Jan. 1677. Et sabbato sancto, subintellige usque ad missam.*

178. *Habetur in aliquibus ecclesiis reliquia insignis alicujus Sancti, qui cum socio est in corpore brevissimi, et uterque habet festi simp. ritum, veluti contingit in festo SS. Gervasii, et Protasii, quorum duæ lectiones vitam, amborumque mortem enarrant: in quo casu, si lectiones disjungi commodè possunt, legenda est de Sancto, cujus fit officium dup. propter reliquiam insignem in ij. nocturno, et hæc erit quarta lectio: quinta et sexta sumendæ sunt de communi; altera verò lectio disjuncta poni poterit pro nona lectione in iij. nocturno tamquàm de Sancto simp. de quo etiam debet fieri commemoratio ad laudes. Si verò non possunt commodè disjungi, ponenda est in ij. nocturno pro quarta et quinta lectione, et sexta legenda est de communi, et in hoc casu lectio nona pro simp. non est repetenda; fieri tamen debet de eo commemoratio. S. R. C. 16 Jan. 1677. Vide num. 51, 71, 104 et 146.*

179. *In aspersione aquæ benedictæ, quæ fit diebus dominicis à sacerdote albâ et stolâ induto sive etiam cum pluviali, immediatè celebraturo missam conventualem, stola est aptanda ante pectus in modum crucis; non verò ad utrumque latus pendens à collo.*

S. R. C. 30 Sept 1679. Sic in omni casu, in quo sacerdos fungitur suo officio albâ indutus, est aptanda. Vide num. 105.

180. *Sacerdotes, in die cœnæ Domini SS. corpus Christi sumpturi, possunt deferre stolam ante pectus in formam crucis accommodatam, vel à collo pendentem.* S. R. C. 30 Sept. 1679. Hoc decretum à PP. Capucinis exquisitum ad solos religiosos cinctos spectari videtur, quia illi soli cum cinguli extremitatibus commodè stolam in modum crucis adaptare possunt. Alii igitur omnes juxta cær. episc. lib. 1. cap. 25, *stolam à collo pendentem supra cottum*, seu rocchettum vel superpelliceum, si eo sint induti, *habere debent.* Color stolæ debet esse albus in illo die, quia talis est color officii. Sacerdotes et alii clerici in suo ordine, nempe diaconi sine stolis transversis, tum subdiaconi, etc. accedunt pro sumenda communione ad gradus altaris, aut saltem illam recipiunt intra sepi-mentum, seu in choro prope altare. Magistratus et nobiles etiam ibidem communicare possunt, sed in loco ab altari magis remoto; idque in honorem ministrorum ecclesiæ. Tandem alii omnes communicandi sunt in mensa communionis, nec admitti debent ad hoc intra sanctuarium non tantum mulieres, sed nec et masculi; idque locum habet in omni casu etiam extra diem cœnæ. Ratio hujus est, quòd sanctuarium sit reservatum solis presbyteris et aliis ministris ecclesiæ; indèque *presbyterium* dicitur: undè instructio Romana, Sess. 25. c. 8. interdicit omnibus laicis ingressum presbyterii. Quòd si sanctuarium non sit cancellatum, laici in illo supposito sunt communicandi in loco, ubi cancelli solent locari, Ministris ec-



clesiæ hîc adnumera laicos in habitu exercentes officia minorum ordinum, imò et missæ inservientibus sine habitu; cùm enim, inquit *Cavalieri*, admittantur intra presbyterium, in eo pariter ad communionem admitti possunt.

181. *Festum dup. occurrens ante octavam non privilegiatum, si est transferendum, transferri debet in diem infra octavam.* S. R. C. 50 Sept. 1679. In primam nempe non impeditam festo dup. vel. semid.

182 *Cùm in dominiis imperio subjectis recitetur ex indulto apostolico officium proprium SS. Angelorum custodum in dominica prima Septembris cum octava, non est de eis recitandum etiam die 2 octobris cum Ecclesia universali.* S. R. C. 50 Sept. 1679. Idem pari ratione dicendum de officio 7 dolorum B. M. V. quod alii celebrant feria vj. infra hebdomadam passionis, alii dominicâ tertiâ Septembris.

183. *De festo translato, faciendum est officium die immediatè sequenti, etiam si adsit aliud ejusdem dignitatis festum priùs translatum.* S. R. C. 50 Sept. 1679. Hoc decretum et aliud illi consonans sub eadem data reformantur sequenti decreto posteriore. *Officia translata quæ tantum sint ejusdem ritus et dignitatis, reponuntur non die immediatè sequenti liberâ, sed juxta ordinem translationis, ut scilicet priùs celebretur officium ab antea translatum, deindè fiat de alio secundo loco translato, et sic successivè. Ab hac tamen regula excipitur semid. occurrens in festo habente octavam, vel in dominica infra octavam, vel in festo dup. infra octavam: quod semid. in præfatis tribus casibus, transfertur in diem immediatè sequentem, in qua agendum esset de octava, protrahendo ad*

*aliū diem non impeditam aliud quocumque dup., etiam primæ classis prius translatum. Et decretum quoad semid. occurrens cum festo dup. infra octavam non privilegiatam, datum die 30 Septemb. 1679, declaratur verum, non apocryphum. S. R. C. 2 Sept. 1741. Ex hoc decreto et alio superiore num. 181, sequentia colligi debent. 1.º Officium dup. translatum locum habet infra octavas non privilegiatas; porrò octavæ non privilegiatæ sunt omnes, exceptis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et corporis Christi. 2.º Quando sunt plura officia simul translata, si sint ejusdem ritûs et dignitatis, primum diem non impeditum occupat officium à longiori data translatum et sic successivè alia. Si verò non sint ejusdem ritûs, nullâ habitâ ratione ad tempus translationis, 1.º loco fit de festo primæ classis, deindè secundæ classis, 3.º de duplici majori, 4.º de duplici minori, tandem de semiduplici. Dictum est *et dignitatis*, quia si sint plura festa translata ejusdem ritûs, sed non ejusdem dignitatis, festa majoris dignitatis sibi primum vindicant in eorum repositione. Hinc festa Domini translata primam diem non impeditam occupant, etiamsi sint alia ejusdem ritûs (non superioris) translata. 2.º Officia B. M. V. præ aliis omnibus Sanctis. 3.º Officia Angelorum. 4.º S. Joannis Baptistæ et deindè S. Joseph. 5.º Apostolorum præ aliis omnibus, qui censentur ejusdem dignitatis; si tamen inter festa translata ejusdem ritûs et dignitatis, unum celebretur cum solemnitate, id est, cum aliqua pompa et apparatu, officium illius celebrari deberet primo die non impedito, postpositis aliis trans-*

latis ejusdem ritûs. Quòd si festum aliquod, non ex accidenti sed quotannis impediatur alio festo cum eo semper occurrente, tunc transfertur ad primam diem non impeditam, etiam infra octavas, et in hoc casu dies illa fit illi fixa et propria in perpetuum; hocque verum est, non solum de duplici, sed et de semiduplici, juxta sequens decretum: *an festa perpetuò translata etiamsi sint semiduplicia, transferri possint in dies infra octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de octava, tamquàm in dies proprias? Responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 7 Decembris 1743. Nota hic quòd si festum perpetuò translatum, habeat festum in populo, et affixas indulgentias, hæc simul transeant ad diem illius fixam. Vide seq. decr.

184 *Translato festo, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia.* S. R. C. 30 Septembris 1679. Super eadem materia exstat aliud conceptum clarius his verbis: *translato festo unicè quoad officium, non transfertur indulgentia tali festo concessa.* S. R. C. 16 Sept. 1741. Indèque inferri potest: ergò dum aliquod festum transfertur quoad officium simul et feriationem, secum trahit indulgentias, et ita tenent *Merati, Cavalieri, Talu, Guyetus, Reiffenstuel et Sylvius*; adducitque *Merati* in hujus confirmationem decr. S. C. indulgentiarum sic conceptum: *quòd si transfertur festum quoad feriationem et officium, transfertur etiam indulgentia, si verò quoad officium tantum, non transfertur indulgentia.* 2 Julii 1674. Vide num. 60.

185. *Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius religionis alteri facta non se extendit ad officia Sanctorum.* S. R. C. 16 Dec. 1679.

186. *Occurrentibus eodem die tribus officiis ejusdem ritus, quorum unum est de ordine, aliud de calendario Ecclesiæ universalis, et aliud de aliquo Sancto, cujus habetur reliquia insignis in propria ecclesia, faciendum est officium de digniori, seu solemniori, quæ verò sunt minoris dignitatis, seu solemnitatis transferenda sunt.* S. R. C. 7 Decembris 1680. Quando sunt ejusdem ritus et dignitatis sic statuit S. C.: *in occurrentia festorum ejusdem ritus, et aliàs quomodocumque parium talis ordo servetur, ut primum locum habeat officium ecclesiæ particularis, secundum ordinis, tertium diœcesis, quartum nationis, quintum ecclesiæ universalis.* S. R. C. 23 Junii 1736. Hic tamen ordo locum non habet in repositione festorum translatorum, uti declaravit S. C. his verbis: *pro translatione festorum talis ratio habeatur, ut prius fiat officium de prius descripto in calendario, nullo habito respectu, quòd officium translatum sit ecclesiæ particularis, ordinis seu religionis, diœcesis, nationis et ecclesiæ universalis.* S. R. C. 5 Maii 1736.

In supposito autem concursus duorum officiorum undequaque parium, tunc videtur ordo sequendus litaniarum omnium Sanctorum. Undè si occurrat martyr cum confessore, ponitur officium martyris, translato officio confessoris. Si tandem occurrant duo martyres, vel confessores, etc. omninò pares, pro libitu dari poterit uni vel alteri præferentia.

187. *Occurrentibus eodem die infra octavam corporis Christi duobus festis dup., non est de translato agendum die immediatè sequenti non impedita, sed post prædictam octavam.* S. R. C. 7 Decembris 1680. Excipe nisi translatum sit primæ vel secundæ classis.

188. *An officia Sanctorum, quæ de mense Decembri aliquando supersunt, fieri possint in prima die non impedita sequentis anni? Responsum fuit transferri posse. S. R. C. 7 Decembris 1680. Verùm hæc sanctio jam fallit, utpotè reformata hoc posteriori decreto: an Sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno sint omittendi? S. eadem R. C. ad relationem Emin. et Rev. Dom. Cardin. Belluga respondit: Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc illo anno, diebus eorum propriis considerandos esse tamquàm Simples, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semid., cum nona lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum lectionibus propriis ij. nocturni ad modum unius: et ita declaravit et servari mandavit S. R. C. 26 Novembris 1755. (\*) In toto anni discursu computandi, non ab adventu, sed à Calendis Januarii. Deindè per Sanctos intellige etiam eos, qui sub ritu duplicantur. Tandem per hæc verba: *Ut fit in semid.* innuitur, quòd eorum commemoratio fieri debeat in vesperis, laudibus et missa ante commemorationem feriæ majoris, vigiliæ et simplicis.*

189. *Occurrente officio 9 lectionum plurium SS. virginum et martyrum cum alio simp. ejusdem qualitatis, pro commem. simp. servanda est antiph. Istarum est enim, ut in festo SS. Perpetuæ et Felicitatis virg. et mart. die 7 Mart. S. R. C. 7 Decembris 1680.*

190. *Dies octava cujuslibet festi, quia non transfertur, excludit, et transferri facit quodlibet festum*

(\*) Consule decretum generale 15 Mart. 1804.

*dup., sive majus, sive minus, solisque cedit festis solemnioribus j. vel ij. classis, nisi sit octava privilegiata, qualis est octava Epiphaniæ, de qua in rub. generalibus. S. R. C. 1 Martii 1681.*

191. *Pro festo S. Mathiæ apost. decisum fuit, quòd in anno bissextili propria dies sit 25 Feb. quæ aliàs est 24; ita ut si alicubi habeatur assignata dies 25 pro aliquo Sancto minoris ritus et dignitatis, iste sit transferendus illo anno in proximè sequentem diem non impeditam. Nunc quæritur: an idem intelligi debeat de aliis Sanctis, seu officiis occurrentibus in tribus sequentibus diebus Februarii? Responsum fuit affirmativè. S. R. C. 1 Martii 1681.*

192. *Festum Purificationis B. M. V. quando occurrit in dominicis privilegiatis, nisi sit titulus ecclesiæ, quoad officium et missam in sequentem diem transferendum est. S. R. C. 9 Aug. 1681. In sequentem diem, modò non sit impedita officio altioris ritus, prout declaravit S. R. C. 20 Julii 1748. Dum autem transfertur officium Purificationis, semper et in omni casu antiphona Ave Regina cælorum ponenda est 2 Feb. post Completorium. Ita S. R. C. 11 Jan. 1681.*

193. *Dies 5 Feb. non potest assignari alicui Sancto dup. vel semid. semper translato pro ejus certa et perpetua sede. S. R. C. 9 Aug. 1681. Idque ut officium Purificationis translato ibi locum invenire queat, vide decr. præcedens.*

194. *Qui habent privilegium celebrandi octavas in quadragesima, occurrente die infra octavam in feria iv. cinerum nullam debent facere commemorationem de octava neque in laudibus, neque in missa. S. R. C. 24 Jan. 1682. Si dies octava dup. oc-*

currat in feria iv. cinerum, cessat octava post Nonam feriæ iij, quia inchoari nequit officium diei octavæ, quod perfici non potest; ita omnes auctores, quibus consonare videtur sequens decretum 23 Junii 1736. *In 1 Vesperis facienda est commem. de die infra octavam, quando octava celebratur post dominicam passionis, secùs autem, si dies octava incidat in eandem dominicam passionis; quia propter dominicam privilegiatam cessat octava: adeoque ante Vesperas.* Si verò occurrat in feria iv. cinerum dies infra aliquam octavam, difficultas est circa terminum officii octavæ. Cærimonast. lib. 4. cap. 5. n. 5., habet terminandum esse, ut suprà post Nonam; sed *Merati, Cavalieri* et alii passim tenent terminandum esse post completorium: et sanè, si semid. incidens in feriam iij. ante cineres, habeat 2 Vesperas, quidni etiam dies infra octavam? cùm officium feriæ iv. sequentis incipiat tantùm ad matutinum, ita ut nihil obstet 2 Vesperis diei infra octavam. Eodem modo cessant octavæ 17 Decemb., pridie vigiliæ Pentecostes, et respectu privilegiatorum sabbato ante dominicam Passionis.

195. *Debent religiosi recitare sub ritu dub. primæ classis, et cum octava de dedicatione et de titulari propriæ ecclesiæ, ubi morantur: et sub eodem ritu dup. primæ classis tenentur recitare de patrono principali loci, et de titulari ecclesiæ cathedralis tantùm; ad octavam autem non tenentur (id est, non possunt, prout declaravit S. R. C. 20 Martii 1683) juxta pluries resoluta. De aliis autem patronis minùs principalibus non tenentur recitare, nisi sint descripti in calendario Rom., vel in dictorum religiosorum proprio. Cæterùm de officiis.*

quæ ab apostolica sede concessa sunt, vel concedentur, recitanda ad libitum à toto clero tam sæculari, quam regulari in toto regno, provincia, diœcesi, vel loco, in quibus dicti religiosi morantur, possunt quidem ad libitum de illis recitare, sed si aliquid ipsorum occurrat in die, in eorum calendario impedita à festo 9 lectionum, debent illud omittere, et recitare de Sancto in eorum calendario occurrente ad formam decreti declarativi alterius decreti de Sanctis ad libitum non transferendis emanati die 24 Januarii 1682., quod omninò observari debet.

S. R. C. 15 Junii 1682. Ex hoc decreto et nonnullis in præsentī materia, sequitur 1.º Regulares, sub quibus veniunt moniales, teneri ad celebrandum, ut suprà, officium patroni regni, in quo degunt, si detur. 2.º Provinciæ, seu patriæ. 3.º Civitatis, seu oppidi, in quo commorantur. Sed quid de patrono parochiæ, sub qua vivunt? Si patronus sit tantum titulus, id est, si non habeat festum in populo, certum est regulares non teneri ad illius officium. Ita declaravit S. R. C. PP. Capucinis intra Leodium 28 Augusti 1706, his verbis: *quamvis PP. Capucini conventus Leodiensis ex consuetudine plusquam centum annorum soleant facere officium duplex majus de S. Servatio episcopo 15 Maii: quia est patronus principalis parochiæ in qua morantur, et est festum devotionis in populo; nihilominus declaratum et decisum fuit, non licere prædictis PP. Capucinis continuare recitationem dicti officii, nec in alium diem transferre, quando ab alio majori festo contingit esse impeditum. Si verò habeat festum in populo, videtur patronus loci; adeoque regulares intra locum commorantes teneri videntur ad recitationem illius*



officii sub ritu duplici primæ classis, sine octava, et à fortiori capellani sæculares sub eodem loco degentes. Sed obstat sequens decretum: *an sub nomine patroni loci, de quo juxta bullam Greg. XIII, regulares tenentur recitare officium sub ritu dub. primæ classis, veniat etiam patronus parochiæ in qua commorantur? S. R. C. respondit negativè 14 Feb. 1705.* Quoad pastorem, qui regit duas parochias simul unitas, utriusque ecclesiæ festum patroni et dedicationis, celebrare debet sub ritu primæ classis cum octava. *Ita S. R. C. 5 Jul. 1698.* Non potest tamen legere officium, nec facere octavas patronorum et dedicationum capellarum sibi subditarum, sed capellanis illis deservientibus id reservatur.

196. *Quando contingit transferri festum alicujus Sancti confessoris à die sui obitus in diem proximè sequentem, si fiat à capitulo de ipso, tunc in suis primis vesperis dicitur in hymno: Meruit beatas scandere sedes, et in reliquo officio diei sequentis debet continuari idem versus. S. R. C. 13 Junii 1682.* Quando autem officium confessoris fit cum octava, et transfertur infra suæ octavam, reliquis octavæ diebus versus non mutatur, quia tota octava est extensio ipsius festi. *Ita S. R. C. 2 Septembris 1741.*

197. *Regulares possunt et debent recitare officia ad petitionem regum et principum recitari concessa in aliquibus regnis, provinciis, ditionibus, etc. à toto clero tam sæculari, quàm regulari. S. R. C. 20 Martii 1683.*

198. *Si, urgente causâ, celebranda est missa votiva infra octavam, quæ habeat præfationem propriam, ac communicantes, in missa votiva debet dici præfatio conveniens; communicantes verò de*

*infra octavam, quia est proprium de illo tempore.*  
 S. R. C. 16 Junii 1685 *Præfatio conveniens, id est, propria votivæ, si talem habeat, aliàs de octava, vel de communi, aut de tempore si nec octava habeat propriam. Similiter si feria v. vel sabbato, ubi fit officium votiv. de SS. Sacramento, vel de Conceptione B. M. V. celebretur missa votiva, dici nequit præfatio propria illis officiis, sed communis vel de tempore, verb. g. quadragesimalis vel Paschalis, vel de octava, infra quam celebratur: ita ex decreto S. R. C. sub data 2 Decemb. 1684. Quod vide num. 212. Dum autem fit votiva non habens præfationem propriam in die dominico extra quadragesimam et tempus Paschale, dici debet præfatio SS. Trinitatis, quia jam illis diebus est præfatio de tempore.*

199. Dubio sibi proposito circa invitatorium: *hodie si vocem Domini audieritis, etc.*, tempore passionis in quadragesima, sic respondit S. R. C. 4 Julii 1685: *omissis Gloria Patri, etc. et nolite obdurare corda vestra, repeti debere integrè invitatorium: hodie si vocem Domini audieritis, etc. Repeti debere, id est, juxta Merati, Calvalieri et Talu, semel tantùm dici debere invitatorium integrum post versum, quadraginta annis, etc.*

200. *Receptio ad habitum et ad Professionem religiosam sub re gravi numerari non potest, ut ex consuetudine cantari possit missa votiva solemnis, etiam de Spiritu sancto in dominicis vel dup., et hic abusus omninò est derogandus. S. R. C. 24 Julii 1685. In semid. verò, simp., etc. cantari potest sine Gloria et Credo, et cum tribus orationibus, ut in missa privata. Idem dic de primitiis.*

201. *Modus benedicendi alios, vel rem aliquam,*

*debet esse cum manu recta, digitis simul junctis et extensis.* S. R. C. 24 Julii 1685. Hâc sanctione ad benedictionem oblatorum in missa, populi, vel cujuscumque rei, extendi debent quinque digiti, et sibi invicem uniri: excipe signa crucis post consecrationem, quæ formari debent pollice et indice unitis, tribus tantùm ultimis digitis extensis.

202. *Patena ad missam in extremitate seu ora (superiore) patenæ congruentiùs est osculanda.* S. R. C. 24 Julii 1685. Sic practicatur communissimè, et ad majorem uniformitatem ab omnibus praticari convenit.

203. *Dum dicenda sunt suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus vel pluribus patronis principalibus, facienda est commemoratio tantùm de patrono principaliori.* S. R. C. 20 Novembris 1685. Vide num. 117.

204. *Quando in indultis et decretis super concessione officiorum leguntur verba illa: recitari posse; fieri posse; ita intelligenda sunt, ut nihil significant præter officia ad libitum, quibus omninò competit decr. die 24 Jan. 1682, pro Sanctis ad libitum emanatum.* S. R. C. 20 Novembris 1685. *Nihil significant præter officia ad libitum, hoc est, quòd acceptari possint pro libitu, vel recusari; verùm dum semel sunt acceptata, cadunt sub præcepto; ita ut v. g. de dup. sub dicta licentia fieri debeat officium in die dominico, et casu quo dies sit impeditus, transferri debeat ad primum diem non impeditum: ita expressis verbis aliud decretum S. R. C. sub die 6 Sept. 1758.*

205. *Rubrica concedit usus planetarum complicatarum ante pectus diaconis et subdiaconis ministrantibus in missa solemnibus, in cathedralibus et*

*præcipuis ecclesiis, in diebus jejuniorum cum limitatione, ut ibi; in minoribus verò ecclesiis, ministris prædictis dat tantum usum albæ cum manipulo subdiacono, ac cum stola et manipulo diacono. S. R. C. 15 Jun. 1684. dicitur cum limitatione, quia sequentes exceptiones fiunt in missali, cap. 19. n.º 6. 1.º In ecclesiis minoribus, seu non cathedralibus, vel collegiatis, ministri assumere debent dalmaticas in vigiliis Sanctorum. 2.º Dominicâ tertiâ adventûs, et in missis, quæ infra ipsius hebdomadam resumuntur de dicta dominica tertia. 3.º In dominica quarta quadragesimæ. 4.º In vigilia Nativitatis. 5.º In vigilia et feriis quat. temp. Pentecostes. In benedictione autem candelarum, cinerum, et sabbato sancto sub prophetiis, nec sacerdos nec ministri manipulos assumunt: celebrans super albam accipit stolam, et, si detur, pluviale; non tamen in hujus defectu casulam; diaconus similiter stolam; subdiaconus verò ministrat in albis. In Parasceve sacerdos induitur manipulo, stolâ et casulâ nigri coloris, et hoc deficiente violacei; diaconus stolâ et manipulo; et subdiaconus manipulo. Eodem modo omnes vestiuntur Sabbato sancto et vigiliâ Pentecostes infra prophetias, excepto quòd color paramentorum sit violaceus.*

206. *In ecclesiis titularibus B. M. V. inter SS. suffragia, facienda est commemoratio B. V. M., non obstante quòd in choro recitetur ejusdem officium parvum. S. R. C. 17 Junii 1684. Commemoratio de B. M. V., nempè, per antiphonam communem: sancta Maria, etc. sive ecclesia sit dicata ejus Purificationi, Annuntiationi, Assumptioni, etc. ita expressis verbis S. R. C. 25 Aprilis 1695.*

207. *In festo SS. nominis B. M. V. non est facienda commemoratio de ejusdem Nativitate, et in 2 Vesperis de Nativitate cadentibus in sabbato, non est facienda commemoratio de prædicto SS. Nomine.* S. R. C. 23 Sept. 1684. Ex hoc decreto sequitur, in occurso et concursu duorum officiorum B. M. V. post Collectam officii, nihil esse faciendum de alio officio ejusdem B. M. V. occurrente vel concurrente.

208. *Qui recitat officium de Sancto, de quo habet insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebret eo die in alia ecclesia, debet omittere Credo.* S. R. C. 2 Decembris 1684. Vide num. 71.

209. *In missa privata de Sancto dup. vel semid., de quo tali die fit officium, potest quidem fieri commemoratio de SS. Sacramento exposito occasione 40 horarum, sed omittenda in festis primæ et secundæ classis.* S. R. C. 2 Dec. 1684. Hanc licentiam extendit eadem S. C. 7 Maii 1746, his verbis: *quando frequenter fiunt expositiones SS. publicè in majori altari, et præter missam solemnem dicuntur etiam missæ privatæ ad idem altare majus, an etiam in missis privatis ad altare majus, et ad alia altaria minora durante expositione SS. poterit fieri commemoratio de SS. Sacramento durante expositione?* Responsum fuit: *poterit fieri commemoratio de SS. Sacramento durante expositione, exceptis tamen, ut suprâ, festis primæ et secundæ classis. Dum autem missa cantatur coram SS. Sacramento in altari exposito, debet fieri (seu non potest omitti) commemoratio de eodem SS. Sacramento post omnes alias de præcepto, et in missis solemnibus tantum festorum primæ et secundæ classis facienda est sub unica conclusione.* S. R. C. 23 Junii 1756. Sub unica

*conclusionone*, quando scilicet duæ tantùm sunt orationes, quia si plures dentur, tunc ponitur ultimo loco ante secundam conclusionem, v. g. celebratur missa Specialis in die feriali quadragesimæ, vel in festo dup., conclusâ oratione missæ specialis, ponitur deinde oratio feriæ vel dup., et tertio loco de Venerabili sub secunda conclusionem; quòd si eo die occurrat dies infra octavam, vel semid. aut simp., seu vigilia, horum commemoratio omittitur, quia missa specialis habet ritum primæ classis, quæ tales commemorationes non admittit. Dum occurrunt in eadem missa oratio de Venerabili, et alia ab episcopo præcepta, v. g. *Deus refugium*, præponitur oratio de Venerabili, utpotè dignior.

210. *In missa privata de semid., simp., seu votiva, vel de infra octavam, sive de feria non privilegiata, potest in penultimo loco dici collecta pro particulari defuncto, putà inclina, vel Deus, qui nos patrem, etc. et similia; sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis, putà à cunctis, vel Ecclesiæ. S. R. C. 2 Dec. 1684.*

211. *Qui in sabbato infra aliquam octavam B. M. V. recitat officium de aliquo Sancto, eo die occurrente, volens celebrare missam votivam de B. M. V. tenetur quidem dicere missam votivam cum Gloria, sed sine Credo. S. R. C. 2 Decembris 1684. Cum Gloria, sed sine Credo: extra sabbatum omittitur etiam Gloria. Vide num. 57.*

212. *Qui in sabbato recitat officium de B. M. V. volens celebrare missam votivam de aliquo Sancto, non debet dicere Gloria, neque præfationem B. M. V., sed communem. S. R. C. 2 Decemb. 1684. Sed communem, vel de octava, si habeat propriam, aut de tempore quadragesimali, seu Paschali.*

213. *Non est omittenda una ex assignatis orationibus in missa, veluti tertia à cunctis, si secunda esset de festo simp., ut ejus loco dicatur oratio imperata, veluti Deus refugium, sed post orationem à cunctis potest (sen debet) imperata dici, cum in missa de semid. vel simp. vel votiva non sint necessariò dicendæ collectæ impares, putà tres, quinque vel septem. S. R. C. 2 Decemb. 1684. In missis tamen quotidianis, quæ pro defunctis celebrantur, possunt quidem plures dici orationes, quàm tres, pro libitu nempè celebrantis, sed curandum, ut sint numero impares, et aliquando pro illa: Deus veniæ largitor, impunè subrogabitur alia, v. g. pro patre, matre, etc. dummodò ultimo loco dicatur fidelium. S. R. C. 2 Septemb. 1741.*

214. *In exequiis post absolutionem, quæ fit supra cadaver in die obitùs, vel supra tumulum in die anniversario, dicto requiescat in pace, subjungi debet: anima ejus, et omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. Sed super lecticam, seu castrum doloris, in commemoratione omnium fidelium defunctorum, nihil est superaddendum. S. R. C. 2 Decembris 1684. Nec etiam dum celebratur officium pro omnibus defunctis.*

215. *Si festum SS. Nominis B. M. V., quod sub ritu dup. maj. celebrari debet dominicà infra octavam Nativitatis ejusdem, occurrerit in die octava dictæ Nativitatis, officium erit de dicto SS. Nomine, omissà in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratione de prædicta octava Nativitatis. S. R. C. 15 Septembris 1685.*

216. *Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in processionibus per civitates et oppida, non debent deferri sub baldachino. S. R. C. 24 Martii 1685.*

217. Si festum exaltationis SS. crucis occurrat in dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., in qua celebrandum est festum SS. Nominis B. M. V., tunc officium nominis B. M. V. transferendum est ad primam diem festo 9 lectionum non impeditam. S. R. C. 20 Julii 1686.

218. Quando in missa solemnè concionator, post salutationem angelicam, salutatur ministros altaris, seu facit reverentiam, non est incongruum, si ministri altaris, et ipse celebrans respondeant salutationi concionatoris, discoöperiendo caput. S. R. C. 20 Julii 1686. Salutationem angelicam, cui non potest tempore Paschali substitui Regina cæli. Ita Spiridion Talu, ex cær. episcoporum, lib. 1, cap. 22, quod generaliter præscribit in concionibus Ave Maria, absque ullâ temporum distinctione.

219. Occurrente festo S. Marci die dominico, in missa rogationum non dicitur Credo, quia est missa ferialis. S. R. C. 25 Sept. 1688. Vide num. 227.

220. Occurrente eodem die festum 9 lectionum calendarii particularis, cum altero festo calendarii universalis, quæ tamen sint ejusdem ritus, prius recitari debet de festo calendarii particularis, et postea universalis. S. R. C. 22 Januarii 1689.

221. Non licet aliquid ex devotione, seu auctoritate privatâ miscere, mutare, vel apponere, inter ea quæ integrant officia cujusvis diei, quia in officiis Sanctorum nihil est addendum vel immutandum, nisi à Sede apostolicâ concessum fuerit. S. R. C. 10 Junii 1690. Hoc decretum est conforme bullæ Pii V, quæ incipit, Quod à nobis, septimo Idus Julii 1568.

222. In processionibus, in quibus deferitur SS. Sacramentum vel lignum crucis, tam clerus quam



*sæculares detecto capite incedere debent; in aliis verò processionibus, in quibus deferuntur reliquiæ, vel statuæ Sanctorum, tunc sæculares et ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii verò clerici possunt incedere tecto capite cum birreto; quando verò non gestantur reliquiæ, magistratus ad instar cleri potest incedere capite coöperto. S. R. C. 18 Junii 1690.*

223. *Officia Sanctorum ratione corporis, seu insignis reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in martyrologio Romano descriptis, et dummodò constet de identitate corporis, seu reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperiatur in martyrologio Romano descriptus. De cæteris autem Sanctis in prædicto martyrologio Romano non descriptis, aut quibus à S. Sede non fuerit specialiter concessum, officia recitari, et missæ celebrari non debent, non obstante quòd eorum corpora, vel insignes reliquiæ in ecclesia asserventur, quibus tamen, ab ordinariis locorum approbatis, debita fidelium veneratio (prout hactenùs servatum est) exhibeatur, sed absque officio et missa sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium aliisque in constit. S. Pii V. contentis. S. R. C. 11 Aug. 1691.*

224. *Sanctorum officia, concessiones, lectiones, orationes, antiphonæ, et responsoria, aliaque hujusmodi, imposterùm à typographo Camerali dumtaxat imprimantur; et inhibetur omnibus impressoribus, seu typographis, tam in urbe, quàm extra, ubivis locorum, dicta officia imprimere, nisi facultate in scriptis acceptâ ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis, si inibi fuerint, sin minùs à locorum ordinariis, qui quidem facultatem hujusmodi non prius concedant, quàm originale sumptum S. C., vel exemplar typographi Cameralis authenticum manu secre-*

*tarii ipsius S. C. et sigillo obsignatum ipsis exhibeatur, quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque in eo additum sive detractum in eo, imprimi debeat. S. R. C. 11 Augusti 1691. Hæc præcipiuntur ad sacræ liturgiæ unitatem conservandam; interim in his partibus sufficit episcopis exemplar legitimè approbatum, cui præsit deputatus ab ipsis, qui testimonium perhibeat de exactè illius novæ editionis conformitate cum dicto exemplari.*

225. *Canonici semper, et quæcumque tenentur in missis solemnibus et conventualibus, quæ à dignitatibus, et ab ipsis cantantur per gyrum, præcipuè in diebus festis ex obligatione capitulari, assistere sibimetipsis gradatim in ministerio subdiaconi et diaconi, nec possunt substituere alios simplices sacerdotes non de gremio capituli ad exercendum officium subdiaconi et diaconi in hujusmodi solemnium missarum celebrationibus, etiam assistente episcopo, non obstante quæcumque contrariâ consuetudine. S. R. C. 15 Sept. 1691.*

226. *Ubi celebratur festum SS. Gabriëlis vel Raphaëlis Archang., ad octavam benedictionem dicatur: cujus festum colimus, non verò quorum festum, etc. S. R. C. 13 Septembris 1692. in festis tamen apparitionis, 8 Maii, et dedicationis 29 Septemb. S. Michaëlis, pro octava benedictione dicitur: quorum festum, etc., quia in his festis oratio est de omnibus Angelis.*

227. *Si in die S. Marci post processionem in ecclesia minori, seu non collegiata cantetur unica missa, ipsa debet esse de rogationibus et servanda est rubrica missalis Rom., posita ante missam festi S. Marci, ubi præscribitur quòd de prædicto Sancto cantanda est missa tantummodò, quando processio*

*terminatur ad ecclesiam eidem Sancto dicatam, quemadmodum cavetur in cær. episc. lib. 2. cap 32, et decrevit S. C. 23 Maii 1603, et aliàs pluries S. R. C. 10 Jan. 1693. Aliud exstat decretum super eadem materia sic conceptum: in festo S. Marci, vel respectivè in feriis rogationum, si fiat de officio dup. vel semid. in locis ubi tantum una missa cantatur, pro majori populi commoditate, ut possit post processionem vacare laboribus, convenientius est processionem facere post Nonam, et indè cantare missam rogationum. S. R. C. 5 Maii 1736. Ex his decretis patet in ecclesiis, ubi unica cantatur missa, esse cantandam post processionem, id est, in ecclesiis, in quibus habetur ultima statio; porrò hæc missa cantari debet de feria cum tribus orationibus, nempe de feria, de Beata concede, et tertia pro ecclesia vel pro Papa, absque ulla festorum occurrentium memoria. Infra processionem cantari debent litanie omnium Sanctorum; quòd si non sufficiant, poterunt duplicari, ut in vigilia Paschæ et Pentecostes, et postea addi poterunt psalmi pœnitentiales et graduales, non verò cantica lætitiæ, v. g. *Te Deum*, vel *Pange lingua*. Si statio fieri debeat in pluribus ecclesiis, intrando in quamlibet interrumpendæ sunt litanie et resumendæ in exitu, ut in ecclesia cantentur antiphona, y. et oratio patroni illius ecclesiæ. Nota hic, quòd infra processionem litanie omnium Sanctorum sint secundæ ante orationem dominicam, versiculos et orationes, ut horum cantu in ecclesia propria populus dimittatur. Observa etiam hic, quòd litanie majores in festo S. Marci locum habeant omni die etiam dominico et festivo, excepto tamen die solemnissimo*

Paschæ; quare dum occurrunt cum hoc die, transferuntur in tertiam feriam octavæ illius: in missa autem litaniarum, seu processionis, non dicitur *Gloria in excelsis*, neque *Credo*, sed dicuntur præfatio Paschalis et *communio* propria octavæ.

Notandum pro his partibus decretum Synodi prov. Mechl. an. 1607, tit. *de festis et jejuniis* cap. 6. cujus tenor est: « Festum S. Marci, si in hebdomada Paschæ vel in dominica *Quasimodò* evenerit, celebretur feriâ quartâ post *Quasimodò* tam à clero, quàm à populo. Si vero in aliam dominicam inciderit, festum quidem servetur ipsa die dominica; sed processio, abstinencia à carnibus et (*tunc temporis*) *jejunium usque ad prandium* serventur die sequenti. Quòd si in feriam quartam post dominicam *Quasimodò* translata, cum festis SS. Philippi et Jacobi aut S. crucis concurrerit, celebritas quidem à populo illis ipsis diebus servabitur, sed dicta processio, abstinencia et *jejunium*, sicut in diebus rogationum, in feriam quintam transferentur. »

228. *Cùm præter propriæ ecclesiæ Dedicationem fieri debeat officium dedicationis ecclesiæ cathedralis in urbe cum octava, extra urbem sine octava; quæsitum fuit, utrùm extra urbem in ecclesia, quæ propriam non habet dedicationem, fieri debeat octava dedicationis ecclesiæ cathedralis? Responsum fuit negativè. S. R. C. 10 Jan. 1695.*

229. *Utrùm in officio simplici martyris, qui sanguinem non fudit, semper pro secundo responsorio dicendum sit: Domine prævenisti, etc. quæcumque occurrat feria, vel tantùm dum occurrit feria vj? Et responsum fuit dicendum esse responsorium Domine*

prævenisti, in quocumque officio martyrum, qui perierunt non effuso sanguine. S. R. C. 10 Januarii 1695.

230. Quæsitum fuit, si uno die occurrant plures martyres, quorum officium unum sit semid., et aliud simp., utrùm in Vesperis pro commem. simp. dicenda sit antiphona gaudent in cœlis, de secundis Vesperis, ut exemplum est 16 Septembris, et utrùm detur ibi regula, vel exceptio regulæ rubr. de commemor. n.º 8? Et responsum fuit servandam esse rub. IX, de commemor. n.º 8, nisi aliter assignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem rubrica. S. R. C. 10 Januarii 1695. Si verò plures sint commemorationes simplicium, tunc secunda commemoratio sumatur ex secundis Vesperis cum versu secundi nocturni; in Laudibus autem fiat cum prima antiphona tertii nocturni et versu secundi nocturni. Si tertia commemoratio adveniat in primis Vesperis, fiat cum antiphona prima tertii nocturni et versu ejusdem nocturni, et in Laudibus cum antiphona secunda Vesper. et versu secundi nocturni. Ita S. R. C. 5 Maii 1736.

231. Die octava Sancti proprii cadente in festum Conceptionis B. M. V. et dominicâ secundâ adventûs, die 7 Dec., utrùm in primis Vesperis B. M. primo loco fieri debeat commemor. de dominica adventûs, et postea de die octava Sancti proprii? Et responsum fuit: concurrente dominicâ secundâ adventûs die 7 Decemb. cum festo Conceptionis B. M. V. et die octavâ Sancti proprii, commemor. fieri, primùm de hac, deindè de dominica, juxta dispositionem tabellæ secundæ de concurrentia dominicæ majoris sive primæ vel secundæ classis cum die octava, ut ibi regula tertia, quemadmodum præcisè docet rub. brev. de commemor., n.º 11. S. R. C. 10 Jan. 1695.

252. Quando dies octava Sancti proprii cadit in festum Præsentationis B. M. V. utrùm transferendum sit officium B. M. vel solùm fieri debeat commemor. diei octavæ Sancti proprii, ut in simili casu refert Gavantus fieri Regii de sancto Prospero, cujus dies octava est festum Visitationis B. M. V.? Et responsum fuit: transferendum esse festum Præsentationis, juxta rub. X, de transl. fest., n.º 2, et in tabella de occurrentia, prout monet Gavantus, Sect. 3, cap. 12, n.º 20. Ibi enim aliter decrevit, et specialiter indulgit S. C. in gratiam festi Visitationis B. M. V. quod ibidem colitur de præcepto; undè cùm privilegium sit locale, non potest extendi de loco ad locum ex decr. S. C. in principio missalis, Rom. impresso. S. R. C. 10 Jan. 1695.

253. Petitum fuit: Si festum festivetur à populo, vel de præcepto, vel de devotione populi, ut S. Ludovicus in Gallia, S. Rochus, etc., utrùm dici debeat tale officium dup. maj., et Lectiones primi nocturni legi de communi, etiamsi in proprio de Scriptura currenti assignentur? Et responsum fuit: festum S. Ludovici indultum de præcepto in Galliis esse sub ritu dup. minori tantùm, editis decretis die 15 Mart. 1608 et 28 Nov. 1609. Propterea non esse dubitandum, quin recitari debeant lectiones, quæ assignantur de Scriptura, approbatis propriis secundi et tertii nocturni sub die 23 Feb. 1619. De S. Rocho, licèt ejus festum servetur ex devotione, attamen non potest de eo recitari officium, et celebrari missa, nisi in propriis ecclesiis eidem Sancto dicatis, ex concessione S. C. die 4 Jun. 1629, et clariùs die 29 Nov. ejusdem anni, et tunc dicendum est officium sub ritu dup. primæ classis. S. R. C. 10 Januarii 1695.

254. Occurrente vigiliâ S. Mathiæ apostoli seriâ  
8.

*tertiâ post dominicam quinquagesimæ omninò observandum est jejunium, quod non potest anticipari, ratione carnisprivii. S. R. C. 23 Januarii 1694, Innoc. XII confirmante. Non potest anticipari, nisi ex indulto Sedis apostolicæ, ut sponte disposuit Bened. Papa XIV, die 30 Jan. 1751, in const. quæ incipit : Prodiit jamdudum. In his partibus, ubi est abrogatum festum et jejunium, prædictum decretum S. R. C. non habet ampliùs locum.*

255. *Tertiarii S. Francisci degentes in sæculo possunt uti breviario ordinis minorum, et illius calendario conformari. S. R. C. 7 Aug. 1694. Vide num. 6.*

256. *In ecclesiis B. M. sub quocumque titulo dicatis, in seriali officio debet fieri commemor. de eadem S. Maria tamquàm de titulari, etiamsi ejusdem officium parvum in choro fuerit recitatum. S. R. C. 25 Aprilis 1695. Vide seq. decr.*

257. *Pro suffragio B. M. in ecclesiis eidem dicatis sub quocumque titulo, sive Assumptionis, sive Conceptionis, etc., sufficit consueta antiph. Sancta Maria, succurre miseris, etc. S. R. C. 25 April. 1695.*

258. *Sacerdos, qui celebrat missam conventualem in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest eam prosequi eo tempore, quo à choro cantatur symbolum. S. R. C. 17 Dec. 1695. Nota è cær. episc. lib. 1, c. 28, n.º 10, sacerdotem celebrantem non tantùm non posse prosequi missam, sed totum symbolum à principio ad finem esse cantandum, nec organum posse supplere alternatim cum choro versiculos, proùt praticari potest sub gloria in excelsis, sub prosis, kyrie, sanctus, agnus Dei, te Deum, et canticis magnificat, benedictus, nunc dimittis, et hymnis. Quando autem organum facit pro versiculis, seu strophis, unus de cœtu debet*

altâ voce versiculos et strophas recitare, aliis attendentibus, aut saltem quilibet submissâ voce illos dicere tenetur. Ratio cur symbolum totum cani debeat, hæc est, quia continet professionem fidei; adeòque integrè faciendam.

239. *Cùm nonnullorum non ritè sensum generalis rubricæ breviarii Rom. tit. X, n.º 7, de transl. fest. percipientium, obrepserit opinio, quòd de festo transferendo, quod potest in sequentem diem immediatè transferri, sūt recitandum officium ante alia æqualis ritūs priùs translata, S. R. C. ad relationem Emin. et Rever. D. Cardin. Petrucci, supradictam generalem rubricam omninò et quocumque alio decreto in contrarium non obstante, in casu proposito (servato ordine calendarii) officium de primo translato priùs recitandum esse declaravit; ita tamen ut per hanc declarationem nihil penitùs circa semid. in dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus prædictam generalem rubricam tit. X, n.º 5, pariter omninò servandam esse censuit, et ita servari mandavit S. R. C. 22 Decembris 1696. Semiduplicia infra octavas occurrentia et impedita die festi vel dominicâ aut dup., si die sequenti fiat de die infra octavam, in eo locum sibi vindicant, removendo quodlibet officium translatum etiam primæ classis. Hoc autem privilegio carent duplicia in dictos dies incidentia: quare si sint duplicia priùs translata, de his priùs fieri debet. Ratio hujus dispositionis est, quòd officia semid. translata difficiliùs sedem recuperent quàm dup., de quibus fit infra octavas; ne igitur nimis à sua sede trahantur, ideò hoc fruuntur privilegio. Vide num. 185.*

240. *Supplicatum fuit: In quam parte altaris à celebrante absque diacono et subdiacono sit canen-*



*dum evangelium pro benedictione solemnī Palmarum? Et responsum fuit: in cornu epistolæ. S. R. C. 27 April. 1697.*

241. *Primâ die mensis non impeditâ festo dup. vel semid., et in qua occurrit recitari officium defunctorum, potest recitari officium semel in hebdomada concessum, transferendo, vel etiam aliquando omittendo officium defunctorum. S. R. C. 27 Aprilis 1697.*

242. *In ecclesiis tam parochialibus, quàm non parochialibus, ubi deest numerus cantorum, non potest celebrari in sabbato sancto unica missa privata loco solemnī, ut in ejusdem ecclesiis fiat benedictio tam luminis et cerei, quàm aquæ, attentis maximè decretis 11 Februarii et 11 Martii 1690 prohibentibus celebrationem missarum privatarum, et unicam tantum missam conventualem unâ cum officio sabbati sancti celebrari præcipientibus. S. R. C. 13 Junii 1697. Solemnis tamen non cantata conceditur à Bened. XIII, qui cærem. parvum pro ecclesiis minoribus promulgavit anno 1715.: undè in ecclesiis, ubi defectu ministrorum et cantorum missa principalis privatim legitur, benedictiones ignis et cerei Paschalis fieri possunt et debent; modò tamen in illis locis asservetur SS. Sacramentum. Vide num. 127. Hic adjiciemus decreta posteriora ad hanc materiam spectantia.*

243. *Benedictio aquæ in sabbato sancto etiam sine effusione olei sancti fieri non potest in ecclesiis non habentibus fontem baptismalem, quamvis usus sit in hujusmodi ecclesiis talem benedictionem fieri. S. R. C. 13 Julii 1697. Neque etiam licet eâdem ratione in sabbato Pentecostes, nec à fortiori per annum extra illos dies.*

244. *An ferenda sit immemorabilis, aut antiquæ*

consuetudo parochorum benedictium sacrum fontem de manè, aut in Vesperis dierum festorum juxta præscriptum ritualis Romani, ubi agit de benedictione fontis baptismi extra sabbatum Paschæ et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur? Responsum fuit: parochos habentes facultatem benedicendi fontem baptismalem sabbatis diebus Paschatis aut Pentecostes dumtaxat, et non aliis diebus illum de manè benedicere debere. Qui verò hanc facultatem non habent, ab ejus benedictione se abstinere tenentur. S. R. C. 12 Aprilis 1755.

245. An parochi, quibus in die sabbati sancti imminet onus adeundi ecclesiam matricem, aut plebanalem, ut functioni fontis intersint, aquamque benedictam, atque olea sacra recipiant, possint, aut teneantur idem onus in alium sacerdotem ab iis deputandum ac delegandum rejicere, ut qui habent fontem baptismalem illum benedicant, et cum quo numero ministrorum, aut saltem sacrum faciant pro commoditate et devotione suorum parochianorum? Responsum fuit: parochis licere alium sacerdotem delegare, qui benedictioni fontis baptismalis in ecclesia matrice pro iis assistat; sicuti etiam possunt die sabbati sancti alteri sacerdoti missæ celebrationem in propria ecclesia committere. Qui facultatem obtinent fontem benedicendi, quatuor saltem clericos in ministerio habebunt. S. R. C. 12 Aprilis 1755. Quatuor saltem clericos, etc. Scilicet de congruitate ad majorem cæremoniæ celebritatem, non verò de necessitate. Vide num. 242.

246. An fas sit parochis uti in collatione Sacramenti baptismatis aquâ in ecclesia matrice aut plebanali benedictâ, cui privatim, et separatim, et non in ipso actu benedictionis baptismalis infusa fuerint

*olea sacra? Responsum fuit : parochi ex matricis fonte aquam, cui sacra olea jam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in baptismi collatione. Qui verò ante fontis benedictionem olea sacra recipere non potuerunt, illa subindè privatim, ac separatim in aquam mittere poterunt. S. R. C. 12 Aprilis 1755. Rectores ecclesiarum, in quibus dantur fontes, si sabbato sancto, vel Pentecostes nondùm receperint olea ab episcopo benedicta, nihilominùs præfatis diebus tenentur facere aquæ benedictionem, in quam recepta olea immiscebunt, prout in missali est præscriptum, induti superpelliceo et stolâ. Interim conservabunt ex aqua præviè benedicta cum oleo sacro, ad conferendum baptismum, donec benedictio aquæ novæ sit consummata per infusionem olei sacri.*

247. An parochi in alienas ecclesias convenientes possint, attentâ consuetudine immemorabili aut saltem antiquâ, Sacrum facere in die sabbati sancti cum cantu, aut sine cantu in propria ecclesia, prætermisissis benedictionibus ignis, cerei, prophetiis, aliisque ritibus ipsâ die præscriptis, aut non obstante eâdem consuetudine idem Sacrum omittere teneantur, et quatenùs negativè quoad secundam partem, sub qua pœna statuenda contra parochos, aliosque sacerdotes? *Responsum fuit : congruit, ut missæ in sabbato sancto celebrandæ, ignis ac cerei benedictiones præcedant, ante quam missam prophetiæ omitti non debent, et archiepiscopus parochos ad ignis ac cerei benedictionem faciendam aliquâ pœnâ pecuniariâ adigere poterit. S. R. C. 12 Aprilis 1755. Congruit : hoc verbum non importat merum consilium, sed præceptum, prout patet ex ultimis verbis hujus decreti : pœna enim non*

imponitur nisi propter culpam. *Prophetiæ omitti non debent*: dum igitur missa celebratur sine benedictione ignis et cerei Paschalis, incipienda est per prophetias; casus est in episcopo ordinante sabbato sancto. Vide decreta sequentia.

248. Utrùm in sabbato sancto pro collatione sacrorum ordinum, episcopus in suo domestico oratorio teneatur missam cum prophetiis, ut in missali, celebrare? *Responsum fuit: missam collationis, etc. incipiendam esse à prophetiis.* S. R. C. 21 Martii 1744.

249. Cùm sabbato sancto unica tantùm in quavis ecclesia missa cantata admittatur, an episcopus in privata capella, vel oratorio possit ordinationem sub missa lecta servare? Et quatenus affirmativè, an debeat post communionem idem episcopus pro Vesperis, *alleluia, Vespere autem, etc. Laudate Dominum, Magnificat, etc.* dicere? *Responsum fuit ad mentem.* S. R. C. 30 Septembris 1749. *Ad mentem*, sabbato sancto pertinent ad substantiam missæ illius diei, cùm in illa includantur.

250. *In ecclesiis permittuntur altaria tantùm antiqua sanctis veteris Testamenti prophetis dicata.* S. R. C. 5 Augusti 1697. Adeòque in posterum altaria sunt solùm dedicanda Sanctis novi Testamenti.

251. *Non est tolerandus usus, qui ab aliquibus servatur feriâ vj. in Parasceve, incensandi iterùm SS. Sacramentum post incensationem oblatozum, omitendo consuetam crucis incensationem, cùm sit contra rubricam illius diei.* S. R. C. 5 Aug. 1697. Hoc decretum concordat cum rubrica missalis, quâ præcipitur simpliciter incensatio oblatozum, et deindè crucis, adeòque post hujus incensationem immediatè altare more solito est incensandum.

252. *In depositione defunctorum in verbis illis: non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo: quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba servo tuo, immutari in servâ tuâ, vel servis tuis, absque sacræ rubricæ læsione, et servandum est rituale. S. R. C. 31 Augusti 1697. Hæc verba, cùm desumantur è Scriptura, nempè è psalmo 142, ideò S. R. C. præscribit non esse immutanda, ne sacer textus alteretur; aliundè per *servum* intelligi potest creatura, quo supposito, oratio verificari potest de masculo et de femina, sicut et de pluribus defunctis. Ulteriùs observari potest, quòd sub sexu masculino sæpè femininus exprimitur; sic in legibus dum dicitur: *si quis hoc vel illud fecerit*, etc. femina in illis continetur. Interim in pluribus ritualibus, contrarium præscribitur.*

253. *Ante versiculum, qui dicitur communio, coöperiendus est calix velo in anteriori parte, prout ante confessionem. S. R. C. 1 Martii 1698. Insuper et supra calicem sic vestitum debet deponi bursa, in qua sit corporale replicatum.*

254. *In expositione SS. Sacramenti, quæ fit ad instar proscenii, quantitas luminum pietati facientis expositionem remittitur, et in altari super candelabris ad minus sex candelæ accendi debent. S. R. C. 17 Mart. 1698 Sex candelæ non ex sebo, sed ex cera: id exigit dignitas tanti Sacramenti; idque habent usus et ritualia: adeòque maximè curandum ab omnibus ecclesiarum rectoribus, ut nunquam publicè exponatur SS. Sacramentum nisi sex ad minus cerei ardeant.*

255. *Consuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc ut continuari possit recitatio officii de aliquo*

*Sancto in ecclesia, in qua asservatur ejus corpus, nisi doceatur, an sit descriptus in martyrologio, et de ejus identitate constet. S. R. C. 5 Julii 1698.* Neque sufficit ad officii illius recitationem consuetudo immemorabilis, nisi sit descriptum in martyrologio Rom., prout declaravit eadem Congr. his verbis :

- » Consuetudo antiqua et immemorabilis dicendi
- » officia de aliquo Sancto sufficit ad licitè continuandum ut illud recitetur, dummodò immemorabile respiciat festum in Romano martyrologio descriptum, sin minùs, negativè. *S. R. C. 7 Maii 1746.* »

256. *Si in feria iij. rogationum occurrat festum simp., in cathedralibus et collegiatis non sunt cantandæ duæ missæ. S. R. C. 5 Julii 1698.*

257. *In expositione et depositione SS. Sacramenti, etiam causâ devotionis, non est addendum alleluia ad versiculum panem de cœlo. S. R. C. 5 Julii 1698.*

Intellige extra tempus Paschale et octavam corporis Christi : tunc enim addendum est *alleluia* : Ita Clem. XI, constit. *Essendo*, approbata à Clem.

XII, 1 Septemb. 1736, n.º 21. Quoad officium votivum et hebdomadale SS. Sacramenti pro *alleluia*

subtrahendis sic decrevit S. R. C. « In officio votivo SS. Sacramenti, quod recitatur ex indulto

» apostolico, in responsoriis ad Matutinum, responsoriis brevibus Horarum, versiculis ad Magnificat et Laudes, non debent recitari *alleluia*,

» prout dicitur in officio festivo solemnitis corporis Christi. *S. R. C. 10 Dec. 1740.* » Tempore

tamen Paschali, more solito, adduntur *alleluia* non tantum in officio, sed et in missa, scilicet duo

ad introitum, et unum ad offertorium et communionem : in hac missa per annum dicitur *Gloria*

*in excelsis sine Credo.* Decretum hoc ultimum aliquam exceptionem patitur; quam accipe ab ipsa S. R. C. « In commemorationibus communibus, sive suffragiis Sanctorum per annum, dum fit de aliquo Sancto principali, cujus antiphonæ habent in fine *alleluia*, si contingant verba, quibus exprimantur gaudium, victoria et similia, debet hoc *alleluia* recitari, alioquin omittatur. S. R. C. 29 Nov. 1738. » Ubi igitur SS. Sacramentum est titulus ecclesiæ, in suffragiis sequentibus: *O quam suavis est*, etc. in Laudibus, *Ego sum Panis*, et in Vesperis, *O sacrum Convivium!* retineri debet in fine *alleluia*, quia lætitiâ inspirant recitantibus illas: omittitur tamen à dominica septuagesimæ usque ad Pascha.

258. *Parochus duarum ecclesiarum unitarum debet de ambarum patrono et titulari recitare officium juxta rubricas, maximè si ecclesiæ sint peræquè unitæ.* S. R. C. 5 Julii 1698. Eâdem ratione tenetur recitare officium anniversarii dedicationis utriusque ecclesiæ sub ritu primæ classis cum octava.

259. *Quando in mense Novembri sunt eâdem die ponenda plura initia prophetarum, dicenda est tantum unica lectio.* S. R. C. 5 Julii 1698. *Dicenda est tantum unica lectio pro præcepto adimplendo, poterunt etiam recitari tres lectiones per modum unius.* Rub. brev. XXVI, de lectionibus, n.º 5 et 6. Vide num. seq.

260. *Non possunt poni plura tribus initiis prophetarum unicâ die.* S. R. C. 5 Julii 1698.

261. *Ubi sunt plura officia habentia primas lectiones proprias, possunt omitti aliqua ex dictis initiis prophetarum, occurrente legitimâ causâ.* S. R. C. 5 Julii 1698.

262. *In dominicis adventûs et quadragesimæ in quibus fit de dup. primæ classis, non sunt cantandæ duæ missæ. S. R. C. 5 Julii 1698. In dominicis adventûs et quadragesimæ, intellige secunda, tertia vel quarta, in quibus officium et missa festo dup. primæ classis non denegantur; secùs verò de primis dominicis, quibus nec missa solemnis de dup. primæ classis occurrente conceditur Rub. miss., tit. 6, n° 1.*

265. *Si anniversarium anticipetur, aut postponatur per aliquot dies, potest dici missa ut in anniversario. S. R. C. 5 Julii 1698. Potest dici missa ut in anniversario, vel quotidiana, uti constat sequenti decreto.*

« Translato anniversario è proprio die obitûs testatoris ob occurrens impedimentum in alium diem non impeditum, de *requiem* cantanda est missa, sive ut in anniversario, sive ut in quotidianis; verba tamen in oratione: *cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, etc.*, non sunt varianda. S. R. C. 22 Dec. 1755. »  
 Si anniversarium impeditum ante vel postponatur ad unum vel alterum tantum diem, congruentius celebratur missa de anniversario; si verò ad plures fiat translatio, melius videtur cantari Missa quotidiana cum una oratione defuncto conveniente et p. rosa.

Juvat hîc addere præcipua, quæ ad præsentem materiam spectant, ut sub uno aspectu lector illa conspiciat.

« Missæ solemnes de *requiem*, à testatoribus certis diebus affixæ ac anniversaria (dum suis diebus incidentibus servari non possunt, et ob earum pluralitatem omnes transferri non possunt



- » in dies alios sufficientes) vigore indulti à SS.  
 » Dom. Papa Pio VI, sub. 4 Martii 1777 concessi,  
 » deinceps celebrari possunt feriâ secundâ cujus-  
 » libet hebdomadæ, etiam si in eadem occurrat  
 » festum dup. minus vel majus, exceptis tamen  
 » feriis secundis octavarum privilegiatarum, he-  
 » bdomadæ sanctæ, et vigil. Nativitatis Domini.  
 » S. R. C. »

Hâc sanctione missæ fundatæ pro defunctis gau-  
 dent privilegio anniversariorum; modò, *N. B.*, sint  
 à testatoribus affixæ certis diebus.

« Diebus quibus dici possunt missæ votivæ  
 » privatæ, vel defunctorum, ad illas obligatus  
 » ratione foundationis, vel accepti manualis sti-  
 » pendii, non satisfacit dicendo missam de die  
 » occurrente; expressa enim testatorum, vel pos-  
 » tulantium voluntas, dummodò sit rationabilis,  
 » debet adimpleri. *S. R. C. 3 Martii 1761.* » Cave  
 tamen ne nimis ad litteram hoc accipias decre-  
 tum; videtur enim sequentem habere sensum :  
 si quis habeat per mensem 10, vel per annum  
 50 missas de *requiem* celebrandas, debet quærere  
 dies, in quibus legere possit de *requiem*; si quis  
 verò habeat missam quotidianam per mensem,  
 vel annum pro defunctis, diebus impeditis, satis-  
 facit celebrando diebus licitis de *requiem*, et aliis  
 missam de officio currentem. Identidem recipiens  
 stipendia ad celebrandum citiùs post obitum pro  
 animæ refrigerio, diebus impeditis satisfacere de-  
 bet per missam diei; aliàs foret irrationabilis  
 voluntas postulantis missas de *requiem* omni die,  
 cùm rubricis repugnet. « Nam omnibus et singulis  
 » sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm regularibus  
 » cujusvis ordinis, etiam necessariò exprimendi,

» directè præcipitur, ut missas privatas pro defun-  
 » ctis seu de *requiem* in dup. nullatenùs celebrare  
 » audeant vel præsumant; quòd si ex benefactorum  
 » præscripto missæ hujusmodi celebrandæ, incidant  
 » in festum dup., tunc minimè transferantur in  
 » aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus  
 » suffragia expectantibus detrimento sit, sed di-  
 » cantur de festo occurrenti cum applicatione  
 » sacrificii, juxta mentem eorundem benefacto-  
 » rum : curentque ecclesiarum rectores, sacristæ,  
 » aliique, ad quos spectat, ut hujusmodi decretum  
 » inviolatè servetur, atque in sacristia affixum  
 » retineatur, ubi commodè ab omnibus celebrare  
 » volentibus conspici et legi possit : in eos autem,  
 » qui contrà facere ausi fuerint, vel præmissa  
 » adimplere neglexerint, locorum ordinarii, tam  
 » sæculares, quàm regulares pro modo culpæ  
 » animadvertant. S. R. C. 5 Aug. 1662. Hoc  
 » decret. approbaverunt Alexand. VII et Clem. XI,  
 » 15 Sept. 1714. »

264. *Deficiente subdiacono pro missa solemni, datâ  
 necessitate, potest permitti per superiores, ut sub-  
 stituatur constitutus in minoribus ordinibus, ad can-  
 tandam epistolam, paratus absque manipulo.* S. R.  
 C. 5 Julii 1698. *Absque manipulo*, quia est proprium  
 ornamentum subdiaconi, quâ talis; ita ut hoc indu-  
 tus faciat actum sui ordinis, aliàs non. Cùm igitur  
 prohibitum sit sub pœna irregularitatis, ne quis  
 exerceat actum ordinis sibi non competentem,  
 ideò dicitur in decreto *sine manipulo*, ut in illa  
 functione publica se exhibeat tanquam simplicem  
 lectorem.

Quid dicendum de Carthusianis et eorum mo-  
 nialibus, qui cantant epistolam sine manipulo?

Imprimis quoad has certum est eas non facere actum ordinis, cùm illius sint incapaces; quamvis enim in earum consecratione episcopis induat eas manipulo et stolâ sub formis ordinariis in ordinatione, illis tamen non utuntur sub cantu epistolæ, sed hanc functionem exercent in habitu simplicis ordinis; imò tantùm bis vel ter in vita gestant dictas vestes, nempe die consecrationis, die jubilæi sui (si accidat) et in sepultura: undè concludendum eas hanc functionem exercere tantùm speciali privilegio. Nota hìc quòd quamvis in suì consecratione stolâ induantur, non valeant ideò evangelium uti epistolam cantare. Quoad Patres, qui sine manipulo et simplici veste ordinis cantant epistolam, licèt communis theologorum sententia sit, quòd sine manipulo subdiaconus non faciat actum sui ordinis; attamen cùm id sit institutionis ecclesiasticæ, in hoc dispensare potest Summus Pontifex, quod et fecisse censetur approbando eorum constitutiones; aliàs eorum subdiaconi contra sacros canones sine consummatione ordinis promoverentur ad diaconatum.

265. *Sacerdos missam celebraturus transiens ante altare ubi fit populi communio, non debet permanere genuflexus, donec et quousque terminetur communio.* S. R. C. 5 Julii 1698. Flectit ergo duobus genibus, deponit birretum, inclinatione capitis adorat SS. Sacramentum, et coöperto capite surgit et transit. Idem observat, si ante altare transeat, ubi fit consecratio, manetque genuflexus donec utraque consecratio sit peracta. Idemque servare debet quotiescumque transit coram Sanctissimo exposito licèt in pyxide, prout patet ex decreto sequenti:  
« Genuflexio utroque genu est facienda à trans-

» euntibus ante SS. Sacramentum, etiamsi fuerit in pyxide patenter expositum. S. R. C. 7 Maii 1746. »

266. *In ecclesia cathedrali, quæ habet privilegium recitandi officium novem lectionum quâlibet hebdomadâ non impeditâ, non potest cantari unica missa feriæ cum commemorat. officii currentis, quando eo die occurrit feria quæ habeat missam propriam. S. R. C. 5 Julii 1698. Unica missa, una quippè celebrari debet de officio post Tertiam, et altera de feria post Nonam. Rub. miss., tit. 5, n.º 1. Idem dicendum in collegiatis, etc. Hoc decretum tangit tantùm feriam quæ habeat missam propriam, ut in vigiliis, quadragesimâ, quatuor temporibus, etc.*

267. *In feria vj Parasceves thurificanda sunt oblata; sed post thurificationem oblatores, non est iterùm thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præsentiam non est omittenda thurificatio crucis, sed crux et altare thurificanda sunt eo prorsùs modo, quo fit in aliis missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante SS. Sacramentum. S. R. C. 5 Julii 1698. Incensatis oblatis, sacerdos statim genuflectit, erectus paululùm recedit ab altari, et stando ter crucem incensat, renovatâ autem genuflexione altare more solito thurificat.*

268. *In transeundo de una ad alteram partem altaris in prima, secunda et tertia missa Nativitatis Domini, servantur rub. miss., quæ nullam præscribunt genuflexionem ante calicem esse faciendam. S. R. C. 2 Aug. 1698.*

269. *Pyxis, in qua proprio velo coöpertum defertur SS. Viaticum infirmis, debet etiam coöperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S. R. C. 21 Martii 1699.*

270. *Lampas ardens omninò retinenda est ante*

*altare SS. Sacramenti; non verò supra valvas ecclesie in choro de diametro opposito ante prædictum altare. S. R. C. 22 Aug. 1699. Ante altare, id est, in medio chori, si in majori altari sit Sanctissimum reconditum; non verò in parte dextera vel sinistra; quod si servetur in minori altari, ante illud lampas ardere debet; si autem in pluribus altaribus servetur sacra Eucharistia, videtur quòd lumen sit nutriendum ante quodlibet: ex ritualibus autem, lumen illud, quoad fieri potest, produci debet ex oleo olivarum.*

271. *Quando duæ octavæ simul occurrunt, quarum una sit patroni principalis sub ritu dup. primæ classis, altera verò B. M. V. sub ritu dup. secundæ classis, recitandum est officium infra octavam de patrono principali cum commemor. octavæ beatissimæ Mariæ Virginis. S. R. C. 19 Junii 1700.*

272. *Si in dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. in qua celebratur festum SS. Nominis ejusdem beatissimæ Mariæ Virginis sub ritu dup. majori, occurrat alicubi dies octava, translato festo dicti SS. Nominis, agendum est de die octava in ipsa dominica. S. R. C. 19 junii 1700. Agendum est de die octava; intellige de octavis quæ non sunt de B. M., quia in eo casu erit celebrandum festum de SS. Nominis sine commemor. Nativitatis ejusdem.*

273. *In festo, et per octavam sanctorum Angelorum custodum, hymni ejusdem metri terminari non possunt, sicut terminatur eorum hymnus in Laudibus, per stropham: Deo Patri sit gloria, qui quos redemit Filius, et sanctus unxit Spiritus, per Angelos custodiat. S. R. C. 19 Julii 1700. Adeoque servari debent conclusiones communes Horarum.*

274. *In festo translationis patroni principalis ca-*

*thedralis sub ritu dup. majori dici non potest symbolum in missa, tam in ipsa ecclesia cathedrali, quàm etiam per totam diœcesim. S. R. C. 19 Junii 1700. Dici non potest symbolum, nisi ratione corporis, vel insignis reliquiæ; idque in sola ecclesia ubi quiescit. Vide num. 208.*

275. *In festis SS. martyrum et virginum, quæ celebrantur sub ritu dup. maj., non est dicendum symbolum in missa, sed servantur rub. generales missalis Rom., cap. 11, de symbolo. S. R. C. 19 Junii 1700.*

276. *Si feria vj. post dominicam passionis, in qua celebratur officium septem dolorum B. M. V. sub ritu dup. majori, occurrat festum primæ vel secundæ classis, dictum officium non est transferendum, sed omitendum. S. R. C. 19 Jun. 1700. Transferri debet in sabb. Rub. brev. præfixa festo. Vide num. 169.*

277. *Quadragesimæ, adventûs, et vigiliarum Temporibus, necnon in diebus rogationum, occurrente aliquo festo dup. vel sem., non licet post Primam celebrare missam prædictarum feriarum, sed servandæ sunt rub. S. R. C. 22 Januarii 1701. Igitur post Tertiam de festo, et post Nonam de feria, missa est cantanda in cathedralibus et collegiatis.*

278. *Parochi, capellani confraternitatum, sacerdotes, aliique ecclesiastici, qui cottâ induti interveniunt processionibus funeralibus, deserant, sicut in aliis processionibus, birretum sacerdotale, non verò pileum, excepto tempore pluvie et noctis, prout disponit rituale Rom., tit. de processionibus, et ut sæpè resolvit S. R. C., quæ quidem pilei prohibitio non solum est pro ecclesiastico sæculari, sed etiam regulari, licet sint parochi cottâ induti. Hæc decreta S. R. C. confirmantur à Clemente XI. 9 Decembris 1704, in sua constit. quæ incipit: La Santita di nostro Signore.*

279. *Si festum S. Marci occurrat in die Paschatis, processio cum litanis transfertur in feriam iij. sequentem juxta rubricam particularem missalis; et si alicubi fit abstinentia, vel jejunatur, servanda est consuetudo à regularibus. S. R. C. 14 Februarii 1705. Transfertur in feriam iij., unà cum missa rogationum, sine Gloria et sine Credo. Vide num. 227.*

280. *Non est toleranda consuetudo quorundam, qui contra id, quod præscribitur in missali, exponunt Hostiam consecratam reservandam à feria v. in cœna Domini usque ad ipsius consumptionem in feria vj. in Parasceve. S. R. C. 14 Feb. 1705. In hac patria praxis est contraria; exponitur enim calix velo coöpertus cum Hostia immediatè post missam cœnæ usque ad vesperam: attentà maximè fidelium devotione in visitandâ sacra Hostia latente sub velo in calice; interim in ecclesiis ruralibus, ubi ob adoratorum inopiam, vel ubi præ paupertate sex cerei ardentes nutriri nequeunt, ob decentiam huic Sacramento debitam standum est decreto S. R. C. suprâ posito. Adverte quoque hic quòd si calix occludatur in tabernaculo majoris altaris, feriâ vj. ante officium sit indè transferendum in locum decentem supposito corporali, et coram accenso lumine; idque ut detur locus processioni in rubricis præscriptæ.*

281. *Antiphona B. M. V. in fine officii debet omitti in choro, quando immediatè sequitur missa, quæ in ecclesiis non cathedralibus et non collegiatis, sed in minoribus etiam regularium, licet non cantetur à choro, sed coram clero legatur tantum à celebrante, habenda est tanquam conventualis; et in festis secundæ classis debet omitti commemoratio Sancti simplicis. S. R. C. 14 Feb. 1705. Quandò è choro disce-*

ditur immediatè post missam, vel in casu, quo post illam recitantur *psalmi pœnitentiales*, *graduales*, *officium defunctorum* vel quid aliud, non est recitanda antiphona currens B. M. V. Idem dicendum post laudes, etc.

282. An, cùm ex decreto S. R. C. emanato 11 Jan. 1681, dicenda sit antiphona B. M. V., *Ave, Regina cœlorum*, cum *ÿ. Dignare me*, etc. in fine Completorii secundæ diei Februarii, licèt transferatur officium purificationis, dici debeat in suffragiis (quando fit de officio semid. etc.) *ÿ. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix*, cum oratione *concede nos famulos*, etc., et in missa secunda oratio à *cunctis*, tertia ad libitum? *Et S. R. C. affirmativè respondit 14 Februarii 1705.* Vide num. 192.

283. *Quando dies anniversaria consecrationis episcopi incidit in Dominicam primæ classis, infra hebdomadam majorem, in die Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, vel alio solemniore, non potest dici missa de dicta consecratione, sed in ipsa missa de die fieri debet collecta pro episcopo sub una conclusione, ut disponit cœrem. episc. S. R. C. 4 Aprilis 1705.* Dum episcopus ab una sede ad aliam transfertur, sic statuit S. R. C. : « Si episcopus non sit  
 » primùm consecratus pro ecclesia cui præest, sed  
 » pro alia, à qua ad præsentem fuerit translatus,  
 » missa, quæ habetur in missali, celebranda est  
 » in ecclesia, cui fuit ultimo loco præpositus,  
 » recurrente die quo Papa eum tali ecclesiæ præ-  
 » fecit; exempla habentur in electione Summi  
 » Pontificis; festumque hujusmodi erit annun-  
 » tiandum cum termino translationis. S. R. C. 2  
 » Septembris 1741. »

284. *In missa votiva SS. Sacramenti, tertia oratio*



*dicenda est ea, quæ secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non verò ea, quæ est assignata secundo loco infra octavam ejusdem SS. Sacramenti.* S. R. C. 4 Aprilis 1705. Missa igitur votiva SS. Sacramenti legitur secundùm rubricam communem aliis votivis, juxta quam prima est votivæ, secunda officii, et tertia quæ secundo loco dici deberet in missa diei. Ab hac regula excipiuntur missa votiva S. Petri, in qua secunda est S. Pauli, et tertia officii, et vicissim votiva S. Pauli, in qua secunda est S. Petri. In missa votiva B. M. V. secunda est officii et tertia de Spiritu sancto. Sermo hic currit de missis privatis et cantatis ob causam privatam; nam in solemnibus ob causam publicam, ubi duæ cantantur, unica dicitur oratio absque ullo respectu ad officium; ubi autem una tantùm missa cantatur, cum ea si concurrat vigilia, vel feria major aut dup., de his fieri debet commemoratio. Adverte hic quòd si celebretur in die dominico, vel festivo in populo, ubi una tantùm missa canitur, missam esse cantandam de die, uniendo collectam votivæ orationi diei sub una conclusione; et cùm talis missa habeat ritum primæ classis, excludit commemorationes diei infra octavam, semiduplicis, simplicis et orationis imperatæ, si detur.

285. *Officia SS. ad libitum, sive dup. sive semid. occurrentia in die, quo fieri debet officium de dominica anticipanda ante septuagesimam, vel ante dominicam 24 post Pentecosten, non sunt recitanda cum comm. dictæ dominicæ, neque transferenda, sed potius omittenda.* S. R. C. 4 Aprilis 1705. Vide num. 174. Idem dicendum de officio votivo et hebdomadali SS. Sacramenti et conceptionis B. M. V.,

uti patet ex sequenti decreto : « Cùm multis  
 » congregationibus, religionibus, sive ecclesiis,  
 » vel nationibus concessum sit ab apostolica Sede,  
 » ut semel, vel pluries in singulis hebdomadibus,  
 » vel mensibus celebrentur varia officia per an-  
 » num, v. g. de SS. Sacramento, vel de Sanctis  
 » in diebus non impeditis aliquo festo dup. vel  
 » semid., hujusmodi indulta non habent locum  
 » in feriis adventûs, quadrag., quat. temp., vi-  
 » giliarum, sive cum jejunio, sive absque je-  
 » junio, nec in feria secunda rogationum, nec  
 » in alia feria, in qua secundùm rubricas sit  
 » reponendum officium dominicæ. S. R. C. 20  
 » Martii 1706.

286. Occurrente vigiliâ Nativitatis sancti Joan-  
 nis Baptistæ in die festo SS. corporis Christi, an-  
 ticipato jejunio vigiliæ prædictæ in diem 22 Junii  
 ad formam constitutionis Urbani VIII; emanatæ  
 13 Octob. 1658, an debeat in officio diei 22 præ-  
 dictæ ejusdem evangelii 9 lectio recitari, et in  
 officio, et in missa de eadem fieri commemoratio?  
*Eadem S. R. C. censuit nihil de eadem vigilia, in  
 officio et missa paragendum esse. S. R. C. 18 Sept.  
 1706.*

287. *Infra octavam Nativitatis Domini, in missis  
 votivis solemnibus pro re gravi infra eandem octavam  
 celebrandis, dicenda est præfatio juxta rubricam  
 generalem, Tit. XII, num. 4. S. R. C. 25 Sept. 1706.*  
 Id est, propria votivæ, si habeat; aliàs de Na-  
 tivitatis, idemque observandum in similibus ca-  
 sibus.

288. *Occurrente dedicatione Basilicæ SS. Salva-  
 toris, vel SS. Petri et Pauli apostolorum infra  
 octavam dedicationis aliarum ecclesiarum, pro earum*

*octava debet sumi alia oratio de communi, nempe Deus, qui invisibiliter, etc. S. R. C. 25 Sept. 1706. Idem practicandum in concursu aliarum octavarum dedicationis.*

289. An liceat PP. Capucinis civitatis Neocastri retinere, processionaliter publicè deferre, et respectivè publicè exponere in propria et in alienis ecclesiis statuam sancti Antonii de Padua in habitu Capucino? Et an eisdem PP. Capucinis in publicis functionibus ecclesiasticis tam intra propriam ecclesiam, quàm extra, et in processionibus tam publicis quàm privatis, liceat uti vexillis, velis, palliolis, planetis, pluvialibus, vel similibus mobilibus, ubi sint depictæ, sculptæ et impressæ imagines ejusdem sancti Antonii cum habitu Capucino? Et an eisdem PP. Capucinis subtus imagines ejusdem sancti Antonii, vel sancti Francisci de Assisio depictas, sculptas, vel impressas cum eorum habitu et caputio, tam intra ecclesiam et conventum, quàm extra, et signanter in parietibus et frontispicio eorum ecclesiæ sint permittendæ inscriptiones indicantes illas esse effigies sancti Antonii de Padua, sancti Francisci de Assisio cum veriori forma habitus ipsius S. Francisci, vel potius sint delendæ aut cancellandæ, ac in futurum prohibendæ in casu? *Responsum fuit ad primum et secundum affirmativè; ad tertium quoad primam partem, negativè, et quoad secundam affirmativè; et ita decrevit, et servari mandavit S. R. C. die 22 Januarii 1707.*

290. *In ecclesiis dedicatis sub titulo S. Mariæ Angelorum, officium de hocce titulari celebrandum est die Assumptionis B. M. V. cum octava ejusdem. S. R. C. 14 Maji 1707. Apud Franciscanos decreto S.*

R. C. 7 Septembris 1748, celebrari debet secundâ die Augusti, prout præscribitur in seq. decr.

« In ecclesiis titularibus sub invocatione S. Mariæ  
 » Angelorum (apud Minores S. Francisci) officium  
 » cum missa faciendum est ut in festo S. Mariæ ad  
 » Nives, sed lectiones secundi nocturni sumendæ  
 » sunt à secundo nocturno diei Nativitatis ejusdem  
 » B. M. V., mutato verbo *natali* in verbum *festivi-*  
 » *tate* 10 Junii 1690. »

291. *Episcopus palmas benedicens, et missæ assistens, non debet legere epistolam, neque evangelium, Cum appropinquasset, vel Alterâ autem die, post passionem tam ex praxi capellæ pontificiæ, quàm ex præscripto cæremonialis episcoporum. S. R. C. 28 April. 1708.*

292. *Episcopus assistens missæ in dominica Palmarum paratus, vel cum cappa, non debet sedere, neque genuflectere, sed stare discoöpertus, dum cantatur passio, et in casu impotentiae debet abstinere ab interventu saltem missæ. S. R. C. 28 Aprilis 1708.*

293. *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in processione quæ fit in festo SS. Corporis Christi, deferri debet ab eo, qui missam celebrat, et idem servandum in processione, quæ fit in die dominico infra ejus octavam, non verò deferendum est à primo de capitulo, qui non celebravit. S. R. C. 25 Martii 1709.*

294. *Diebus infra octavam SS. Trinitatis, ubi est titulus ecclesiæ, et in festis infra dictam octavam occurrentibus, non debet ad Primam dici symbolum S. Athanasii. S. R. C. 8 Junii 1709.*

295. *Diebus sexta et septima infra octavam SS. Trinitatis ubi est titularis, faciendum est officium de die secunda et tertia infra octavam Corporis Christi, cum comm. SS. Trinitatis. S. R. C. 8 Junii 1709.*

Prævalet ergo octava SS. Corporis Christi, utpotè privilegiata supra octavam SS. Trinitatis.

296. *Quatuor dignitates, seu canonici assistentes episcopo ad absolutionem ad tumultum, debent necessario esse sacerdotes.* S. R. C. 8 Junii 1709.

297. *In ecclesiis ubi titulus est ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, diebus, in quibus juxta rubricas missalis de transl. fest., possunt cantari duæ missæ, una erit de die, alia de festo. Sed in ecclesiis, in quibus non est obligatio cantandi missam quotidie, cantari potest missa solemnis votiva de festo occurrente tantum.* S. R. C. 17 Augusti 1709.

298. *Quando tertia oratio in missa est ad libitum, et ex jussu Summi Pontificis, vel episcopi, debet apponi aliqua specialis oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turcas, seu ad petendam serenitatem, aut pluviam, etc., hæc oratio debet recitari tamquam ex præcepto quarto loco, non omissa tertio loco illa, quæ est ad libitum, seu pro devotione sacerdotis eligenda.* S. R. C. 17 Aug. 1709. *Ad libitum; hæc oratio desumi debet ex missali de Sancto, vel de SS. Sacramento, vel de patrono, de passione, de cruce, etc.* S. R. C. 2 Septembris 1741.

299. *In die consecrationis, vel tituli ecclesiæ parochialis, non cathedralis et per octavas non potest celebrari missa dedicationis, seu titularis sub eodem ritu dup., ac in parochiali, etiam in oratoriis eidem ecclesiæ parochiali subjectis, in quibus multi sacerdotes celebrant.* S. R. C. 17 Augusti 1709.

300. *De titulo, et consecratione parochialis ecclesiæ, quæ non est cathedralis, non debet fieri officium in die, neque per octavam à sacerdotibus, qui non sunt de clero parochiali, licet sub eadem parochia*

*degant. S. R. C. 17 Augusti 1709. Qui non sunt de clero parochiali; de quo tantum sunt adscripti illi ecclesiæ, quique vi hujus adscriptionis tenentur adesse officiis in choro, ministrare in missis solemnibus, et eidem loco se utiles præbere in catechizando, docendo, etc., si ad hæc munia aptitudinem à Deo acceperint. Interim si quis, quod absit, ex negligentia damnabili, his obligationibus essentialibus sui statûs desit; nihilominus censetur de clero parochiali; adeoque tenetur ad officia patroni et dedicationis.*

301. *Sancti martyres in concurrentia officii duplici cum S. confessore, non debent habere integras Vesperas propter majorem dignitatem et nobilitatem, quam habet martyr præ confessore; neque hæc major dignitas et nobilitas tribuenda est confessori concurrenti cum virgine; sic in concurrentiis officiorum æqualis ritus, quæ possunt accidere, S. confessor non habet integras Vesperas: aliter enim fit in prædictis casibus, quam fiat in concurrentia festorum Domini, B. M. V., Angelorum et apostolorum: undè in antedictis primis concurrentiis standum est præscriptioni rubricæ brev. Rom. de concurrentia officiorum, n.º 2, quæ dicit: regulariter fit à capitulo de sequenti. S. R. C. 14 Decemb. 1709. Non habet integras Vesperas; excipie nisi officium celebretur cum solemnitate et concursu populi; causâ horum duplex concurrens cum alio duplici ejusdem ritus sibi vindicat integras cum sola alterius commemoratione, idque decreto S. R. C. prout sequitur: « Festa per annum duplicia, quæ solemniter celebrantur à choro, et in populo sunt de præcepto, in concurrentia cum æqualibus quoad ritum, et dignitatem possunt habere integras Vesperas ad*

» sensum rubricæ XI brev. Rom. n.º 2. S. R. C.  
» 22 Aug. 1744. »

302. An sub nomine patroni loci, de quo juxta bullam Greg. XIII, regulares tenentur recitare officium sub ritu dup. primæ classis, veniat etiam patronus parochiæ, in qua commorantur? S. R. C. respondit negativè 14 Februarii 1705. Idem confirmavit decr. seq.: « Quamvis PP. Capucini conventûs Leodiensis ex consuetudine plusquàm centum annorum soleant facere officium dup. majus de S. Servatio episcopo 13 Maii, quia est patronus principalis parochiæ, in qua morantur, et est festum devotionis in populo; nihilominus declaratum, et decisum fuit, non licere prædictis PP. Capucinis continuare recitationem dicti officii, nec in alium diem transferre, quando ab alio majori festo contingit esse impeditum. S. R. C. 28 Augusti 1706. » Videndum. 446 et 447.

303. *Benedictio publica sacrorum cinerum primâ die quadragesimæ non potest fieri post Tertiam, sed servandæ sunt rubricæ.* S. R. C. 22 Jan. 1701. Fieri ergo debet post Nonam, non obstante quavis consuetudine in contrarium, prout declaravit eadem Congr. 19 Januarii 1743.

304. *In sacrificio missæ non est adhibenda palla à parte superiori, drappo serico coöperta.* S. R. C. 22 Jan. 1701. Adeoque interiùs et exteriùs debet vestiri telâ lineâ, ex qua conficitur corporale, cujus vices supplet. Ad hoc attendant sacristæ.

305. *Sacerdotes in sacrificio missæ congruentiùs utuntur cingulo lineo, quàm serico.* S. R. C. 22 Januarii 1701.

306. *Ante sacras reliquias expositas ultra lamp-*

dem debent continuò super altare ardere saltem duo lumina, aliàs reliquiæ non exponantur. S. R. C. 22 Januarii 1701.

507. *Ante ostiolum tabernaculi SS. Sacramenti retineri non potest vas florum, vel quid simile, quod prædictum occupet ostiolum cum imagine Domini nostri in eodem insculpta, sed potest collocari in humiliori et decentiori loco.* S. R. C. 22 Januarii 1701

508. *Regularium superiores, et priores locales non veniunt sub nomine ordinariorum, et consequenter non possunt assignare aliquam ex dominicis Novembris pro recitatione officii de patrocínio B. M. V. quod multis locis permittitur celebrandum in aliquo die dominico præfati mensis à locorum ordinariis eligendo.* S. R. C. 22 Januarii 1701.

509. *Sacerdotes exteri confluentes ad ecclesias etiam regularium, et celebrantes de Sanctis etiam ordinis, quando festum celebratur cum solemnitate, et concursu populi, debent in missis se uniformare cum sacerdotibus illius ecclesiæ etiam regularibus quoad Credo, et numerum orationum more duplicium; in aliis verò diebus possunt, si volunt.* S. R. C. 11 Junii 1701 Vide sequens decretum.

510. *In ecclesiis regularium diebus Dominicis, quibus tam regulares, quàm exteri celebrant de dominica, possunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur regulares ratione alicujus octavæ; et regulares celebrantes in alienis ecclesiis uti coloribus juxta ritum eorundem, et tam exteri in ecclesiis regularium, quàm regulares in alienis, possunt apponere commemorationem octavæ, ut suprâ, occurrentis, servatâ rubricâ de duplici oratione habenda in dominicis infra octavam.* S. R. C. 11 Junii 1701. *Servatâ Rubricâ, quæ est: « In dominicis infra octavam occur-*



» rentibus dicuntur duæ orationes , una de domi-  
 » nica , altera de octava ; in casu tamen occur-  
 » rentiæ simplicis , vel orationis imperatæ , tres  
 » dici debent , imò et quatuor , si hæ simul  
 » occurrant. »

311. *Moniales ordinariis subjectæ non debent recitare officium de octava dedicationis ecclesiæ cathedralis , nec possunt ad libitum , et tantùm tenentur recitare officium prædictum sub ritu duplicis secundæ classis sine octava.* S. R. C. 11 Februarii 1702. *Moniales* (sub quibus veniunt regulares) in civitate degentes tenentur dictum officium dedicationis ecclesiæ cathedralis recitare sub ritu duplicis secundæ classis ; quod si impediatur festo altioris ritûs , transferendum est ad primum diem non impeditum , licèt extra octavam , uti patet ex sequenti decreto. « An dedicatio ecclesiæ cathedralis , ad quam regulares intra eandem civitatem constituti , sub ritu dup. secundæ classis celebrandam tenentur , ultra illius octavam transferri possit ab iisdem regularibus , si prima dies altiori festo , simulque tota reliqua octava aliis novem lectionum festis impedita sit ? » *Responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 11 Jan. 1749. Ex his patet regulares et moniales extra civitatem , licèt subjectos episcopo , non posse de dicta dedicatione ullatenùs officium recitare.

312. *Facultas celebrandi cum missali Romano concessa à S. R. C. pro capellanis monialium , intelligi debet pro omnibus et singulis , qui ex debito tenentur celebrare in ecclesiis ipsarum monialium , dummodò celebrent cum missali Romano.* S. R. C. 11 Feb. 1702. Huic decreto derogatum est in pluribus : 1.º Capellani monialium S. Benedicti , ex indulto Bened.

XIII, possunt legere missas proprias Sanctorum ordinis. 2.<sup>o</sup> In ecclesiis ordinis Minorum strictæ observantiæ, indulto SS. sub data 5 Sept. 1775, quilibet sacerdos, sive sæcularis, sive regularis, missali Franciscano uti potest; idem indulgit Pius VI, pro omnibus ecclesiis Capucinorum et monialium ejusdem ordinis.

313. *Sacerdotes non debent deferre manutergium super calicem tam eundo, quàm redeundo ab altari.* S. R. C. 1 Septembris 1703. Pariter nec clavem tabernaculi, nec sudarium, nec conspicilla, nec quidquam aliud, sed hæc omnia deferri debent à ministro.

314. An confraternitates laicorum legitimè erectæ in ecclesiis parochialibus, habeant dependentiam à paroco in explendis functionibus ecclesiasticis, non parochialibus? *Responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 10 Dec. 1703.

315. An confraternitates laicorum erectæ in capellis, vel oratoriis, tum publicis, tum privatis, adnexis parochialibus ecclesiis, ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam à paroco quoad dictas functiones? *Et responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

316. An confraternitates erectæ in aliis ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam à paroco, intrà cujus parochiæ limites sitæ sunt ecclesiæ? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

317. An confraternitates erectæ in oratoriis, tam publicis, quàm privatis, sejunctis ab ecclesiis parochialibus quoad dictas functiones ecclesiasticas, habeant dictam dependentiam à paroco? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

318. An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum, sint de juribus merè parochialibus? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1705. Jus parochiale est illud quod competit parochi, quò tali, ut assistentia matrimoniis, administratio Viatici, extremæ unctionis, etc. Jus non parochiale illud est, quod aliis competere potest circa certas functiones, cujus plura exempla dant præsens et sequentia decreta.

319. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismatis, ignis, seminis, ovorum et similium, sint de juribus merè parochialibus? *Et responsum fuit negativè; sed benedictiones mulierum et fontis baptismatis fieri debere à parochis.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

320. An functiones omnes hebdomadæ sanctæ, sint de juribus merè parochialibus? *Et responsum fuit negativè, prout jacet.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

321. An celebratio missæ solemnis feriâ quintâ in cœna Domini, sit de dictis juribus parochialibus? *Et responsum fuit negativè, prout jacet, sed spectare ad parochum.* S. R. C. 10 Decembris 1705. *Spectare ad parochum*, in propria nempe ecclesia: in aliis autem regularium in districtu illius sitis dicti regulares in cœna Domini et diebus sequentibus missam et officia, invito pastore, celebrare possunt.

322. An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit de juribus parochialibus? *Et responsum fuit negativè, prout jacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad forma mconstitut.* Leonis X, La 22, §. 14, S. R. C. 10 Dec. 1705. Urbis et Orbis: *Ad formam constitutionis Leonis X; videlicet « Tam*

» regulares, quàm alii clerici sæculares, etiam  
 » super hoc apostolicæ Sedis privilegio muniti,  
 » die sabbato majoris hebdomadæ, antequàm  
 » campana cathedralis vel matricis ecclesiæ pul-  
 » saverit, campanam in ecclesiis suis pulsare  
 » minimè possint; et contrafacientes pœnam cen-  
 » tum ducatorum incurrant. Constitutio XXII, quæ  
 » incipit: *Dum intra mentis*, §. 14, cujus initium:  
 » *Et ut debitus*, Romæ edita die 19 Decembris  
 » 1516. » Hanc constitutionem modificavit cong.  
 » episc. et regul. his verbis: « In sabbato sancto  
 » neque à sæcularibus, neque à regularibus pul-  
 » sandæ sunt campanæ ante pulsationem illarum  
 » cathedralis vel matricis, nisi antiqua observantia  
 » habeatur in contrarium, aut ecclesiæ plurimùm  
 » distent. »

323. An celebratio missarum solemnum per an-  
 num, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de  
 dictis juribus parochialibus? *Et responsum fuit*  
*negativè, prout jacet; sed licere confratribus sole-*  
*mnioribus ejusdem ecclesiæ vel oratorii.* S. R. C. 10  
 Decembris 1703. *Solemnioribus nempe diebus,*  
*seu festis.*

324. An expositio 40 horarum et benedictio  
 quæ fit super populum, sit de dictis juribus pa-  
 rochialibus? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C.  
 10 Decembris 1703.

325. An expositio, quæ fit cum reliquiis, vel  
 sacris imaginibus, et benedictio, quæ cum eis  
 fit super populum, sit de dictis juribus pa-  
 rochialibus? *Et responsum fuit negativè, et quod ad*  
*benedictiones cum reliquiis et imaginibus servantur*  
*decreta.* S. R. C. 10 Decemb. 1703. Vide num. 504.

326. An functiones in præcedentibus octo du-

biis, videlicet à dubio quinto ad duodecimum expressæ, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parochi? *Et responsum fuit: Satis provisum in superioribus.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

327. An in oratoriis privatis confraternitatum, per confratres statis horis recitari possint Horæ canonicæ cum cantu, vel sine, absque alia licentia parochi? *Et responsum fuit affirmativè, nisi aliter ordinarius statuat ex rationabili causa.* S. R. C. 10 Dec. 1705.

328. An in oratoriis privatis sit licita celebratio missæ privatæ, assentiente ordinario loci, et contradicente parochi? *Et responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

329. An capellani confraternitatum possint populo denunciare festivitates et vigiliis occurrentes in hebdomada absque licentia parochi? *Et responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

330. An parochus invitis confratribus docere possit doctrinam christianam in prædictis ecclesiis, oratoriis publicis, vel privatis à parochia divisis, et separatis? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

331. An in sæpè dictis ecclesiis publicis confraternitatum possint haberi publicæ conciones etiam per totum cursum quadragesimæ, vel adventûs cum licentia ordinarii et absque licentia parochi? *Et responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

332. An in eisdem ecclesiis possit celebrari missa sive lecta, sive cantata ante missam parochialem, sive lectam, sive cantatam? *Et responsum fuit negativè, nisi aliter episcopus disponat.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

353. An ad parochum spectet officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpè dictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum? *Et responsum fuit affirmativè, quando tumultandus est subditus parochi, intra cujus fines est ecclesia, vel oratorium.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

354. An intra ambitum earundem ecclesiarum fieri possint processiones juxta cujusque confraternitatis institutum, absque interventu, vel licentia parochi? *Et responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

355. An eadem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est? *Et responsum fuit negativè, nisi adsit licentia episcopi.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

356. An in dictis processionibus, capellani confraternitatum possint deferre stolam? *Et responsum fuit negativè, extra propriam ecclesiam.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

357. An episcopo accedente ad ecclesias publicas confraternitatum, quæ non sint regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habent, porrigendum sit aspersionum à parochi, in cujus territorio sint sitæ dictæ ecclesiæ? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Dec. 1703.

358. An earundem ecclesiarum et confraternitatum rectores, et capellanos possit parochus, cessante alio speciali, ac legitimo titulo, et ex solo jure parochialitatis compellere invitos, ad assistendum functionibus ecclesiæ parochialis? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Dec. 1703.

359. An in sæpè dictis ecclesiis confraternitatum, neque parochialibus, neque regularibus,

retineri possit SS. Eucharistiæ Sacramentum sine speciali indulto Sedis apostolicæ? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

340. Præsuppositâ facultate retinendi, an possit intra annum publicè exponi, sine licentia ordinarii? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

341. An possit parochus se ingerere in administratione oblationum, vel eleëmodynarum in sæpè dictis ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ, clavem retinere? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

342. An in ecclesia parochiali confratres, vel eorum capellani immiscere se valeant, invito parochus, in ejusdem ecclesiæ functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

343. An confraternitates, sive sint erectæ in ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu, et juxta uniuscujusque peculiaria statuta congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia parochi? *Et responsum fuit affirmativè, dummodò non impediunt functiones et divina officia.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

344. An possint propria bona administrare, atque de illis disponere absque ulla dependentia à parochus? *Et responsum fuit affirmativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

345. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato ordinarii, et tamquàm ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre, et quatenùs affirmativè? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1703.

346. An etiam suffragium duplex habeat di-

etus parochus num. præcedenti? *Et responsum fuit negativè.* S. R. C. 10 Decembris 1705.

347. *Quando plures adsunt cathedrales unitæ, officium dedicationis cujuslibet ecclesiæ cathedralis non debet recitari ab universo clero diœcesium unitarum, sed in qualibet respectivè diœcesi debet recitari de sua propria respectivè ecclesia cathedrali.* S. R. C. 8 Martii 1704. *Quoad episcopum.* Vide num. 258.

348. *Cruces altarium, seu processionum, non sunt benedicendæ de præcepto; potest tamen simplex sacerdos eas benedicere privatim, et non solemniter.* S. R. C. 12 Julii 1704.

349. *Non sunt omittendæ in suffragiis communibus commemorationes SS. Salvatoris, nec S. crucis in eorum ecclesiis titularibus.* S. R. C. 25 Augusti 1704.

350. *In feria vj. post octavam Ascensionis, si occurrit festum novem lectionum, facienda est in missa commemoratio illius diei, nisi festum fuerit ex solemnioribus, juxta rub. S. R. C. 4 Aprilis 1705. Ex solemnioribus, nempè primæ classis.*

351. *Si accedat ad regularium ecclesias episcopus titularis suffraganeus ad celebrandum pontificaliter, non debent regulares ei baldachinum erigere, quod nec in ecclesiis suis, nec in exemptis diœcesibus, nec extra diœcesim illi competit, quamvis accedat de licentia ordinarii.* S. R. C. 6 Martii 1706.

352. *Regulares absque speciali privilegio, sed solâ communicatione aliarum religionum, non possunt addere nomen Sancti fundatoris in Litanis et Confiteor, nec recitare officia et missas concessas aliis religionibus.* S. R. C. 20 Martii 1706.

353. *Si festum sancti Marci evangelistæ occurrat in feriam ij. post dominicam Resurrectionis, et si-*



*militer festum sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi in dominicam in Albis, ac præterea juxta rubricas utrumque sit transferendum, prius transferri et reponi debet officium S. Marci. S. R. C. 17 Jul. 1706. Vide num. 227.*

354. *Canonicus sacerdos præcedere debet canonicum diaconum, seu subdiaconum anteriorem habentem possessionem, tam in stallis, quàm in aliis omnibus functionibus intra, et extra ecclesiam, et canonicus diaconus, vel subdiaconus anteriorem habens possessionem, promotus postea ad sacerdotium præcedere debet canonicum sacerdotem ordine sacerdotali anteriorem. S. R. C. 27 Aug. 1707.*

355. *Non potest missa votiva de Spiritu sancto, vel alia celebrari etiam ab episcopo pro eligenda abbatissa in festo duplici vel dominica. S. R. C. 28 Apr. 1708. Vide num. 200.*

356. *In die sancti Laurentii titularis alicujus ecclesiæ cathedralis, vel matricis nullius diæcesis, non est recitandum symbolum apostolorum in aliis ecclesiis ejusdem loci, sed tantùm in ecclesia propria. S. R. C. 25 Martii 1709.*

357. *Celebratio missæ solemnæ in diebus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et in die festo SS. Corporis Christi spectat privative ad primam dignitatem, seu primum de capitulo, eo autem absente, vel impedito, non potest alium in sui locum ad libitum subrogare, sed hujusmodi celebratio fieri debet privative ab alio, qui immediate succedit, non verò ab hebdomadario. S. R. C. 25 Martii 1709.*

358. *Celebratio missarum in secundis feriis Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, ac in die festivitatis sancti Stephani protomartyris, necnon in die*

*dominico infra actavam SS. Corporis Christi, spectat ad secundum de capitulo. S. R. C. 23 Martii 1709.*

559. *In festo sanctorum Cornelii et Cypriani, die 16 Septembris, pro commemoratione S. Euphemie et sociarum, dicatur in primis Vesperis antiphona gaudent in coelis, etc. Et in Laudibus antiphona istarum, etc. S. R. C. 14 Decembris 1709.*

360. *Cingulum tertium indumentum sacerdotale potest esse coloris paramentorum. S. R. C. 7 Junii 1709. Vide num. 305.*

361. *Quando altare fuit consecratum ad modum altaris fixi, cum sacris sigillis, et unctionibus inter stipitem et altare, si motus fuerit lapis superior, qui format mensam altaris, à suo stipite, tunc execratur altare; si verò fuerit consecratum ad modum altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, sed tantùm quando frangitur sepulchrum reliquiarum. S. R. C. 21 Junii 1710. Hujus decreti videtur esse sensus: Si reliquie sint inclusæ in ipso lapide mensam altaris tegente, prout includuntur in lapidibus portatilibus ab episcopo consecratis, tunc separatione lapidis à muro super quo jacebat, lapis non amittit suam consecrationem, modò id fiat absque fractione sigilli et absque tali lapidis fractione, ut pars, in qua sunt reliquie, non possit ampliùs continere calicem et hostiam, adeòque in hoc casu lapis separatus denuò reponi potest supra novam basim, et in eo offerri sacrificium. Undè attento hoc commodo, in consecratione novi altaris satius esset locum parare reliquiis in lapide, quàm deorsùm in basi. Si verò reliquie quiescant in muro subtus lapidem; altare execratur separatione lapidis à suo stipite, vel fractione sigilli; per sigillum autem hic non venit*

cera, quâ episcopus obsignat sepulchrum, sed parvus lapis, seu cimentum, quo foramen, seu porta sepulchri clauditur.

Ex hoc decreto colligi potest contra quosdam authores, quòd mens sit sacræ rituum Congregationis reliquias essentialiter requiri ad altaris consecrationem; si quidem violatâ earum sede, altare ipso facto excretur, quod non esset, si per modum accidentis tantùm ad hoc opus adhiberentur.

562. *De patrono, seu titulari ecclesiæ debet fieri officium sub ritu duplici primæ classis cum octava à clero eidem adscripto, etiamsi ecclesia non fuerit consecrata, sed tantùm benedicta. S. R. C. 21 Junii 1710. Vide num. 117 et 502.*

563. *Quando in missa solemnè ministratur sacra Eucharistia clericis, vel laicis, reliqui de clero debent stare. S. R. C. 9 Maii 1711.*

564. *Si festum Annuntiationis inciderit in feriam v. majoris hebdomadæ, præceptum audiendi missam, et abstinendi à servilibus, non erit transferendum, sed omninò servandum in prædicta feria v., prout in Camerinensi, et pro ecclesiis almæ Urbis mandatum fuit 20 Martii 1660. Adeòque per ordinarios locorum providendum, ut eo die pro civitate, degentium numero, plures missæ privatæ ante celebrationem missæ conventualis, pro præcepti adimplemento celebrandæ non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis cleri in missa solemnè ejus diei, quo ecclesia SS. Eucharistiæ Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summâ religione hactenùs observatus, nullo modo omittatur. S. R. C. 12 Septembris 1716. Praxim hujus patriæ circa hoc festum, Vide num. 60.*

365. *Episcopus et administrator amovibilis ecclesiæ vacantis, dum cantat missam, et Vesperas in pontificalibus, non potest sedere super cathedra episcopi elevata quatuor gradibus, parata cum baldachino, et postergali, nec uti potest baculo pastorali; sed sedere debet super faldistorio prope altare, sine ipso baculo.* S. R. C. 22 Augusti 1722.

366. *Episcopus deputatus administrator amovibilis ecclesiæ vacantis, non potest concedere indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate apostolica.* S. R. C. 22 Augusti 1722.

367. *Episcopo deputato administratori amovibili ecclesiæ vacantis, dum assistit missæ solemni, ab alio cantatæ, non debent canonici facere circulos ad kyrie eleïson, Gloria in excelsis, Credo, sanctus et Agnus Dei. Et tunc sedeant in proprio stallo chori.* S. R. C. 22 Augusti 1722.

368. *Pro episcopo deputato administratore ecclesiæ vacantis fieri non debet anniversarium suæ consecrationis, cum missa cantatur per capitulum, et clerum; ejusque nomen non debet in canone memorari per sacerdotes celebrantes.* S. R. C. 22 Augusti 1722.

369. *Dùm episcopus deputatus administrator ecclesiæ vacantis missam cantat in pontificalibus, non debet poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa.* S. R. C. 22 Augusti 1722.

370. *Dùm episcopus deputatus administrator amovibilis ecclesiæ vacantis, cantat missam in pontificalibus, non debent omnes canonici sacris paramentis indui, sed tres tantùm fungentes officio diaconi, subdiaconi, et presbyteri assistentis.* S. R. C. 22 Augusti 1722.

371. *Festum S. Benedicti, quod habet annexum*

*forum incidens in aliquam diem majoris hebdomadæ, transfertur ad feriam tertiam post dominicam in albis tamquàm diem propriam, translato quocumque alio officio etiam æqualis ritûs in eo occurrente.* S. R. C. 6 Septembris 1727. Vide pro hac patria num. 60.

372. *Quando adest consuetudo in aliqua diœcesi celebrandi post festum patroni principalis ecclesiæ immediatè annuam dedicationem propriæ ecclesiæ in proxima dominica; si tali dominica inciderit festum primæ classis, tunc dicta annua dedicatio debet transferri ulterius in aliam diem non impeditam, etiamsi non sit in eodem mense.* S. R. C. 6 Septembris 1727. *Inciderit festum primæ classis; ut sunt Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Pascha Resurrectionis, Ascensio Domini, Pentecostes, festum Corporis Christi, Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, festum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Assumptio B. M. V. et festum omnium Sanctorum; item dominicæ majores, scilicet prima adventûs, prima quadragesimæ, passionis, palmarum, Paschæ, in Albis, Pentecostes et SS. Trinitatis; similiter feriæ majores sequentes, quarta cinerum, dies omnes hebdomadæ sanctæ, Paschatis et Pentecostes, necnon vigilia ejusdem Pentecostes et Nativitatis Domini.* Rubrica breviarii. Vide in tabellis. Hic num. reformatur numero 539.

375. *Abbatibus pontificaliter indutis, uti coabsolventibus, debetur præcedentia super canonicos cathedralis in processionibus funerum.* S. R. C. 24 Novembris 1731. Pro aliis processionibus, vid. num. 62.

374. *Abbatibus pontificaliter induti in processionibus secum ducere possunt duos tantum clericos, seu monachos cottâ indutos, in utroque latere assistentes*

pro servitio, et usu mitræ, et baculi pastoralis. S. R. C. 24 Novembris 1751.

575. Magister cæremoniarum in functionibus tantum episcopalibus uti valet veste violacea ex dispositione cæremonialis. S. R. C. 7 Julii 1754.

576. Magistro cæremoniarum ab episcopo electo, omnes capitulares tenentur obedire quoad ea, quæ divinum cultum concernunt, sub pœna arbitrio episcopi. S. R. C. 17 Julii 1754.

577. Cùm in tota Hispania sit concessum, ut tertiâ dominicâ post Pascha celebretur festum patrociniî sancti Joseph sub ritu dup., ex parte reverendissimi archiepiscopi et capituli ecclesiæ metropolitane Hispalensis quæsitum fuit, si cadat illâ die festum majoris ritûs, an festum patrociniî sancti Joseph sit transferendum ad aliam diem? Et responsum fuit, transferri posse, ita tamen ut pro dicto festo archiepiscopus assignet certam aliquam diem, quæ non sit dominica fixa. S. R. C. 2 Novembris 1755. Hoc decretum est universale; adeoque valet pro aliis locis, et quamvis sac. Cong. contrarium postea decreverit, tamen sanctione novissima decretum superius confirmavit his verbis: « Festum patrociniî sancti Joseph occurrens  
 » in festum altioris ritûs, transferri potest, non  
 » obstante decr. 20 Mart. 1685; additque: Hæc  
 » declaratio facta pro regnis Hispaniæ, valet etiam  
 » pro aliis regnis, quibus idem officium concessum est. S. R. C. 11 Januarii 1749. » Vide num. 510, 511 et 512.

478. Lectiones primi nocturni de Exodo, quæ leguntur in dominica quarta quadragesimæ, quoties ista sit impedita aliquo festo primæ classis, reassumendæ sunt intra illam hebdomadam in festo occur-

rente carente lectionibus propriis primi nocturni, quæ desumerentur de Scriptura occurrente, si festum illud extra quadragesimam incidisset. S. R. C. 26 Novembris 1755.

379. In processionibus præposito cathedralis debetur candela majoris ponderis; et in distributione palmarum, distincta et honorabilior palma, quam cæteris de capitulo. S. R. C. 21 Aprilis. 1756.

380. Præposito cathedralis non debentur paramenta sacra, et nobiliora in loco distincto à cæteris canonicis. S. R. C. 21 Aprilis 1756.

381. Præpositus cathedralis tenetur per seipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in choro, et canere missas per turnum cum cæteris canonicis. S. R. C. 21 Aprilis 1756.

382. In festo B. M. V. de monte Carmelo, quod etiam à regularibus servari debet die 16 Julii, quamvis officium recitetur juxta concessionem Bened. XIII, prout in festo S. Mariæ ad Nives, tota tamen missa, et non tantum evangelium, dicatur illa, quæ à Sede apostolica approbata est, et quæ incipit: Gaudeamus omnes, etc. S. R. C. 5 Maii 1756.

383. Quando festum S. Petri martyris transfertur extra tempus Paschale, evangelium erit: si quis venit ad me, etc. S. R. C. 5 Maii 1756.

384. Ab orationibus tantum expungenda sunt cognomina et patriæ Sanctorum, S. R. C. 5 Maii 1756. Vide num. 79.

385. Si die 21 Januarii occurrat in aliquibus locis festum alicujus Sancti particulare sub ritu dup., v. g. sancti Meinradi, apud Benedictinos, faciendum est officium de tali Sancto, et transferendum est officium S. Agnetis, quod occurrit eadem die, cui assignari debet aliqua dies fixa, quæ tamen non sit dies 28

*Januarii, ne festum SS. nominis Jesu, quod celebratur dominicâ secundâ post Epiphaniam, aliquando occurrat in eadem dominica, quæ est septuagesimæ; ideòque ne illud festum celebretur intra quadragesimam (quod non conveniret), erit relinquenda vacua dies 28 Januarii, in quam id tunc erit transferendum. Quando autem agatur festum sanctæ Agnetis secundò, fiet de eo commemoratio, tamquàm de simplici, nullo habito respectu, quòd festum ejusdem solempne prius non fuerit celebratum. S. R. C. 5 Maii 1736.*

386. *In tertio nocturno pro festo sancti Joannis Nepomuceni tam intra quàm extra tempus Paschale, semper dicatur evangelium: nihil est opertum, etc. cum sua homilia. S. R. C. 5 Maii 1736.*

387. *Ubi celebratur festum S. Barbaræ sub ritu duplici, etiamsi sine speciali solemnitate, fiet de illa officium, assignando aliam fixam, et perpetuam diem S. Petro Chrysologo. S. R. C. 5 Maii 1736.*

388. *Quando occurrit festum aliquod in diœcesi, quod sit de præcepto quoad forum, regulares de eo debent officium facere, nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud festum, quod sit ejusdem classis, ritus, et majoris dignitatis. S. R. C. 5 Maii 1736. Vide num. 435.*

389. *Quando in primis Vesperis sancti Hermenegildi martyris, hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in Matutino, et hymnus Matutini substituendus est in Laudibus. S. R. C. 5 Maii 1736. Idem dicendum de similibus, v. g. de sancta Martina die 30 Januarii, aliisque, ne gestorum historicus ordo subvertatur.*

390. *Quando vigilia omnium Sanctorum venit in dominica, et consequenter anticipanda est in sabbato, quod tunc erit 30 Octobris, in qua à PP. Benedi-*



*ctinis celebratur festum sacrarum reliquarium totius ordinis, tunc à prædictis monachis facienda est commemoratio tantum de vigilia omnium Sanctorum. S. R. C. 5 Maii 1736. Fieri debet commemoratio tantum vigiliæ, non legi illius evangelium in fine missæ, quia est idem vigiliæ et missæ: idque venit observandum in similibus casibus.*

591. *In die octava dedicationis semper sunt repetendæ lectiones in primo nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in primo nocturno officii de ipsomet festo dedicationis. Rub. brev. de lectionibus, num. 9. S. R. C. 5 Maii 1736. In primo nocturno, quia sunt propriæ festo: aliud est de lectionibus tertii nocturni; si enim per octavam lectum fuerit officium de Sancto, in die octava, ad evitandam repetitionem assumi possunt lectiones de homilia omissæ. Idem die quoad secundum et tertium nocturnum in die octava SS. Angelorum custodum.*

592. *Quando dies octava dedicationis impeditur per festum majoris ritus, et in ea occurrat dominica, vel concurrat in primis aut secundis Vesperis semiduplex, commemoratio diei octavæ facienda est ante commemorationem dominicæ occurrentis, et semiduplicis cujuscumque occurrentis. S. R. C. 5 Maii. 1736. Hoc decretum valet pro aliis octavis.*

593. *Quæsitum fuit, an, si per dedicationem ecclesiæ, vel aliud festum cadens in dominica, impediatur initium Scripturæ talis dominicæ, et per octavam non sit locus pro ea, eò quòd omnes dies sint dies infra octavam, præter unam fortè, quæ tamen habet lectiones de communi assignatas, tunc tale initium sit omittendum, vel potius reponendum in illo festo, et quid si illud sit duplex majus? Et responsum fuit: initium Scri-*

*pturæ aut transferendum est ad diem liberam, etiamsi post octavam hoc eveniat, aut anticipatè legendum; sed in officio, pro quo assignatæ sunt lectiones de communi, illæ sunt legendæ: quod faciendum est etiam in duplici majori, juxta rubr. brev. de lection. S. R. C. 5 Maii 1756. Vide num. 400.*

394. *Ubi festum SS. Trinitatis est titulus ecclesiæ, non est dicendum per totam octavam, sive officium fiat de octava, sive de alio festo occurrente, symbolum S. Athanasii, sed solum in solemni festo SS. Trinitatis, et in die octava ejusdem. S. R. C. 5 Maii 1756.*

395. *Festa illa, quæ à die obitus aliquorum Sanctorum translata, sortita sunt alium diem fixum, annuntianda sunt iisdem diebus, et verbis in martyrologio Romano descriptis. Quòd si eorum transferantur officia, pridie quàm celebrentur, potest nuntiari festum illius Sancti, de quo sequenti die agatur solemnis memoria. S. R. C. 5 Maii 1756. Sequitur et aliud conceptum his verbis: « Festa quæ perpetuò in aliam diem translata sunt et remissa, pronuntiari debent in martyrologio eo ipso die quo celebrantur, non eo quo notantur. » S. R. C. 2 Sept. 1741.*

396. *Si in dominica iv. post Pascha legantur lectiones initii epistolæ beati Jacobi apostoli; in festo SS. apostolorum Philippi et Jacobi legendæ sunt lectiones ejusdem epistolæ, quæ occurrunt dicendæ in illa feria. S. R. C. 5 Maii 1756. In illa feria, si de epistola beati Jacobi legatur, alioquin ponitur in die festo initium ejusdem epistolæ, ut in dominica iv. post Pascha. Rubr. brev. prop. de Sanctis.*

397. *Dominicâ in Albis potest legi nona lectio de simplici festo occurrente, ut accidit an. 1755, de S. Aniceto. S. R. C. 5 Maii 1756.*

398. *Quando festum SS. Philippi et Jacobi celebratur extra tempus Paschale, omitti debent omnia alleluia. Asterisci verò non tolluntur.* S. R. C. 5 Maii 1656. *Omnia alleluia.* Intellige plura, quæ congruunt tempori Paschali, non ea quæ habentur extra tempus prædictum in communi apostolorum breviarii Romani, ex quo responsoria lectionum, capitula omnia, et responsoria brevia cum versiculis omnibus desumi debent.

399. *Quando October habet tantum quatuor dominicas, servetur omninò dispositio breviarii Romani, et in feria quinta, sexta et sabbato hebdomadæ quartæ legantur lectiones de dominica quinta continentés historiam martyrii SS. Machabæorum.* S. R. C. 5 Maii 1756. *Lectiones de dominica quinta: scilicet, de dominica quinta in die feriæ quintæ, et in feria sexta de feria secunda; in sabbato verò de feria tertia ejusdem dominicæ quintæ.* Quòd si fuerint impeditæ eo anno, omittantur illæ lectiones, quæ iis diebus legi non possunt. Si verò in sequenti hebdomada hæ lectiones in suis feriis legi non possint, ponuntur in sequentibus feriis ejusdem hebdomadæ, juxta ordinem historiæ martyrii Machabæorum. *Rubr. brev. de tempore post feriam quintam dominicæ quartæ Octobris.*

400. *Quando in festo aliquo lectiones assignantur legendæ sive propriæ, sive de communi, omittitur etiam initium Scripturæ, quod reponendum est infra hebdomadam in officio ritus inferioris, minoris dignitatis, et solemnitatis: etiamsi tale festum habeat lectiones proprias, aut sint de communi.* S. R. C. 5 Maii 1756. Vide num. 393.

401. *In festo S. Joannis Chrysostomi quoad lectiones in primo nocturno legendas, servetur rub. brev.*

Rom. : undè extra quadragesimam dicantur lectiones de Scriptura occurrente ; intrà quadragesimam verò recitentur lectiones de communi doctorum. Pro sancto Joanne de Matha idem servandum , et in quadragesima dicantur lectiones de communi ; scilicet beatus vir , etc. S. R. C. 5 Maii 1736.

402. Quando festum S. Raphaëlis celebratur dominicâ tertiâ post Pascha , antiphona primi nocturni erit : multa Magnalia , et in secundo nocturno : Archangelus Raphaël ; in tertio autem : Angelus Archangelus , etc. S. R. C. 5 Maii 1736.

403. Dominicâ tertiâ post Pascha , ubi celebratum est festum S. Raphaëlis Archangeli , in tertio nocturno recitetur homilia sancti Joannis Chrysostomi , nempe : cum vellet Deus , etc. S. R. C. 5 Maii 1736.

404. Festum Lanceæ , quod est approbatum ex indulto in Germania et celebratur feriâ sextâ post dominicam in Albis , si ob occurrentiam alicujus festi novem lectionum impediatur , transferri debet ad aliam feriam sextam intrà tempus Paschale tantùm. S. R. C. 5 Maii 1736.

405. Die 5 Martii , quâ in Germania occurrunt S. Anselmus abbas , et S. Cunegundis virgo imperatrix , faciendum est officium de S. Cunegunde , et assignanda fixa , et propria dies pro sancto Anselmo. S. R. C. 5 Maii 1736.

406. Si festum sancti Joannis Baptistæ , sive aliud ex solemnioribus venerit in die Corporis Christi , officium S. Joannis singulari privilegio transfertur in sequentem diem à quocumque die duodecim lectionum etiam impeditam , cum commemoratione octavæ ; sed in secundis Vesperis Corporis Christi fit commemoratio tantùm S. Joannis ; cætera verò festa solemniora occurrentia in dicta die Corporis Christi transferantur

*infra octavam in primam diem non impeditam. S. R. C. 23 Junii 1736.*

407. *Sequentia in missa de SS. nomine Jesu est omittenda. S. R. C. 23 Junii 1736, et 16 Februarii 1737. Sequentia est omittenda: Minimè verò à Fratribus Seraphici S. Francisci; sed prout habetur in missali proprio, sub die 14 Januarii ab Innocentio Papa approbato.*

408. *Dùm præter missam conventualem cantatur missa ex fundatione, in hac missa non debet fieri commemoratio festi, de quo cantatur missa conventualis. S. R. C. 23 Junii 1736.*

409. *Quando occurrit vigilia, aut feria quatuor temporum infra octavam conceptionis B. M. V., debet recitari officium de die infra octavam; missæ autem sive una cantetur, sive legatur, sint de feria quatuor temporum cum secunda oratione de octava, et tertia de Spiritu sancto, quæ semper dicitur infra octavas B. M. V. juxta tit. 9 de orationibus, num 7 et 9; nam oratio, quæ ibi præscribitur dicenda secundo loco, ponitur tertio loco. At si feria quarta quatuor temporum occurrat in die octava conceptionis, omnes missæ privatæ dicantur de octava cum commemoratione fericæ; missa autem solemnisis, quæ dicitur post Tertiam, erit de ipsa octava sine commemoratione fericæ, cum de ea cantari debeat alia missa post Nominam sine commemoratione conceptionis. Dicendæ autem sunt orationes assignatæ in ipsa feria, nempe secunda, Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, et tertia Ecclesiæ, vel pro Papa, cum præfatione communi. Idem servandum est in missa, et officio alicujus Sancti, ex speciali privilegio aliquibus in locis in quadragesima octavam habente, in qua missæ omnes dici debent de feria cum commemoratione*

octavæ, et tertia oratione concede; non verò à cunctis. Tempore autem passionis, quando contingat fieri officium de infra octavam, unica pariter cantari debet missa de feria cum commemoratione diei infra octavam, et præfatione de octava, si habeatur propria, ut dictum est de octava conceptionis. S. R. C. 23 Junii 1736.

410. In missa votiva, quæ celebrari aliquando potest infra octavam, in adventu, quadragesima, quatuor temporibus, vigiliis et feria secunda rogationum, prima oratio erit de missa, secunda de octava, tertia de feria, et non recitatur evangelium ferix, sed initium S. Joannis: In principio, etc. S. R. C. 23 Junii 1736.

411. Octava S. Scholasticæ, quando de illa fiat officium apud Benedictinos, impedit preces, etc. Quòd si occurrat in feria iv. cinerum, dicuntur preces, sed nihil fit de octava, quæ terminatur ad primas Vesperas ferix iv. cinerum exclusivè. S. R. C. 23 Junii 1736.

412. Quæsitum fuit, an conformiter ad decretum S. R. C. de commemoratione octavæ S. Scholasticæ in die cinerum omittenda, etiam in dominica passionis infra octavam S. Benedicti cadente, et ejusdem dominicæ in primis Vesperis sit omittenda commemoratio octavæ? Et responsum fuit: in primis Vesperis facienda est commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur post dominicam passionis, secùs autem si dies octava incidat in eandem dominicam passionis, quia propter dominicam privilegiatam cessat octava. S. R. C. 23 Junii 1736.

413. In officio votivo immaculatæ conceptionis, in antiphona quæ dicit: post partum Virgo invio-

lata permansisti, *dici non potest* immaculata. S. R. C. 23 Junii 1736. Supponit sac. rit. Cong. in hoc decreto recitari debere in officio votivo conceptionis B. M. V. pro antiphona tertii nocturni, *post partum*, non verò *Angelus Domini*, prout habetur in officio festivo dictæ conceptionis, et per illius octavam: undè emendanda sunt quædam breviaria in quibus præscribitur in dicto officio votivo, uti in festivo, antiphona *Angelus Domini*.

414. *In adoratione crucis feriæ vj. in Parasceve, debent celebrans et ministri deponere etiam manipulum.* S. R. C. 15 Septembris 1736.

415. *Translato festo semiduplici ad vigiliam aliqujus apostoli, in missa festi, tertia oratio debet esse à cunctis.* S. R. C. 15 Sept. 1736. *In missa festi: in missa verò vigiliæ dicitur Ecclesiæ, vel pro Papa.* Rub. miss. IX, de orationibus, num. 9.

416. *Si secunda oratio est de Spiritu sancto, aut de eo fit mentio, tertia sive ultima non debet concludi: ejusdem Spiritus sancti Deus, etc.* S. R. C. 15 Septembris 1736. Regulam accipe indè generalem: quando sunt plures orationes sub una conclusione, nisi fiat mentio sancti Spiritus sub ultima oratione, hæc concludi debet sine *ejusdem Spiritus sancti Deus*. Porrò sic concludi debent orationes ut sequitur: si oratio dirigatur ad Patrem; concluditur *per Dominum nostrum*; etc. Si ad Filium, *qui vivis et regnas cum Deo Patre*, etc. Si in principio orationis fiat mentio Filii, concluditur *per eundem Dominum nostrum*, etc. Si in fine orationis Filii fiat mentio, *qui tecum vivit*, etc. Si facta sit mentio Spiritus sancti, ut suprà, dicitur *in unitate ejusdem Spiritus sancti*, etc. Rub. miss. de orationibus IX, num. ultimo.

417. *In communionē monialium habentium fenestrellam in parte evangelii, sacerdos debet descendere, et reverti per gradus anteriores, et non per laterales altaris.* S. R. C. 15 Septembris 1736.

418. *Post expositionem reliquię sanctissimę crucis, vel post ejus delationem in processione, benedicendus est populus cum ipsa.* S. R. C. 15 Sept. 1736.

419. *Reliquia SS. crucis non est incensanda à celebrante genuflexo.* S. R. C. 15 Septembris 1736.

420. *Non est genuflectendum à capitulo et clero processionaliter transeuntibus ante altare in quo recondita est reliquia SS. crucis.* S. R. C. 15 Sept. 1736.

421. *Serventur rubricę missalis, breviarii et cęremonialis episcoporum ad verba invitatorii: Venite adoremus, et procidamus ante Deum, etc. ad verba symboli: et incarnatus est, etc. et ad alia similia genuflectionem requirentia, etiam à cantoribus ad ambonem, aut chorum regentibus, dum ea proferruntur actualiter: sic tamen, ut quando mora genuflectionis est brevis, hæc fiat, quando autem mora est longa, ac plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflectendum erit sub finem verborum.* S. R. C. 8 Martii 1708. *Alia similia; illa sunt, quę sequuntur: 1.º Flectendum est sub prima strophā hymni Veni Creator, idem quoque sub prima hymni B. M. V. Ave maris stella, et sub hymno crucis infra stropham: O crucę, ave spes unica. 2.º In hymno Te Deum, sub versiculo: te ergo quęsumus, etc. et non ultra illum. 3.º Sub hymno Pange lingua, ad stropham: Tantum ergo, etc., sed tantum in ecclesia, ubi est expositum SS. Sacramentum, vel latens in tabernaculo. 4.º Sub hymno Verbum surpernum prodiens, ad stropham: O salutaris Hostia; sed solum quando SS.*



Sacramentum est patenter expositum. Hæc excerpta sunt è cærem. episc., lib. 2, cap. 5, num. 2; et cap. 6, num. 8; rub. miss. et brev. prop. necnon quædam ex auctoribus.

422. An officia pro animabus confratrum extra diem obitûs, seu depositionis, tertium, septimum et trigesimum, cum castro doloris et concursu sacerdotum officinata, habere debeant ritum duplicem vel semiduplicem cum psalmo, ac tribus orationibus? *Responsum fuit: servantur rub. rit. Rom. unà cum novissimo decreto edito anno 1757. Nempè duplicatio antiphonarum, præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, et diem depositionis defuncti, fiat in diebus tertio, septimo, trigesimo, et anniversario tantùm. S. R. C. 8 Martii 1758. Quoad psal. De profundis et Lauda anima mea Dominum, exstat seq. decretum: « In officio » defunctorum in Vesperis et Laudibus, dicendi » semper sunt psalmi appositi, nempè De profun-*  
*» dis et Lauda anima mea Dominum post Vesperas » et Laudes; omittantur iidem psalmi tantùm in » die commemorationis omnium fidelium defun-*  
*» ctorum, et in die obitûs, seu depositionis de-*  
*» functi. S. R. C. 23 Junii 1756. » Quæritur an in*  
*dictis casibus omittendum sit invitatorium, cum*  
*rubrica breviarii innuat, quòd hoc dicatur in die*  
*commemorationis omnium fidelium defunctorum?*  
*Et responsum fuit negativè: nempè quòd in officio de-*  
*functorum, quando recitatur integrum, numquam*  
*omittendum sit invitatorium. S. R. C. 9 Maii 1759.*

525. Si transferatur ad tempus Paschale festum SS. martyrum in quorum missa introitus sit gaudeamus omnes in Domino, etc., si ultra introitum gaudeamus, etc., habeat etiam proprium vel evangelium, vel

*epistolam, tunc debet recitari idem introitus; secus si nihil aliud proprii haberet, quia in eo casu introitus alter incipiens: Protexisti me Deus, etc. dicitur. S. R. C. 29 Nov. 1758.*

424. *Si festum alicujus sancti martyris habens in missa proprium evangelium, transferatur ad tempus Paschale, dici debet idem proprium evangelium, non verò unum ex assignatis pro tempore Paschali. S. R. C. 29 Novembris 1758.*

425. *An in officio transverberationis sanctæ Teresiæ debeat ad matutinum recitari hymnus: hæc dies, quâ candidæ, vel potius de communi virginum? Et responsum fuit, debere recitari hymnos proprios qui recitantur in festo sanctæ Teresiæ, sed loco hæc dies, quâ candidæ, dicatur in festo transverberationis: felix dies, quâ candidæ. S. R. C. 29 Novembris 1758.*

426. *Dùm incensatur altare, in quo est expositum publicæ adorationi venerabile Sacramentum, non debet post illud incensatum crux quoque incensari. S. R. C. 29 Nov. 1758.*

427. *Ad dubium an usus cantandi preces feriales continuari possit? Responsum fuit, non esse attendendam consuetudinem assertam concinendi preces feriales ad Vesperas et ad Laudes in diebus juniorum per depressionem vocis à Fa ad Re, sed utendum tono, ac voce uniformi per simplicem Fa. S. R. C. 9 Maii 1759.*

428. *Ex parte moderni episcopi Polensis, sac. rit. Congr. pro declaratione infrascripti dubii supplicatum fuit, nempe dignitates, canonici et capitulum cathedralis Polensis, obtentu consuetudinis, terminatis omnibus Horis canonicis, etiam diebus festivis, in quibus nec horam Tertiam um-*

quam canunt, nisi Pontificalia exercente episcopo, recitatis anticipatè hoc casu Sexta et Nona, missam conventualem decantant. Itemque missas pro defunctis à testatoribus legatas ante Matutinum, quoties contingunt, cum cantu celebrant. Cùmque hæ consuetudines resistant rubricis missalis, tit. *de hora celebrandi missam*, necnon cuidam decreto sac. rit. Cong. die 18 Junii 1689, quæritur, an, attentâ consuetudine, tolerari queant hujusmodi respectivè anticipationes et postpositiones Horarum et solemniùm missarum cantuum suprâ memoratæ? *Et responsum fuit: serventur omninò rubricæ missalis Romani sub tit. XV. S. R. C. 9 Maii 1759.*

429. *Nequit episcopus abbatibus, aliisque Prælatibus inferioribus exercitium Pontificalium restrictivè habentibus in suis tantum ecclesiis, facultatem, seu licentiam impertiri exercendi illa in ecclesiis ipsis non subjectis, sive sæculares fuerint, sive regulares suæ diæcesis. S. R. C. 11 Julii 1759. Vide num. 97, 128 et 129.*

450. *In sabbatis quatuor temporum, vel aliis ad ordines conferendos à jure præstitutis, episcopus ordinationes faciens, missam de feria, non autem de Sancto, qui fortè diebus illis occurret duplex vel semiduplex, v. g. S. Mathiæ tempore verno, S. Thomæ tempore hyemali, etc. celebrare debet. S. R. C. 11 Julii 1759. A jure præstitutis, quæ sunt sabbata in omnibus quatuor temporibus, sabbatum ante dominicam de passione, et sabbatum sanctum. Pontif. Rom. part. I, de ordinibus conferendis.*

451. *Titulus ecclesiæ assumptus de beato suppressi debet, et alius pro eo de Sancto jam canonizato substitui. S. R. C. 25 Jan. 1740.*

452. *Officium patrocini B. M. V. in dominica Novembris ab ordinario loci assignandum, si per totum mensem à duplicibus primæ classis cum octavis dominicæ sint impeditæ, prædictum officium in hoc casu non est recitandum in die alicujus octavæ, sed transferendum pro gratia servatis rubricis brev. Rom. de translatione festorum. S. R. C. 1 Octobris 1740. Servatis rubricis breviarii; id est, transferendum esse in primam diem non impeditam, dummodò semper præferantur festa dignioris ritûs, majoris, seu solemnioris. Rub. brev. X, de transl. fest.*

453. *Cùm in ordine Carmelitarum excalceatorum festum Corporis Christi celebretur cum octava ad instar octavæ Epiphaniæ, in qua non admittuntur nisi duplicia occurrentia primæ classis; quæsitum fuit, an octavæ inchoatæ ante festum Corporis Christi, adveniente eodem festo, debeant cessare sicut aliæ octavæ cessant à 17 Decembris usque ad Epiphaniam? Responsum fuit: Si octava inchoata sit ante festum Corporis Christi, eo adveniente octava est deserenda. Quòd si infra octavam occurrat festum sub ritu duplici primæ classis, de eo celebrabitur officium cum commemoratione octavæ occurrentis. Si verò infra octavam Corporis Christi occurrat festum secundæ classis, nihil de eo fit, sed transfertur post octavam Corporis Christi, pereunte octava festi translati, si post octo dies à die ejusdem festi octava celebretur. S. R. C. 21 Aprilis 1741.*

454. *Responsorium ex testamento quotidie cantandum pro defunctis à monialibus monasterii Das Chagas potest cantari post missam decantatam, exceptis diebus primæ et secundæ classis, octavis eorundem festorum privilegiatis, necnon tota hebdomada majori, in quibus diebus, ne pia testatoris voluntas defrau-*

detur, recitetur privatim in choro à monialibus prædictis, absolutis Horis canonicis. S. R. C. 8 Julii 1741.

435. Quando festum Annuntiationis B. M. V. transfertur simul cum præcepto audiendi sacrum ad feriam ij. post dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici etiam primæ classis eo die occurrenti. Si verò transferatur absque præcepto audiendi sacrum, præfertur quidem cuicumque festo translato, licèt primæ classis, non autem festis eo die occurrentibus. S. R. C. 2 Septembris 1741. Non autem festis eo die occurrentibus. Si sint majoris ritûs, aut dignitatis. Vide seq. decretum.

An quando festum Purificat. B. M. V. occurrit in dominica privilegiata, ejus officium transferri debeat in feriam secundam immediatè sequentem, an in primam diem non impeditam festo dup., vel semid.? *Responsum fuit*: « Quando hujusmodi » casus intervenerit, officium Purificationis esse » transferendum in feriam secundam immediatè » sequentem, quocumque festo etiam æqualis, » non tamen altioris ritûs in eam incidente; et » idem servandum mandavit, quando festum An- » nuntiationis occurrat in dominica privilegiata; » quod si in hebdomada majori, vel Paschali, » tunc Annuntiationis officium pari cum privi- » legio in feriam secundam post dominicam in » Albis transferri voluit; atque hoc decretum » generalibus calendarii Romani Rubricis adjici » præcepit sac. rit. Cong. 20 Julii 1748, in decreto » *Urbis et Orbis*; quòd si in hebdomada majori, » excipe feriam vj. et sabbatum. » De quibus vide num. 36, 60, 192 et 193.

Aliquid etiam speciale statuitur pro festo septem dolorum B. M. V., de quo in rubrica præfixa

ejusdem officio ut sequitur : « Si hoc festum occurrat cum alio festo duplici primæ vel secundæ classis, transfertur in sabbatum sequens, non obstante quòd dicto sabbato occurrat aliud officium alterius Sancti, dummodò non sit altioris ritûs, et tunc festum Sancti occurrentis juxta rubricas generales transfertur, sed non transferatur, nempè officium septem dolorum, ad tempus Paschale, quia non congruit diebus lætitiæ seu Paschalibus officium lugubre, quale est officium septem dolorum, quod omitti debet illo anno. » Vide num. 169 et 435.

436. *Obligatio audiendi sacrum non reddit solemnitatem majorem, sed relinquit officium in suo ritu: quare reponendum priùs erit officium altioris ritûs præ alio minoris, quamvis istud haberet annexum præceptum audiendi sacrum; cùm sit peculiaris tantummodò prærogativa festi Annuntiationis B. M. V. et S. Joseph, ex decretis tùm Alexandri VIII, tùm Clementis XI, quòd ista festa sic translata quibusque aliis festis, tàm translatis, quàm occurrentibus præferantur, quando cum illorum officio transfertur simul obligatio audiendi sacrum. S. R. C. 2 Septembris 1741. Vide num. 235.*

437. *Duplicia majora habent lectiones primi nocturni vel proprias, vel de communi, non autem de Scriptura occurrente. S. R. C. 2 Septembris 1741.*

438. *In missis defunctorum, seu ut utar verbis decreti, in paramentis nigris, non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem à custodia; potest tamen ministrari per modum sacrificii, prout est, quando fidelibus præbetur communio cum particulis infra eandem missam consecratis. S. R. C. 2 Sept. 1741.*

439. *Commemorationem de SS. Sacramento tempore solemnis expositionis posse fieri in missa de festo duplici, non tamen primæ vel secundæ classis, declaravit sac. rit. Cong.; insuper Sanctorum reliquias non esse collocandas super altari, in quo reipsa SS. Sacramentum publicæ venerationi est expositum. S. R. C. 2 Sept. 1741. Vide num. 209 et 469.*

440. *In festo translato stigmatum S. Francisci, nulla est facienda mutatio in hymno; quæ quidem mutatio servanda modò est in festo S. Joachim, dominicâ infra octavam Assumptionis celebrando. S. R. C. 2. Sept. 1741. Hoc est, quòd in officio translato stigmatum, hymnus legi debeat omninò ut in die proprio.*

441. *Organa non silent, quando ministri altaris, diaconus scilicet et subdiaconus utuntur in missa dalmaticâ et tunicellâ, licèt color sit violaceus. S. R. C. 2 Septembris 1741. In missa: silent verò ad Vesperas dominicæ tertiæ adventûs, quæ dicitur: gaudete in Domino, et quartâ quadragesimæ, quæ dicitur: lætare Jerusalem. Cærem. episc. lib. 2, c. 28, num. 2.*

442. *Ubi festum S. Petri ad vincula, vel conversionis S. Pauli est titulus Ecclesiæ, semper per octavam faciendâ est commemoratio distincta alterutrius, prout in die festo, non autem unica communis per antiphonam: Petrus apostolus, etc. S. R. C. 2 Septemb. 1741. Facienda est commemoratio per antiphonam in die S. Petri ad vincula pro S. Paulo, tam in Vesperis, quàm in Laudibus: sancte Paule apostole, etc. Vers. Tu es vas, etc. Oratio: Deus, qui multitudinem gentium; in die verò conversionis S. Pauli, pro S. Petro, in Laudibus et Vesperis: tu es pastor, etc. Vers. Tu es Petrus, Oratio: Deus, qui beato Petro, etc. Rubr. brev. prop.*

443. *In festo S. Teresiæ, lectiones primi nocturni sunt de Scriptura, non verò de communi. S. R. C. 2 Septembris 1741.*

444. *Regulares etiamsi recitent officium juxta ritum calendarii cleri sæcularis civitatis, non tenentur ad recitationem officii de octava patroni loci, vel titularis principalis. S. R. C. 2 Sept. 1741.*

445 *Festa Sanctorum, quibus concessa est octava perpetuò translata, et ab assignato cuilibet illorum die perpetuò amota, celebranda sunt sine octava, si de ea nihil remaneat: vel cum residuo illius si de ipsa aliqui dies tantummodò supererunt. S. R. C. 16 Septembris 1741.*

446. *Si festum alicujus Sancti erit, tamquam patroni loci electi à clero, populo, etc. illius loci cum approbatione episcopi vigore constitut. Urbani VIII, anno 1642, quæ incipit: Universa, juxta decreta sac. rit. Cong., tunc festum prædicti Sancti erit de præcepto observandum et celebrandum ab incolis totius loci, etiam à suburbanis, aliàs negativè. S. R. C. 15 Septembris 1742. Vide num. 588.*

447. *Si festum prædictum erit de patrono loci, etc., officium erit celebrandum sub ritu primæ classis cum octava ab omnibus sacerdotibus sæcularibus ejusdem. Si verò festum, etc., erit titularis illius tantum ecclesiæ parochialis, officium celebrandum erit sub ritu primæ classis ab iis sacerdotibus, tantum cum octava, qui addicti sunt servitio ecclesiæ illius parochialis, et non ab aliis. S. R. C. 15 Septembris 1742. Addicti servitio, adscriptione, vel beneficio licèt tenuissimo, ita S. R. C. 16 Maii 1744.*

448. *Quando non constat, officia, quæ recitantur in aliqua diœcesi, à sancta Sede apostolica concessa esse, quæritur an licèt possint om-*



nes diœceses de illis talia officia habere, vel illæ diœceses debeant cessare à tali recitatione? *Et sac. Rit. Cong. respondit: Serventur decreta edita super officiorum recitatione. Qui autem particularia officia recitare desiderant, instent pro illorum approbatione et concessione. S. R. C. 1 Dec. 1742. Serventur decreta edita, etc., quæ tollunt talium officiorum recitationem post bullam S. Pii Papæ V.*

449. Cùm in synodo provinciali constitutum sit, ut in adventu singulis diebus celebretur missa primaria de beata Virgine, quæ vocatur: *Rorate*, utrùm in duplicibus possit dici missa eadem privatim, et in dominicis adventûs, ac in festis primæ vel secundæ classis secundùm institutum ejusdem synodi, utrùm ut solemnis cum oratione unica, *Gloria* et *Credo*, an verò cum orationibus dominicæ, vel aliarum canenda sit, et præcipuè in illis ecclesiis, ubi non est consuetudo cantandi duas, sed tantùm unam missam? *Et responsum fuit, tum ad primam, tum ad secundam hujus dubii partem negativè. S. R. C. 1 Decembris 1742. Vide num. 126, ubi exceptio quædam ponitur pro novem diebus ante Nativitatem Domini.*

450. An illa antiphona: *ecce Sacerdos magnus*, quæ dici debet ex dispositione Pontificalis Romani in ingressu et receptione prælatorum in suis civitatibus, debeat repeti toties, quoties iidem prælati ingrediuntur ecclesiam cathedralem ad actus pontificales peragendos? *Et responsum fuit: Servetur consuetudo. S. R. C. 11 Maii 1743. Ecce Sacerdos magnus*, quod vocatur responsorium, tono octavo modulandum, vel antiphona: *Sacerdos et Pontifex*, etc. si prælatus non esset episcopus, putà diaconus cardinalis, cantatur responsorium

tono septimo, *fidelis namque*, etc.; et si essent duo vel plures, tono octavo canitur: *vos estis cives*, etc. Pontif. Rom., jussu Benedicti Papæ XIV, part. 3, ordo ad recipiendum prælatum vel legatum.

451. *In oratione à cunctis, et in suffragiis, præponendus est S. Joseph apostolis Petro et Paulo, ut præscribitur in litanis majoribus. S. R. C. 11 Maii 1745. Præponendus est S. Joseph apostolis, nomen quoque sancti Michaëlis Archangeli, quod quidem intelligi potest de omnibus Angelis, ex hoc aliisque sac. rit. Cong. decretis. Quoad sanctum Joannem Baptistam, iisdem esse præponendum patet ex rubrica missalis.*

452. *Ubi S. Joannis Baptistæ festum, et ejusdem decollationis memoria, gaudent prærogativâ patroni vel titularis, in missa est utique recitandum symbolum, secùs verò negativè, nisi rursùs adesset ejusdem Sancti insignis reliquia. S. R. C. 11 Maii 1745. Nisi rursùs adesset ejusdem Sancti insignis reliquia, quæ sunt *caput, brachium*, etc. Vide num. 71, ubi verò adest titulus capellæ vel altaris, in missa tantùm solempni dicatur symbolum. Vide num. 143.*

453. *An regulares debeant celebrare festa perpetuò translata in illis diebus in calendario diœcesis auctoritate ordinarii assignatis, tamquàm propriis, quando in illis diebus non occurrat festum sui ordinis? Responsum fuit affirmativè. S. R. C. 7 Decembris 1745.*

454. *Cùm rubrica missalis, de introïtu, num. 5, præscribat, quòd, incensatâ cruce, incensentur et reliquiæ; seu imagines Sanctorum, quæritur an imagines Sanctorum debeant habere inclusas*

Sanctorum reliquias, juxta Quarti, part. 2, lib. 4, de introitu, et Merati, tom. 1, part. 2, tit. 4? *Responsum fuit: non esse de necessitate in sculptis Sanctorum imaginibus in altari dispositis sacras includere reliquias ad hoc, ut incensatâ cruce valeant illæ à celebrantè thurificari.* S. R. C. 21 Martii 1744. *Incensentur et reliquiæ, seu imagines Sanctorum: incensatâ cruce, et factâ reverentiâ, antequam celebrans discedat à medio altaris, primùm incensat eas, quæ à dextris sunt, id est, à parte evangelii prope crucem, bis ducens thuribulum et iterùm factâ cruci reverentiâ similiter incensat bis alias, quæ sunt à sinistris, hoc est, à parte epistolæ.* *Cærem. episc. lib. 1, cap. 23, n.º 6.*

455. *Cùm in missali ultra primam in principio, detur et altera rubrica in ordine et canone missæ, et inter has videatur aliqua discrepantia, præcipuè in inclinationibus et manuum junctionibus, quæritur quænam sequendæ? Responsum fuit: pari formâ sequendas esse tum rubricas generales, tum particulares missalis Romani, præcipuè ad cæremónias inclinationibus, et manuum junctione ritè peragendas.* S. R. C. 21 Martii 1744. *Pari formâ, id est: quamlibet cæremóniam esse peragendam, ut in suo loco præscribitur: quando autem rubricæ versantur circa objectum individuum, et sunt sibi contrariæ, v. g. rubrica in canone habet, quòd celebrans colligens particulas debeat interea absolvere orationem quid retribuam, etc., cui repugnare videtur rub. missali præfixa; tunc pro libitu, quisque sequi potest unam vel aliam.*

456. *Permitti posse, ut statua beatæ Mariæ Virginis velo nigro circumdata in nocte feriæ v. in cæna Domini cum Jesu Domino filio mortuo in gremium*

*deposito in ecclesia exponatur, et sequenti feriâ vj. in mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. S. R. C. 21 Martii 1744.*

457. *Occurrente die octavo S. Michaëlis cum festo B. M. V. de rosario, faciendum est officium de octava S. Michaëlis, transferendo officium et missam rosarii ad primam diem non impeditam. S. R. C. 20 Junii 1744. Vide num. 190.*

458. *Usus celebrandi quamplura festa sub ritu duplicis majoris ex eo quia sunt celebria in populo, sustineri non potest. S. R. C. 22 Augusti 1744.*

459. *Moniales ordinariis locorum subjectæ non tenentur recitare officia particularia diœcesum; tenentur tamen recitare de patrono principali loci et de titulari ecclesiæ cathedralis; necnon de ejusdem ecclesiæ dedicatione, non verò de eorumdem festorum octavis, nisi id specialiter ipsis indultum sit ex vi concessionis apostolicæ, vel propriæ constitutionis ab apostolica Sede approbatæ. S. R. C. 22 Aug. 1744. Vide num. 195 et 311.*

460. *An festum S. Joachim, si occurrat in dominica in die octavæ Assumptionis, celebrandum sit eâdem die, vel potius ad aliam transferri? Responsum fuit, servari rub. X. brev. Rom. de translatione festorum. S. R. C. 22 Augusti 1744. Adeoque transferri debet officium sancti Joachim.*

461. *Cùm aliquod festum jam translatum, iterùm moveri ex necessitate contigerit à die sibi semel assignata, non est opus, ut cætera alia festa post ipsum translata à diebus sibi respectivè assignatis denuò removeantur, nisi fortè nova calendarii constructio ex integro assumeretur. S. R. C. 22 Aug. 1744.*

462. *Tolerari potest missa votiva cantata B. M. V. toto tempore adventûs, ut in Polonia, exceptis sole-*

*mnioribus festivitibus, dummodò cantetur sine symbolo, etiamsi missa occurrens illud exigat, et solùm cum Gloria in Excelsis in sabbatis et infra octavam ejusdem B. M. V., non omissà tamen missà conventuali. S. R. C. 22 Augusti 1744. Tolerari potest missa votiva; et iteratò firmavit sac. Cong. 29 Jan. 1752; sine symbolo. Excipe diem festum quemcumque B. M. V. et infra octavas, quando de ea fiat officium, necnon novem dies ante Nativitatem Domini, ubi adest consuetudo vel concursus. Rub. miss. de symbolo. Vide num. 126.*

463. *Imagines Beatorum pingi, ornarique possunt laureolis, radiis, et splendoribus; non autem diademate, juxta decretum sac. rit. Cong. 19 Februarii 1658, ab Alexandro VII confirmatum; quod rursus à Ben. XIV, die 6 Sept. 1744, in causa canonizationis B. Nicolai Albergati renovatum fuit, ut in ejus bullario.*

464. *Non est reprobandus parochus, qui desert SS. Viaticum infirmo ferià sextà in Parasceve, dummodò privatè, et submissà, quinimmò submississimà voce, recitet psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat vers. Gloria Patri, etc., quia in tali circumstantia actio talis nullam habet connexionem cum functionibus ecclesiæ hujus diei, et considerandum est, quòd desert cum stola, atque pluviali albi coloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro ecclesiæ functionibus. Ideòque si desert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si populum absque benedictione demittat ferià sextà in Parasceve, quia in publica ecclesia non debet recondi. S. R. C. 15 Maii 1745.*

465. *Potest ulteriùs transferri officium S. Raymundi de Pennafort ob occurrentiam fixam desponsationis,*

*relinquendo diem 28 Januarii vacuam, ut festum nominis Jesu ponatur illâ die, et non celebretur in quadragesima, quando contingit illud transferri ex eo, quòd dominica secunda post Epiphaniam assignata huic officio, aliquandò incidit in dominica septuagesimæ. S. R. C. 7 Maii 1746.* Hoc decretum est generale, et respicit officium S. Agnetis, ac omnia officia transferenda in aliam diem extra 28 Januarii. Vide num. 385. Ejusdem sac. Congr. decreto in gratiam Purificationis B. M. V. ne translata nimium à sua sede removeatur, vacua remanere debet dies 3 Februarii. S. R. C. 9 Augusti 1651. Adeoque officium S. Raymundi, vel alterius, ut sedem suam figat, poni debet 6 Februarii, cum antè nulla dies sit libera. Nota hic quòd officia Sanctorum translata tantum per accidens, si dies illi 28 Januarii et 3 Februarii non sint impediti, de illis fieri possit, solùm enim agitur in decretis citatis de translatione fixa seu perpetua. Vide num. 385.

466. *Non potest continuari officiorum recitatio, quæ concessa sunt in aliquibus diœcesibus ab aliquo tempore, ut sunt de sanctis martyribus Gorcomiensibus, 9 Julii, et de S. Erasmo, episcopo martyre, 3 Junii, pro Belgio, sub ritu duplici ad libitum, cum nullum fundamentum sit horum officiorum extensionis ad regnum. S. R. C. 7 Maii 1746.*

467. *Cum præscriptum sit dicendum esse officium de dedicatione in ipsa die consecrationis à clero illius ecclesiæ, quæ consecratur, dubium est, utrùm episcopus consecrans, etiam non ordinarius loci, debeat dicere idem officium de dedicatione? Et responsum fuit negativè, quoad præceptum; poterit tamen, si velit, ex congruentia. S. R. C. 7 Maii 1746.*

468. *Missæ de requiem extra altare ubi est expositum SS. Sacramentum etiam in pyxide, poterunt celebrari, dummodò tamen oratio coram Sacramento non sit pro publica causa. S. R. C. 7 Maii 1746.* Dum igitur Sanctissimum est expositum ob publicam causam, prohibentur per totam ecclesiam, putà in precibus 40 horarum.

469. Quando frequenter fiunt expositiones Sanctissimi publicè in majori altari, et præter missam solemnem dicuntur etiam missæ privatæ ad idem altare majus, an etiam in missis privatis ad altare majus, et ad alia altaria minora, durante expositione Sanctissimi, poterit fieri commemoratio de Sacramento durante expositione? *Responsum fuit: poterit fieri commemoratio de SS. Sacramento durante expositione. S. R. C. 7 Maii 1746.* In omni autem missa cantata in altari, ubi est expositum Sanctissimum, fieri debet de præcepto, juxta tenorem seq. decreti « Dùm missa » cantatur coram SS. Sacramento in altari exposito, debet fieri commemoratio de eodem Sacramento post omnes alias commemorationes de præcepto, et in missis solemnibus tantùm festorum primæ et secundæ classis facienda est sub unica conclusione. *S. R. C. 25 Junii 1756.* Sub unica conclusione, nempe quando duæ tantùm sunt orationes; nam si plures sint, legitur ultimo loco post omnes alias de præcepto, nisi concurrat oratio imperata, v. g. *Deus refugium*, tunc huic, utpotè dignior, præponitur.

470. *Si loco principe reliquia sanctissimæ crucis super altare fuerit exposita, tùm transeuntes ante illam uno genu usque ad terram flexo venerari debent; diversimodè verò solâ capitis inclinatione, si*

*præfata reliquia recondita erit intra custodiam.* S. R. C. 7 Maii 1746. Quoad genuflexionem: « Excipe celebrantem paratum, canonicos cathedralis et collegiatæ, non obstante consuetudine in contrarium (qui non genuflectunt, nisi feriâ vj. in Parasceve), excepto crucifero, ut eruitur ex cær. episc. lib. 2, cap. 27, n. 7, et cap. 26, num. 12, Rub. miss. 7, de introïtu, et 8 de offert. » Celebrans igitur in casu et canonici caput tantùm inclinant.

471. Recitantes officium de martyre, et celebrantes in ecclesiis ubi dicitur de confessore, utrùm debeant se conformare in colore illis ecclesiis, etiam si nulla ibi sit solemnitas? *Responsum fuit affirmativè, etiam quoad missam, quæ non poterit celebrari de S. confessore, si color fuerit rubeus.* S. R. C. 7 Maii 1746. Vide praxim celebrandi missam, Tom. I, art. VII, de coloribus, ubi materia hujus decreti diffusè explanatur.

472. An in exequiis defunctorum sacerdotum, præsentem corpore, subdiaconus se sistere debeat ad caput defuncti sacerdotis, vel ad pedes, juxta opinionem P. Merati? *Responsum fuit: servetur rituale Romanum, et in exequiis defuncti sacerdotis præsentem corpore locetur crux ad caput defuncti inter feretrum et altare.* S. R. C. 5 Sept. 1746. *Servetur rituale, ubi dicitur: « Finitâ missâ, sacerdos depositâ casulâ et manipulo, accipit pluviale nigri coloris, et subdiaconus accipit crucem, accedit ad feretrum, et se sistit ad caput defuncti cum cruce, medius inter duos acolythos, seu cerofenarios cum candelabris et candelis accensis, et omnes alii de clero veniunt ordinati in gradu*



» suo cum candelis accensis, et stant in circuitu » feretri. » *Rituale Rom. de exequiis, num. 7.*

473. An festum titolare archiconfraternitatis septem dolorum, quod pro regnis et provinciis hæreditariis augustissimæ domus Austriacæ ab utroque clero sub ritu duplici celebrari debere indultum est tertiâ dominicâ Septembris, cum in religione S. Augustini idipsum sæpè impediatur ab octava B. M. V., et sancti Nicolai, ac festum sancti Thomæ de Villa-Nova eâdem dominicâ celebratur, possit similiter transferri, præcipuè quòd hoc festum potiùs videatur repetitio alterius, quod feriâ sextâ post dominicam passionis in quadragesima celebratur, prout patet ex oratione et lectionibus secundi nocturni, quæ sunt eâdem? *Responsum fuit affirmativè; quia pro statibus Austriacis tale officium est de præcepto: dicitur enim in decreto concessionis, die 28 Aug. 1754, recitari debere.* « Officia autem de præcepto, licèt sint fixa certis diebus, si in his impediuntur, transferri possunt juxta decretum S. R. C. 5 Maii 1756. Eadem S. R. C. 11 Jan. 1749. » Vide num. 165, 455 et 485.

474. An ubi habentur insignes reliquæ plurius sanctarum Virginum et martyrum è societate S. Ursulæ, debeat de illis fieri officium duplex 21 Octobris cum commemoratione S. Hilarionis, et SS. Ursulæ et sociarum, vel possit aliis distinctis extra illum diebus de singulis illarum in particulari, prout hactenùs alicubi die 17 et die 19 Decembris observatum fuit, recitari officium duplex? Quòd si primum fieri oporteat, quæritur adhuc, an id faciendum, ubi festum sanctarum Ursulæ et sociarum est duplex, vel

semiduplex, aut hoc potius in aliam diem non impeditam transferendum sit? *Responsum fuit: fieri debere officium duplex de SS. Ursula et sociis cum sola commemoratione S. Hilarionis, sicuti fit Romæ in patriarchiali ecclesia S. Mariæ Majoris, ubi asservatur caput unius ex sociis S. Ursulæ, et ita pariter fieri debet absque ulla translatione in illis ecclesiis, in quibus festum SS. Ursulæ et sociarum aliundè esset duplex vel semiduplex.* S. R. C. 11 Jan. 1749.

475. *Ubi processio SS. Sacramenti in ejus festo die, vel per octavam eâ, quâ decet, solemnè pompâ nequiverit haberi, designabit episcopus pro suo arbitrio et prudentia, unicuique ecclesiæ aliquam ex sequentibus dominicis, in qua celebratâ missâ cum commemoratione SS. Sacramenti juxta rubricarum præscriptam formam solemnè illius processio peragi possit.* S. R. C. 8 Mart. 1749. *Missa cum commemoratione SS. Sacramenti, N. B. de dominica, vel festo occurrente: minùs adhuc licet recitare officium Corporis Christi, et hoc non obstante quavis consuetudine.*

476. *Instructio pro oratione XL horarum, Romæ jussu fel. rec. Clementis XI, primùm edita, extra urbem non obligat; laudandi tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab ordinariis locorum statutum sit.* S. R. C. 12 Julii 1749. *In dicta constitutione inter alia habetur, quòd sub precibus XL horarum cantari non possit secunda missa votiva solemnè, in festis et dominicis primæ et secundæ classis, feria iv. cinerum; tota quindena Paschatis, infra octavam Pentecostes (\*), in vigi-*

(\*) Item infra octavam Epiphaniæ. Consule commentarium Aloys. Gardellini ad Instructionem Clementis XI.

liis Nativitatis Domini et Pentecostes, quibus diebus ubique cantanda est tantum solemniter missa de die, addendo orationes votivæ orationibus missæ sub una conclusione.

477. An presbyteri ordinandi statim ab initio, vel solum à *suscipe sancte Pater*, etc. debeant inchoare missam cum celebrante et ordinante episcopo? *Responsum fuit, teneri solum à suscipe sancte Pater*, etc. S. R. C. 20 Septembris 1749.

478. An presbyteri ordinaudi, debeant legere missam stantes, vel in terram genuflexi? *Responsum fuit negativè ad primam; affirmativè ad secundam partem.* S. R. C. 20 Septembris 1749.

479. An presbyteri ordinandi omnes illas, quas episcopus ordinans in missa facit, actiones debeant facere; adeoque, an ii presbyteri debeant cruces manu super oblata peragere, an genuflectere, etc., an denique omnia illa, quæ episcopus sub sacrificio agit, agere? Similiter idem quæritur de episcopo consecrando? *Responsum fuit ad primum negativè; ad secundum, servandum esse Pontif. Rom.* S. R. C. 20 Septemb. 1749. Vide num. ant. et seq. *Servandum esse Pontif. Rom.* in quo præscribitur:

« Dicto offertorio, consecrator sedet cum mitra  
 » in faldistorio, ante medium altaris. Et conse-  
 » cratus veniens ex sua capella, inter assistentes  
 » episcopus medius coram consecratore genu-  
 » flectit, et illi offert duo intortitia accensa, duos  
 » panes, et duo barilia vino plena, et conse-  
 » cratoris prædicta recipientis manum reverenter  
 » osculatur; deindè consecrator lavat manus, et  
 » accedit ad altare; consecratus etiam ad poste-  
 » rius cornu epistolæ altaris ejusdem accedit:  
 » et ibi stans medius inter episcopos assistentes

» ante se , habens missale suum , simul cum  
 » consecratore dicit et facit omnia , prout in mis-  
 » sali , et ponatur una hostia consecranda pro con-  
 » secrante , et consecrato , et vinum consecrandum  
 » in calice , sufficiens pro utroque. *Pont. rom. part.*  
 » 1 , *tit.* De consecr. electi in episcopum. »

480. An presbyteri ordinandi , postquam sunt  
 de corpore D. N. J. C. communicati , debeant de  
 illo calice , quem in ordinatione sua tetigerunt ,  
 ablutionem sumere ? *Responsum fuit , non esse ne-*  
*cesse.* S. R. C. 20 Sept. 1749. *Ablutionem sumere :*  
 non in calice , quo Pontifex celebravit , sed in  
 alio cum vino , *Pontif. Rom. , part. 1 , tit.* de ordinat.  
 presbyt.

481. An episcopi non habentes facultatem spe-  
 cialem concedendi in oratoriis privatis , et capellis  
 pro sæcularibus et aliis , legendi missam , possint  
 licentiam dictam petentibus concedere ? *Respon-*  
*sum fuit negativè.* S. R. C. 20 Septembris 1749.  
*Negativè :* hæc facultas spectat ad Papam , ex  
 constitut. Benedicti XIV , 2 Julii 1751 , quæ inci-  
 pit : *Magno cum animi nostri.*

482. Cùm in rubricis de Sacramento Confir-  
 mationis dicatur : adulti seu alii majores ponant  
 pedem suum super pedem dexterum patrini sui :  
 quæritur , an sufficiat , si patrinus ponat manum  
 suam dexteram super humerum dexterum confir-  
 mandi ? *Responsum fuit : sufficere.* S. R. C. 20 Se-  
 ptembris 1749.

483. An confirmandus tempore confirmationis ,  
 quando episcopus dicit : *N.... signo te signo cru-*  
*cis , etc.* , præter nomen suum baptismale , possit  
 aliud nomen Sancti sibi imponi curare ? *Respon-*  
*sum fuit : posse.* S. R. C. 20 Sept. 1749.

484. *Si festum simplex perpetuò impediatur ob concurrentiam duplicis primæ classis, non est ad aliam diem transferendum juxta rubricas. S. R. C. 18 Julii 1750.*

485. *Cùm in omnibus diœcesibus regni Poloniæ, et magni ducatûs Lithuanix, officio dedicationis ecclesiæ cathedralis assignata sit dies dominica in perpetuum, et in eadem dominica recitetur quotannis, utrùm aliquando apud regulares occurrente in illa dominica alio festo altioris ritûs, vel dignitatis, debeat prædictum officium dedicationis ecclesiæ cathedralis apud regulares transferri in aliam diem non impeditam, etiam ultra duas septimanas, an omitti juxta decretum sac. rit. Cong. emanatum anno 1685, 20 Martii? Et insuper utrùm cedere debeat prædictum officium dedicationis ecclesiæ cathedralis officio solemniore alicujus religionis occurrenti eadem die dominicâ sub eodem ritu? Ad primam ejusdem dubii partem, responsum fuit: transferendum esse ad primam diem non impeditam; ad secundam verò servari rub. X, brev. Rom. de concurrentia festorum, num. 2. S. R. C. 29 Januarii 1752.*

486. *Dùm fit expositio SS. Sacramenti ratione solemnitatis ad populum in dominicis privilegiatis, vel aliis festis, in altari majore, ubi est expositum publicè Sacramentum, si celebretur missa diei, celebrari debet cum paramentis festo, seu officio convenientibus, scilicet, non est adhibendus color albus, uti competens solemnitati ratione expositionis, sed etiam violaceus. S. R. C. 29 Jan. 1752.*

*Quoad colorem altaris, ubi est expositum Sanctissimum in precibus XL horarum, et adoratione illius perpetua, debet esse albus; ita fuisse Romæ declaratum, testantur varia directoria.*

487. *Quamvis juxta rubricam generalem breviarii et missalis Romani in festis ritus duplicis primæ classis nulla diei infra octavam fiat commemoratio; tamen hymni ad Horas terminari debent, v. g. Jesu, tibi sit gloria; et in missis præfatio B. M. V. erit dicenda, ut pro festo S. Hyacinthi, patroni principis Poloniæ decrevit sac. rit. Cong. 29 Nov. 1755. Nulla diei infra octavam fiat commemoratio, exceptis octavis Nativitatis, Epiphaniæ et corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque festo in illis occurrente. Rub. brev. VII de octav. num. 3, et X de translatione festorum, num. 2.*

488. *Singulis dominicis diebus totius anni, quibus præfationes propriæ, per rubricas non sunt assignatæ, incipiendo à dominica SS. Trinitatis anni 1759, sacerdotes omnes utriusque cleri sæcularis, atque regularis, præfationem de SS. Trinitate, quæ jam indè à vetustissimis temporibus in usu fuisse dignoscitur, in missa recitare teneantur, et inviolabiliter observari mandavit sac. rit. Cong. 3 Januarii 1759.*

489. *An in missa conventuali cani semper debeant Gloria, Credo, totum graduale, offertorium, præfatio et Pater noster? Sac. rit. Cong. respondit affirmativè, 11 Januarii 1755. Graduale, sub quo intellige tractum.*

490. *An in elevatione SS. Sacramenti, in missis solemnibus, cani possit Tantum ergò, etc.; vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria? Sac. rit. Cong. respondit affirmativè, 11 Jan. 1755.*

491. *An à cantoribus in choro incipi possit introitus missæ priusquàm sacerdos eandem missam celebraturus ad altare pervenerit. Sac. rit. Cong. respondit negativè, 11 Jan. 1755.*

492. An hebdomadarius in choro intonare possit initium Horæ sequentis, priusquàm sacerdos evangelium sancti Joannis (et consequenter aliud proprium) terminaverit? *Sac. rit. Cong. respondit negativè, 11 Jan. 1755.*

493. Utrùm dignitas, quâ gaudent festa apostolorum et angelorum extendatur ad eorum diem octavum, quando cum octava celebrantur, ita ut, concurrente die octavo in primis vel secundis Vesperis cum festo duplici minori inferioris dignitatis, integras sortiatur Vesperas dies octavus cum sola commemoratione præcedentis vel subsequents? *Sac. rit. Cong. respondit negativè, 16 Feb. 1781. Vesperæ igitur in casu debent à capitulo dimidiari.*

494. An litanix Sanctorum in festo S. Marci, et in triduo rogationum anticipari possint, atque recitari post Matutinum et Laudes die antecedente, ab iis, qui processioni sequentis diei non interveniunt? *Sac. rit. Cong. respondit negativè, 28 Martii 1778.*

495. Bina dubia proposita à D. ROMSÉE, sac. rituum professore, fuerunt jam resoluta die 17 Januarii 1778, à sac. Cong. rit. ad relationem eminentissimi cardinalis Corsini ponentis in una causa Senarum occasione novæ impressionis missalis in civitate Senarum faciendæ. Proposito enim inter cætera quarto dubio: an in benedictione incensi ante offertorium imprimi deberet *per intercessionem beati Michaëlis*, vel potius *Gabriëlis*, uti volunt multi rubricistæ? *Sac. eadem Cong. respondit: nihil esse innovandum.* Item ad quintum dubium: an in *communicantes* sancti Spiritus poni deberet: *quo Spiritus sanctus innumeris linguis apparuit*, uti dicunt multæ impressiones, vel potius

*in igneis linguis*, veluti dicit editio vaticana, sub Clem. XII, et uti videtur conformius sacræ historiæ? *Eadem Cong. respondit: nihil immutandum.* E conspectu itaque dictarum identificarum resolutionum uniformiter emanatarum, dicta Cong. nullum rescriptum edere censuit super supplici libello prænominati D. ROMSÉE, ac super iisdem dubiis jam decisis et resolutis, cum idem D. ROMSÉE se conformare debeat dictis resolutionibus sac. Cong., quibus nihil innovandum et immutandum hâc super re decrevit: *hanc declarationem recepi à D. secretario sac. rit. Cong. occasione missalis Romani, cujus impressionem deputatus ab episcopo observabam.*

496. *Conclusio orationis pro rege debet esse Per Dominum nostrum, etc. Ita enim habent autographa missalia S. Pii V, Clementis VIII, et Urbani itidem VIII, et ita antiquissima S. Gregorii magni sacramentalia. S. R. C. 3 Martii 1761.*

497. *Quotiescumque occurrit officium duplex per annum, non potest dici missa propria pro sponso et sponsa: est enim missa votiva, quæ prohibetur in diebus duplicibus à rub. gener. missalis, num. 4, sed debet celebrari missa conformis officio cum commemoratione pro sponsis. S. R. C. 3 Martii 1761. Hoc decretum est reformatum. Vide num. 556.*

498. *Si mulier est vidua non solum debet omitti benedictio nuptiarum, sed etiam missa propria pro sponso et sponsa. S. R. C. 3 Martii 1761.*

499. *In missa vigiliæ Nativitatis debent omitti orationes à superiore præceptæ, v. g. pro pace, pro aëris serenitate, etc. S. R. C. 3 Martii 1761. Idem dic in dominica Palmarum et in vigilia Pentecostes.*

500. *In officiis translationis almæ domus Laure-*



*tanæ, et expectationis partûs, octava benedictio debet esse: cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum: verè enim sunt festa B. M. V.: in præfatione missæ expectationis partûs, dicendum est: Et te in expectatione B. M. semper Virginis; et in festo rosarii dicendum est: Et te in solemnitate B. M. semper Virginis, etc., omissis verbis partûs et rosarii. S. R. C. 5 Martii 1761.*

501. *In ecclesiis, ubi retenti sunt hymni veteres, dum fit officium de confessore translato, unaquæque potest retinere suam antiquam consuetudinem mutandi, vel non mutandi tertium versum hymni Iste confessor, etc. S. R. C. 5 Martii 1761.*

502. *An decretum editum à sac. rit. Cong. 11 Julii 1739, in quo statuitur ab episcopo ordinationem habente diebus à jure præstitutis celebrandam missam de feria, non autem de Sancto fortè eâdem die occurrente, comprehendat, vel intelligi debeat, etiamsi missa privatim, et sine cantu ab episcopo ordines conferente dictis diebus celebretur? Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 11 Feb. 1764.*

503. *An in missis solemnibus, quæ celebrantur in altari, in quo publicæ venerationi est expositum SS. Sacramentum, subdiaconus sustinens patenam debeat genuflectere, quando celebrans post offertorium genuflexus thurificat SS. Sacramentum, sicuti genuflectit in actu consecrationis, ac elevationis? Respondit negativè sac. rit. Cong., 11 Feb. 1764.*

504. *An sint dandæ benedictiones populo cum reliquiis Sanctorum, nempè S. Josephi, S. Cassiani, SS. Crucis et S. Æmigdii in fine singularum processionum fieri solitarum cum dictis reliquiis*

à capitulo? *Respondit : servetur solitum.* S. R. C. 16 Decemb. 1766.

505. Quæsitum fuit quid in concursu officii sacratissimi cordis Jesu sub ritu dup. maj. cum Vesperis octavæ corporis Christi; et quisnam color sit adhibendus in festo dicti sanctissimi cordis? *Respondit sac. rit. Cong. integras Vesperas recitandas esse diei octavæ corporis Christi, absque commemoratione sanctissimi cordis Jesu, et utendum colore albo.* S. R. C. 17 Augusti 1771.

506. In missa officii commemorationis omnium Sanctorum, quorum reliquiæ in propriis ecclesiis asservantur, aliquibus congregationibus concessi, quæritur quo colore uti debeat, albone vel rubeo? *Respondit : adhibendum esse colorem rubrum.* S. R. C. 17 Augusti 1771.

507. Quænam censeri debeant, ad effectum de quo agitur, officia pro universis catholici regis dominiis concessa ante annum 1720, et usu recepta in diocesi Bosanensi, ante annum 1722? *Respondit : ad R. P. episcopum ad mentem; hoc est recitari posse annuente episcopo. Quoad officia, quæ jam conceduntur pro Hispaniæ regnis, de iis fieri nequit extra limites eorum.* S. R. C. 25 Martii 1771.

508. Cùm in festis duplicibus primæ classis non possit cantari missa solempnis votiva etiam ad invocandum Spiritum sanctum pro felici successu comitiorum generalium, vel capituli, quæritur, an tunc addi possit collecta de Spiritu sancto sub unica conclusione? *Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 27 Martii 1773.* Adeòque censetur cantari ob gravem et publicam causam. Vide num. 200 et 555.

509. Cùm officio sanctissimi nominis Jesu aliquando translato, occurrente dominicâ septuage-

simæ, assignata sit dies 28 Januarii, ne celebretur in quadragesima, quæritur, an, occurrente officio in proprio loco ritûs duplicis, debeat illud transferri cedendo officio sanctissimi nominis Jesu ob uniformitatem cum universali Ecclesia? *Respondit affirmativè sacra rit. Cong. 27 Martii 1775. Vide num. 385 et 465.*

510. An dominicâ tertiâ post Pascha, in qua ex decreto hujusce sacræ Congregationis, 20 Januarii 1741, est celebrandum officium patrociniî sancti Josephi sub ritu duplici secundæ classis, si in ea occurrat festum altioris ritûs; vel majoris dignitatis, ut exempli gratiâ festum inventionis sanctæ crucis, sit festum patrociniî sancti Josephi ad alium diem transferendum? *Respondit affirmativè sacra rit. Cong. 4 Sept. 1775.*

511. An si dominicâ tertiâ post Pascha incidat festum sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, vel sancti Marci evangelistæ, unâ cum festo patrociniî sancti Josephi, debeat apostolis et evangelistæ præferri officium patrociniî S. Josephi? *Respondit negativè sac. rit. Cong. 4 Septembris 1775.*

512. An vespere de patrociniio sancti Josephi debeant esse integræ in casu, quòd hæc festivitas concurrat cum festo sancti Marci evangelistæ vel sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi? *Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 4 Sept. 1775. Hoc decretum est reformatum recentiore. Vide num. 556.*

513. An quando die 6 Februarii, sabbato ante septuagesimam, officium dominicæ quintæ post Epiphaniam anticipatè impeditur per festum novem lectionum, requirens lectiones primi nocturni de Scriptura occurrente, poni debeat epistola

secunda ad Thessalonicenses ex sabbato hebdomadæ quartæ post Epiphaniam, vel epistola prima ad Timotheum ex dominica quinta post Epiphaniam? Respondit affirmativè ad primam partem; negativè ad secundam sac. rit. Cong. 4 Septembris 1775.

514. *Decretum urbis et orbis.* Ad aures sacrorum rituum Congregationis delatum est, in nonnullis monialium publicis ecclesiis, tum extra, tum quandoque intra almam hanc urbem existentibus sensim irrepsisse abusum, ut SS. Eucharistiæ Sacramento in earundem monialium ecclesiis fidelium venerationi exposito, antequàm illius fiat depositio, et confluenti populo cum illo benedictionem sacerdos de more concedat, idem sacerdos primùm, ac separatim benedicat monialibus in interiori earundem choro, sive oratorio post altare, vel alibi genuflexis, et deindè populo in publica ecclesia adstanti; sacra eadem Congregatio, referente me infrascripto secretario (*Mutio Gallo*), loco celsitudinis regiæ eminentissimi et reverendissimi Domini cardinalis ducis Eboracensis ponentis, ad hanc reprehensibilem, et à sacris ritibus, et Ecclesiæ praxi deviam consuetudinem radicitùs convellendam, præsentì generali decreto: *Districtè prohibet illam in posterum observari, etiamsi diuturno, et immemorabili tempore, ac usu convaluerit; ac præcipit, ut sacerdos sacram illam exercens functionem in quibusvis ecclesiis monialium ubique locorum erectis, cujusvis sint ordinis et instituti, (omissâ speciali, ac separata monialium benedictione) unicam tantùm cum eodem SS. Sacramento benedictionem interessenti populo impartiat, et ita decrevit, ac servari mandavit, die 11 Decembris 1775.*

515. An in casu, quo in dominica Paschæ et Pentecostes occurrant officia semiduplicia et duplicia minora, pro quorum translatione locus non supersit in toto anni ecclesiastici decursu, de ipsis fieri debeat commemoratio in eadem dominica Paschæ et Pentecostes in Vesperis et Laudibus et missis? An verò debeant prorsus omitti? In casu, etc. *Sac. rit. Cong. rescripsit negativè ad primam partem; affirmativè ad secundam, die 15 Junii 1776.*

An de iisdem semiduplicibus et duplicibus possit fieri commemoratio in feria secunda et tertia Paschæ et Pentecostes in utrisque Vesperis, Laudibus et missis? *Sac. rit. Cong. rescripsit negativè ad primam partem; affirmativè ad secundam, die 15 Junii 1776.*

An in quibuscumque aliis duplicibus sive secundæ, sive primæ classis, comprehensis etiam festis Ascensionis et corporis Christi, fieri possit commemoratio de laudatis duplicibus et semiduplicibus in utrisque Vesperis, Laudibus et missis æquè, ac fit de die octavæ, si alicubi occurrat? *Sac. rit. Cong. rescripsit affirmativè quoad primam partem; negativè quoad secundam, exceptâ missâ solemni, die 28 Martii 1775.*

An de eisdem semiduplicibus et duplicibus fieri debeat commemoratio in Vesperis feriæ tertiæ Paschæ et Pentecostes, necnon in secundis cujuscumque alterius festi duplicis primæ classis in casu, quo de ipsis facienda sit die sequenti? *Sac. rit. Cong. rescripsit ut ad proximum, die 28 Martii 1775.*

An de laudatis semiduplicibus et duplicibus legenda sit nona lectio ad Matutinum composita ex

omnibus eorum lectionibus propriis secundi nocturni ad modum unius in omnibus duplicibus primæ classis, exceptis illis trium lectionum, festo et octavâ corporis Christi, et quoties legenda occurrat nona lectio de homilia super evangelium? *Sac. rit. Cong. rescripsit affirmativè, exceptis illis trium lectionum, festo et octavâ corporis Christi, et quoties legitur nona lectio de homilia super evangelium, die 20 Mart. 1775.*

An in missis dominicæ Palmarum, et vigiliæ Pentecostes, in quibus excluditur commemoratio festi simplicis, licèt facta fuerit in officio, facienda sit commemoratio de prædictis duplicibus et semiduplicibus in missis? *Sac. rit. Cong. rescripsit negativè, et servantur rubricæ, die 28 Martii 1775.*

516. An in dominicis privilegiatis, in quibus occurrit commemoratio facienda de officio duplici, omitti possint suffragia Sanctorum, preces ad Primam et Completorium, necnon tertia oratio in missa, ut fit in casu, quo hujusmodi dominicæ occurrant infra aliquam octavam? *Respondit negativè sac. rit. Cong. 28 Mart. 1775.*

517. An in casu, quo recitetur officium de dominica per annum occurrente infra aliquam octavam cum commemoratione festi semiduplicis, quæ præfertur illi diei infra octavam, adhibendus sit in missa color conveniens octavæ, an festo duplici, aut semiduplici? *Respondit affirmativè quoad primam partem; negativè quoad secundam, sac. rit. Cong. 28 Mart. 1775.*

518. An commemoratio festi duplicis occurrentis in dominica per annum, in qua recitatur officium alicujus festi mobilis majoris ritûs vel dignitatis, præferenda sit commemorationi ejusdem

dominicæ, lectâ tamen nonâ lectione de homilia ejusdem? *Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 28 Martii 1775.*

*Brevis elucidatio horum decretorum.*

Officia quæ non inveniunt locum ante Calendas Januarii, recitari debent diebus in quos incidunt sub ritu simplici, jungendo lectiones proprias secundi nocturni per modum unius, è quibus fit nona lectio officii occurrentis, nisi obstet solemnitas: porrò obstant dominicæ Paschæ et Pentecostes, quo casu debent penitùs omitti isto anno.

In feria secunda et tertia Paschæ et Pentecostes, fit ubique commemoratio officii duplicis; omitti verò debet commemoratio semiduplicis.

In omnibus festis primæ classis fit commemoratio dictorum officiorum, quæ omittitur in sola missa solemnî.

Quando occurrunt Vesperæ feriæ tertiæ Paschæ et Pentecostes cum duplicibus et semiduplicibus, de his fieri debet commemoratio in dictis secundis Vesperis feriæ tertiæ Paschæ et Pentecostes: in festis verò primæ classis omittitur dicta commemoratio.

Nona lectio ad Matutinum facta ex propriis per modum unius, omitti debet in officiis trium lectionum, in festo et octava corporis Christi (nisi fiat officium alicujus Sancti; ita rub.) et quoties legitur nona lectio de homilia evangelii.

In missis dominicæ Palmarum, vigiliæ Pentecostes et Nativitatis Domini, licèt fiat commemoratio in officio, eadem omittitur in missis; ita rub.

Casu quo occurrat dominica vel octava cum

dictis duplicibus et semiduplicibus, adhibetur color dominicæ vel octavæ.

Tandem quando fit officium duplex in dominica, præponi debet commemoratio duplicis commemorationi dominicæ, licet hujus lecta sit nona lectio; in casu autem semiduplicis, præponenda est commemoratio dominicæ.

In dominicis privilegiatis, in quibus occurrit commemoratio suprâ dictorum, non omittuntur suffragia Sanctorum, nec preces ad Primam et Completorium, nec tertia oratio in missa.

519. An dum per solam commemorationem anticipatur officium alicujus dominicæ post Epiphaniam in sabbato ante septuagesimam, in qua occurrat festum novem lectionum non habens lectiones primi nocturni proprias, vel de communi assignatas, legi debeant illæ de sabbato occurrenti, an verò istis omissis, vel præcedenter lectis, si sint de initio alicujus epistolæ, legendum sit initium epistolæ divi Pauli assignatum illi dominicæ, cujus officium per commemorationem anticipatur?

*Respondit: legendas esse lectiones de dominica anticipata, dummodò in sabbato antecedenti non occurrat initium alterius epistolæ S. Pauli, sac. rit. Cong. 28 Mart. 1775.*

520. An occurrente festo confessoris non Pontificis infra octavam alterius festi pariter confessoris non Pontificis pro commemoratione octavæ, in laudibus desumenda sit antiphona ex secundis, an verò ex primis Vesperis? *Respondit negativè quoad primam partem; affirmativè quoad secundam, sac. rit. Cong. 28 Martii 1775.* Ergo desumenda è primis Vesperis: hæc est regula generalis, nisi obstant rubricæ speciales breviarii.



521. An missa votiva de Conceptione B. M. V., quæ ex indulto S. R. C. in singulis sabbatis per annum, exceptis privilegiatis, ac impeditis festo duplici primæ et secundæ classis, cantari potest in omnibus ecclesiis nostri ordinis seraphici, cantari possit cum *Credo* et unica oratione, an verò sine *Credo* et una secunda oratione de officio occurrenti, et tertia de Spiritu sancto, nisi occurrat simplex, aut alia commemoratio, vel cum secunda oratione de Spiritu sancto et tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa, ubi de officio occurrenti cantata, vel saltem lecta fuerit missa conventualis? *Respondit negativè quoad primam partem; affirmativè quoad secundam, et servantur rubricæ, sac. rit. Cong. 28 Martii 1775.*

522. An attentis apostolicis et S. R. C. decretis, graviter peccet sacerdos celebrans missam privatam in feria v. in cœna Domini, sivè etiam solemnem in illa ecclesia, ubi non reponitur, nec asservatur SS. Sacramentum in aliquo altari, vel alio loco decenti vulgò dicto il sepolcro? *Respondit non licere, et sacerdos se abstineat, sac. rit. Cong. 28 Martii 1775.* Hoc responsum casum linquit dubium circa gravitatem culpæ: adeòque periculo gravis culpæ se exponeret privatim celebrans illâ die; aliundè rationes non desunt facientes pro gravitate hujus actûs, quippè adversatur communi Ecclesiæ praxi, ex cujus eversione facilè resultare potest scandalum; sicque resolutio S. R. C. practicè haberi debet ut affirmativa. Dixi *adversatur communi Ecclesiæ praxi*, quia in cathedrali Leodiensi, et in quibusdam aliis missæ privatæ usu immemorabili celebrabantur ante missam solemnem. Vide num. 127.

523. An in casu, quo aliquis pro se adhuc vivente celebrare anticipatè velit functiones funebres cum officio defunctorum, et missa cantata; an hæc missa possit esse de *requiem*, si ritus officii currentis permittat? an votiva juxta devotionem petentis? an verò celebrari debeat de officio occurrenti: vel si ritus non obstet, pro remissione peccatorum, aut ad postulandam gratiam benè moriendi? *Respondit negativè, et serventur rub. miss., ac ritus Ecclesiæ, sac. rit. Cong. 28 Mart. 1775.*

524. Cùm in ecclesia collegiata S. Joannis Baptistæ Terræ Angriæ, diœcesis Nucerinæ paganorum inducta fuerit consuetudo, quâ primâ die lunæ cujusque mensis in suffragium defunctorum confratrum, et sororum congregationis sub titulo S. Cajetani erectæ celebratur funerale, cui additur expositio SS. Sacramenti, coram quo ante suppedaneum altaris erigitur tumulus mortuorum, accensis luminibus circumdatus, durante interim dicta augustissimi Sacramenti expositione à canonicis in choro officium defunctorum cantatur, pulsantur campanæ ad mœstitiam excitandam, absolutis inde Laudibus in choro, statim in dicta capella exposito pariter SS. Sacramento, canitur missa propria illius diei in paramentis albis, eâque absolutâ, celebrans dat populo solemnem SS. Sacramenti benedictionem. *Et sac. eadem Cong., audito priùs voto unius ex apostolicarum cæremoniarum magistris, scriptis exarato et typis vulgato, ad relationem Emin. et Rev. Dom. Card. Boschi ponentis rescribendum censuit: assertam consuetudinem tanquàm rubricis et Ecclesiæ ritibus contrariam, sustineri non debere, mandavitque, ut episcopus eamdem omninò aboleri curet. Et ità declaravit die 27 Martii 1779.*

525. An missa de *requiem*, quæ cantatur, cum primùm accipitur nuntium de obitu religiosi in loco dissito, differri possit ad triduum? *Respondit, in prima die non impedita, sac. rit. Cong. 27 Mart. 1779.*

526. An dicta missa cantari possit in vigilia Epiphaniæ et infra octavas privilegiatas? *Respondit affirmativè quoad primam partem; negativè quoad secundam, sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.*

527. An quando habentur tria officia translata, et reponenda, unum classicum, alterum duplex majus, et tertium duplex minus, quodnam ex iis reponi debeat in die commemorationis omnium defunctorum, vel potius faciendum sit de die octava omnium Sanctorum? *Respondit: nullum ex translatis esse admittendum, sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.*

528. Aliquando transfertur patrocinium B. M. V. ad 17, vel 19 Decembris, quo casu concurrat in primis, aut secundis Vesperis cum officio expectationis partus ejusdem B. M. V., quæritur quomodò in his casibus disponendæ sint Vesperæ? *Respondit, totum de præcedenti, nihil de sequenti in utroque casu sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.*

529. An sacerdos pergens ad celebrandum, et calicem manu sinistrâ portans, possit ad januam sacristiæ accipere aquam benedictam, eâque se signare? *Respondit: si commodè fieri potest, se signet, sin minus se abstineat, sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.*

530. An prælati regulares, etiam locales, possint ordinare collectam dicendam in missa à subditis suis tam pro necessitatibus ordinis quàm pro necessitate communi? *Respondit non licere sine licentia episcopi, sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.*

531. An quando in gratiarum actione cantatur hymnus *Te Deum* coram SS. Sacramento publicè exposito, clerus tam ad altare, quàm in choro, debeat manere genuflexus, seu potius stare? *Respondit standum esse, sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.* Excepto versu *Te ergo quæsumus.*

532. An commemoratio sancti simplicis occurrentis in duplici secundæ classis omitti debeat in missa conventuali sine cantu, sed lecta à communitate religiosa? *Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.*

533. An missæ votivæ solemnes pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, cantari possint in dominicis primæ et secundæ classis et in festis duplicibus primæ et secundæ classis, necnon in feriis, vigiliis, et aliis diebus privilegiatis officia primæ et secundæ classis excludentibus? *Respondit negativè in duplicibus primæ classis, dominicis privilegiatis (\*), feriis cinerum et majoris hebdomadæ, vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini: in reliquis affirmativè, sac. rit. Cong. 27 Martii 1779.* hoc decreto reformatur decret. anni 1744. (Videatur Praxis celebrandi missam, Tom. I, p. 1, a. 3.), in quo sic habetur: *non potest omitti missa occurrentis festi, ut cantetur votiva.*

534 Sancti, qui in fine anni supersunt, vel sunt ritûs duplicis, vel semiduplicis, diebus eorum propriis considerandi sunt tanquàm simplices ex decret. 26 Nov. 1755. In rituali autem *P. Cavalieri*, tom. I, cap. 6, decret. 5, cap. (in ord. 75.) legitur,

(\*) In collectione decretorum ab Aloys. Gardellino edita loco *dominicis privilegiatis* legitur: *dominicis primæ classis*, ac ita legendum esse novissimè S. R. C. declaravit, 11 Martii 1857. Consule insuper notam in Tomo 1. pag. 51 subjectam.

hujusmodi officia tractari debere ad normam rubricarum de festis simplicibus, additâ tantum commemoratione in secundis Vesperis; sed cum per decretum 25 Januarii 1745, facienda sit commemoratio S. Sylvestri in die dedicationis propriæ Ecclesiæ, dubitatur nunc, an si officia hujusmodi Sanctorum vel sint ex se ritus duplicis vel semiduplicis, inciderint in festis solemnioribus primæ classis, fieri de illis debeat commemoratio, maximè in dominica Paschæ et Pentecostes, et duobus sequentibus diebus (ubi etiam cessant octavæ), ac in festo corporis Christi et Ascensionis? *Commemoratio Sanctorum novem lectionum, qui in fine anni supersunt, nec sunt transferendi ad annum sequentem, ut aliàs decretum; aut sint ritus semiduplicis, aut duplicis etiam majoris, diebus eorum propriis (etiamsi occurrant in festis primæ et secundæ classis) facienda est ad instar diei octavæ, et dominicæ, tam in concurrentia, quàm in concurrentia, habitâ ratione ad ritum, quo descripti sunt in propriis calendariis, exceptis tantum ultimo triduo majoris hebdomadæ; festis Paschæ et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus nulla Sanctorum commemoratio omninò tolerari debet. Quoad ordinem verò, si die eorum propriâ aliæ commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur officium, aut Vesperæ integræ, aut capitulum, aut dimidiæ. Ita declaravit sac. rit. Cong. die 18 Dec. 1779. Vide num. 515.*

555. An regulares, in festis principalibus suorum ordinum, et maximè in festo fundatoris, sui patriarchæ, possint addere symbolum in missa celebranda extra proprias sui ordinis ecclesias? *Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 18 Decembris 1779.*

536. Ex decreto 11 Martii 1743, præferri debet festum patrocini S. Joseph festis apostolorum et evangelistarum, tam in concurrentia quàm in occurrentia : an Vesperæ dimidiandæ sint, vel integræ persolvendæ de festis apostolorum? *Vesperæ integræ debentur apostolis et evangelistis. Ita respondit sac. rit. Cong. 18 Decembris 1779.*

537. An in oratione et versiculis beati Francisci, possit addi à Franciscanis : *beati Patris nostri?* *Respondit negativè sac. rit. Cong. 18 Decembris 1779.*

538. An thuriferario et acolythis minoribus permittenda sit sedes in missa solemni, quando celebrans sedet cum diaconis; et quatenus affirmative, an tolerari possit illos sedere in gradibus presbyterii, versis renibus ad altare? *In missa solemni, quando celebrans et ministri sacri sedent, possunt etiam in gradibus presbyterii sedere acolythi et etiam thuriferarius, quando non gerit vicem cæremoniarii. Ita respondit sac. rit. Cong. 18 Decembris 1779.*

539. *In occurso et concursu dedicationis ecclesiæ cathedralis, quæ celebratur à regularibus sub ritu secundæ classis cum festo ordinis ejusdem ritus, sac. Cong. declaravit : celebrandum esse officium dedicationis ecclesiæ cathedralis; et reliqua officia ordinis regularis, eâdem die, et sub eodem ritu occurrentia, ad aliam diem esse transferenda, et Vesperas debere esse integras de dedicatione ecclesiæ cathedralis, cum commemoratione Sancti ordinis regularis. S. R. C. 27 Martii 1779.*

Idem dicendum de occurso et concursu dedicationis cum festis apostolorum, uti patet ex sequenti decreto, quo sac. Cong. respondens

dubio circa hoc moto à regularibus, dixit: *Vesperas debere esse integras de dedicatione ecclesiæ cathedralis cum commemoratione S. Matthæi apostoli, ex quo est festum Domini. S. R. C. 27 Martii 1779. Ex quo est festum Domini: Ex his verbis deduci debet festum dedicationis prævalere octavis sanctorum Angelorum, Joannis Baptistæ, Joseph, et apostolorum Petri et Pauli, imò et B. M. V. ubi est patrona sub titulo Nativitatis, conceptionis, etc. Excipe tamen hic octavas Assumptionis B. M. V. et omnium Sanctorum, quæ præferri debent octavæ dedicationis ecclesiæ. Rubricæ gener. brev. tit. X, n.º 1, de translat. festorum.*

Nota sequens decretum in Brixiensi dub. 9. An attendi debeat, ut fit in calendario Brixiensi, etiam in diœcesi, in octava dedicationis ecclesiæ, decretum S. R. C. 27 Martii 1779. sic expositum: Festum dedicationis ecclesiæ est festum Domini, unde in paritate ritûs debet habere integras Vesperas; quamvis aliter legatur in calendario Romæ hujus anni, diebus 15 et 18 Novembris?

S. R. C. Respondit: *Negative, prout jam decisum fuit sub die 13 Martii 1804. in una ordinis clericorum minorum villæ Matritensis; et servetur ordo tabellæ excerptæ ex rubricis generalibus Brevariario Romano præmissæ. Die 20 Septembris 1806.*

540. An jejunium in Pontificali Romano præscriptum iis, à quibus consecratur ecclesia, sit strictæ obligationis, seu potius tantum de consilio? *Jejunium in Pontificali Romano præscriptum, esse strictæ obligationis pro episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi ecclesiam consecrari: idemque jejunium indicendum esse die præcedente consecrationi, ad formam rubricæ Pontificalis. Ita declaravit sac. rit. Cong. 29 Julii 1780.*

541. An sit locale tantum, an personale, seu potius locale et personale simul? *Respondit negativè quoad primam partem; affirmativè quoad secundam, sac. rit. Cong. 29 Julii 1780.* Id est, personale et locale.

542. An si ecclesia consecretur die feriali, sit observandum festum in populo tali die cum obligatione in hujusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus et audiendi sacrum? *Respondit negativè sac. rit. Cong. 29 Julii 1780.*

543. An in loco consecrandæ ecclesiæ officium de communi dedicationis ecclesiæ sit celebrandum à primis Vesperis die præcedenti recitandis inclusivè, seu potius dumtaxat inchoandum, finitâ consecratione, scilicet in Vesperis subsequentibus? *Respondit negativè quoad primam partem; affirmativè quoad secundam, sac. rit. Cong. 29 Julii 1780 (\*).*

544. An eo casu de feria, vel de festo Sancti occurrentis Vesperæ, Matutinum, ac aliæ Horæ præcedentes consecrationem ecclesiæ recitandæ sint? *Respondit: Vesperas, Matutinum, Laudes et Horas consecrationem præcedentes recitandas esse, vel de feria, vel de Sancto, prout descriptum fuerit in ordinario, sac. Rit. Cong. 29 Julii 1780.*

545. Si officium à primis Vesperis die præcedente consecrationem celebrandum sit de communi dedicationis ecclesiæ, quæritur an pastor, aut alius sacerdos ruri deficientibus aliis ecclesiis, in ipsa ecclesia consecranda summo manè celebrans pro populi commoditate die consecrationis peragendæ, missam de dedicatione ecclesiæ cele-

(\*) S. Congregatio ab hoc decreto videtur recessisse in una *gratian.* 25 Maii 1855.



brare valeat et teneatur? *Respondit negativè juxta modum: et modus est, ut ubi nulla alia sit ecclesia vel capella, parochus, aut sacerdos celebret post peractam consecrationem; sin minùs eà die se absteineat à Missæ celebratione, et populus audiat sacrum ab episcopo decantandum, sac. rit. Cong. 29 Julii 1780.*

546. Si nec valeat, nec teneatur, quæritur: an missam de festo aliàs occurrente, aut de dominica, et quo ritu celebrare debeat? *Respondit: missam non esse celebrandam de dedicatione ecclesiæ, sed de feria vel de sancto prout descriptum fuerit in calendario, sac. rit. Cong. 29 Julii 1780.*

547. An rubrica posita in missa S. Joannis apostoli, assignans præfationem de Nativitate, accipienda sit generaliter, ita ut talis præfatio debeat dici in omnibus missis festivis occurrentibus infra octavam Nativitatis, etiam habentibus præfationem propriam; seu potius dicta rubrica sit exceptio rubricæ generalis, ita ut in sola missa S. Joannis apostoli debeat dici præfatio Nativitatis, non verò in aliis missis sivè festivis, sivè votivis, propriam præfationem habentibus? *Respondit negativè ad primam partem; affirmativè ad secundam, sac. rit. Cong. 18 Februarii 1781.*

548. De vigilia, quæ occurrit in adventu, nihil fit in officio, quæritur utrùm in missa, in qua de vigilia fit commemoratio, legendum sit ejus evangelium in fine. *Respondit affirmativè, exceptis feriis quatuor temporum, sac. rit. Cong. 16 Feb. 1781.* In quibus omisso evangelio vigiliæ ponitur evangelium ferie dictorum quatuor temporum.

549. Utrùm sub prohibitione celebrandi missas privatas post solemnem decantatam, et administrandi fidelibus sacram Eucharistiam in nocte

Nativitatis comprehendantur Carmelitæ utriusque sexûs, maximè cum apud illos cantetur missa solemnis non in media nocte (hoc enim tempore incipit matutinum) sed circiter horâ tertiâ? *Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 16 Februarii 1781.* Ulteriùs quæsitum fuit circa hoc, ut sequitur:

550 An consuetudo contraria immemorabilis valeat sustentari saltem quoad moniales et religiosos choristas et laicos? *Respondit negativè sac. rit. Cong. 16 Februarii 1781.*

551. Utrùm dignitas, quâ gaudent festa apostolorum et Angelorum extendatur ad eorum diem octavum, quando cum octava celebrantur, ita ut concurrente die octavo in primis vel secundis Vesperis cum festo duplici minori inferioris dignitatis integras sortiatur Vesperas dies octavus cum sola commemoratione præcedentis vel subsequentis? *Respondit negativè sac. rit. Cong. 16 Februarii 1781.*

552. Utrùm inter suffragia Sanctorum fieri debeat à regularibus commemoratio titularis suæ ecclesiæ, non obstante quòd etiam fiat de patrono principaliori religionis? *Respondit affirmativè sac. rit. Cong. 16 Februarii 1781.*

553. An dignitatibus, vel, iis impeditis, canonicis missam et Vesperas solemniter ubicumque extra propriam ecclesiam celebrantibus, competat jus habendi assistentes in officio diaconi et subdiaconi de gremio capituli? *A sac. Cong. responsum fuit affirmativè, quando totum capitulum convenire debet, die 10 Sept. 1782.*

554. Nùm in ecclesiis choro adstrictis, diebus illis, in quibus officium, aut nocturnum defunctorum recitatur die duplici majori, vel minori,

vel semiduplici, præter missam de *requiem* debeat necne missa alia celebrari officii illius diei? *Responsum fuit affirmativè, quia missa conventualis de officio currenti omitti non potest, die 20 Dec. 1785.*

555. Inquiritur, numquid feriâ v. in cœna Domini, dùm missa sollemnis cantatur, crux coöperta esse debeat velamento albo ratione solemnitatis diei, seu violaceo propter passionis tempus? *Respondit sac. rit. Cong.: albi coloris debet esse velum crucis altaris, in quo missa celebratur; violacei verò crucis processionis, et altaris lotionis, die 20 Dec. 1785.* Dùm missa sollemnis cantatur; adeoque post missam ei denuò violaceum apponi debet.

556. *In celebratione nuptiarum, quæ fit extra diem dominicum, vel alium diem festum de præcepto, seu in quo occurrat duplex primæ vel secundæ classis, etiamsi fiat officium et missa de festo duplici per annum, sive majori, sive minori, dicendam esse missam pro sponso et sponsa, in fine missalis post alias missas votivas, specialiter assignatam: in diebus verò dominicis aliisque diebus festis de præcepto, ac duplicibus primæ et secundæ classis, dicendam esse missam de festo, cum commemoratione missæ pro sponso et sponsa. Atque ita decrevit et servari mandavit sac. rit. Cong. 20 Dec. 1785.*

557. An in illis ecclesiis, in quibus non ex fundatione, aut obligatione, sed ex mera devotione singulis sabbatis cantari solet missa votiva B. M. V., hujusmodi missa cantari etiam debeat, ubi in eisdem sabbatis occurrunt festa ritûs duplicis primæ et secundæ classis, vel cadunt feriæ privilegiatæ? *Respondit negativè sac. rit. Cong. 10 Martii 1787.*

558 An liceat canonicis in missis privatis tam

intrà, quàm extra cathedralem uti operà inser-  
vientis missæ tam pro delatione calicis ad altare,  
et illius reportatione ad sacristiam, quàm pro  
sustinendo missale, indicando orationes, ape-  
riendo et porrigendo patenam cum hostia, ter-  
gendo calicem, eundemque postea cum velo in-  
struendo? *Respondit sac. rit. Cong. negativè, 27  
Maii 1788.*

Decreta S. R. C. hactenùs tradita ut authentica  
haberi debent utpotè extracta è registris dictæ  
Congregationis, et in eorum relatione concordés  
omninò sunt *Spiridion Talu, Cajetanus Maria Me-  
rati, et Joannes-Michaël Cavalieri*: quæ sequuntur,  
non inveniuntur quidem in præfatis registris, sed  
referuntur à viro fide digno, nempè Bartholomæo  
*Gavanto*, citanturque ab auctoribus, ut genuina  
et vera, ideoque hìc adjungenda judicavi.

559. *Cineres distribuendi in feria iv. post domi-  
nicam quinquagesimæ, debent esse aridi, non verò  
in modum luti.* S. R. C. 25 Maii 1605.

560. *Canonici debent aspergi sigillatim aquâ be-  
nedictâ in dominicis.* S. R. C. 20 Decembris 1605.

561. *Gloria in excelsis cum Credo omittitur in  
Votivis pro re gravi, quandò dicuntur cum para-  
mentis violaceis.* S. R. C. 19 Maii 1607. Excipe diem  
dominicum, ratione cujus dici debet *Credo*.

562. *Res gravis pro licita votivæ solemnìs decan-  
tatione, ea est, pro qua convenit clerus cum episcopo,  
vel apud regulares in eorum comitiis generalibus, seu  
provincialibus, cùm cantatur missa pro re eorundem  
judicio gravi.* S. R. C. 19 Maii 1607.

563. *Cereus Paschalis regulariter accendi debet ad  
missas et Vesperas solemnès, in triduo Paschatis, in  
sabbato in Albis et dominicis usque ad Ascensionem,*

quo die, cantato evangelio, extinguitur: Ad Matutinum, et in aliis solemnitatibus, et diebus solemniter celebratis, non accendatur, nisi adsit consuetudo quòd durante tempore Paschali accendatur. S. R. C. 19 Maii 1607.

564. Tolerari possunt missæ votivæ cantatæ B. M. V. in sabbato, vel pariter cantatæ defunctorum in festo duplici, quod non est de præcepto, ut testatorum voluntates adimpleantur, dummodò non omittatur missa conventualis. S. R. C. 1 Septembris 1607. In indice Gavanti, sed ut jacet 20 Junii 1626.

565. In ecclesiis confraternitatum licitum est confratribus, et respectivè capellanis, facere solitas processiones, non tamen eo tempore, quo fiunt in parochiali, visitare in Processione alias ecclesias tempore quadragesimæ et adventus, de licentia episcopi audire in iis ecclesiis concionem, benedicere palmas, ignem et aquam in sabbato sancto; ante matricem tamen non sunt pulsandæ à confratriis campanæ in eodem sabbato sancto. S. R. C. 9 Februarii 1608.

566. Abbates, et alii prælati regulares, non possunt benedicere paramenta ecclesiarum non sibi subditarum. S. R. C. 20 Aug. 1609.

567. Diaconus non debet pacem dare laïcis, neque Domino loci, sed ipsa spectat ad alium ministrum cottá indutum, et cum instrumento, non verò cum osculo. S. R. C. 5 Julii 1614.

568. Regulares deferre debent crucem in processionibus cum velo pendente, seu pallio. S. R. C. 14 Januarii 1617.

569. In festo SS. corporis Christi, Eucharistia non est deferendâ in processionibus sacerdotum humeris, sed celebrantis manibus, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine, quam abusum esse declaravit sac. rit. Cong. 2 Julii 1618.

570. *In Parasceve si incidat festum Annuntiationis B. M. V. non tenentur fideles ad missam audiendam, seu interesse officio.* S. R. C. 19 Feb. 1622. Vide num. 60, 364 et 455.

571. *Celebrans, qui cineres distribuit, candelas et ramos, detecto capite stet.* S. R. C. 18 Julii 1626.

572. *In missa feriæ iv. quatuor temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. M. V. dicenda præfatio communis, non verò de B. M. V.* S. R. C. 12 Decembris 1626.

573. *Ad missam vicarii generalis non debent accendi quatuor candelæ in altari, nec illi assistere debent duo capellani cum cottis.* S. R. C. 7 Augusti 1627, et à fortiori in missa aliorum ipsis inferiorum: sub hoc tamen decreto non videtur comprehendi missa privata, quæ a quodam moniales et alibi habetur ut principalis.

574. *Si festum sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, vel inventionis S. crucis, aut S. Joannis ante portam Latinam occurrerit infra octavam Ascensionis, præfatio in missa erit de apostolis vel de cruce, sed communicantes de Ascensione.* S. R. C. 28 Augusti 1627.

575. *Celebrans in Parasceve mittat particulam in calicem, sine aliquo crucis signo, neque se signet cum calice.* S. R. C. 28 Augusti 1627.

576. *In fine missæ, ad quodcumque altare celebratæ, fiat reverentia cruci infra gradus, capite semper aperto.* S. R. C. 28 Augusti 1627.

577. *Litanie majores, si occurrant in die Paschatis, transferantur in feriam iij. sequentem.* S. R. C. 23 Sept. 1627. Vide num. 227.

578. *Missæ S. Gregorii pro vivis et defunctis impressæ, XV auxiliatorum et de Patre Æterno, prohibitæ sunt.* S. R. C. 8 Aprilis 1628.

579. *Triginta missæ S. Gregorii pro defunctis non prohibentur.* S. R. C. 28 Oct. 1628.

580. *Annuli usus in missa prohibetur, non solum protonotariis, sed etiam canonicis ecclesiarum cathedralium.* S. R. C. 20 Nov. 1628.

581. *Parochi in festis non possunt recipere nova stipendia pro missis.* S. R. C. 1 Septembris 1629. Cùm Cong. sacri conc. Trid. sæpiùs declarasset parochos, qui percipiunt pingues fructus, singulis diebus, teneri applicare fructus sacrificii ovibus suis; qui verò tenues, omnibus dominicis et festis, hanc rem sic temperat Benedictus XIV: « Nobis, inquit, erit satisfactum, si hi et illi diebus dominicis et festivis fructum missæ applicent parochianis; poterunt tamen, *prosequitur*, qui tenues tantùm fructus recipiunt, impediti dictis diebus justâ causâ, v. g. exequiis, postponere applicationem dicti fructûs parochianis, modò id fiat infra hebdomadam per aliam missam. » *Tom II. p. 86. de sacrificio missæ.*

582. *Ubi expressè jubetur missa sine obligatione sacrificii, potest accipi stipendium pro eadem missa.* S. R. C. 15 Julii 1650.

583. *In primis Vesperis dominicæ passionis, non solum cruces et imagines Salvatoris, sed etiam icones altarium et omnes imagines Sanctorum tegi debent.* S. R. C. 4 Aug. 1665. *Cruces et imagines Sanctorum, non tantùm in altari, sed etiam per ecclesiam.* Cærem. episc. lib. 2, cap. 20.

584. *Quando occasione belli contra Turcas, dicitur collecta vel missa contra Paganos, non potest mutari nomen Paganorum, dicendo Turcarum, vel Hæreticorum.* S. R. C. 4 Aprilis 1626, 30 Julii 1689.

585. « Circa missarum celebrationem in privatis

» oratoriis, et usum altaris gestatorii, juxta Cle-  
 » mentis XI, de die 15 Decembris 1703 oppor-  
 » tunum decretum, episcopi debent operam dare,  
 » ut omnia ibidem statuta ubique serventur, idem-  
 » que in suis respectivè diœcesibus, ut faciliùs  
 » omnibus innotescat, publicari faciant, additâ  
 » etiam prohibitione, ne in privatis regularium  
 » cellis, sivè cubiculis erigatur altare pro re  
 » sacra ibidem facienda, et contra quoscumque  
 » contravenientes, censuris etiam ecclesiasticis  
 » procedant, adhibitâ quoad regulares auctoritate  
 » Sedis apostolicæ in memorato decreto ipsis de-  
 » legatâ, remotâque quâcumque in contrarium  
 » consuetudine, etiam immemorabili. Innocentius  
 » XIII, in constit. quæ incipit: *Apostolici mini-*  
 » *sterii, 15 Maii 1723.* Super ecclesiastica disciplina,  
 » confirmata à Benedicto XIII, in alia, quæ  
 » incipit: *In supremo, 23 Sept. 1724.* »

586. *Qui sunt de gremio alicujus ecclesiæ, debent  
 recitare officium, quod in choro dicitur, licet mor-*  
*rentur alibi. S. R. C. 30 Augusti 1602.*

587. *Clerici, licet adscripti alicui ecclesiæ, non  
 tamen obligati choro, non tenentur recitare officia  
 quæ in choro propria dicuntur eâdem die. S. R. C.  
 30 Augusti 1602.*

588. *Psalmi graduales et pœnitentiales dicuntur  
 licitè, ubi est consuetudo eos dicendi, pridie Vesperis  
 feriæ iv. et vj. post Completorium. S. R. C. 2 Augusti  
 1605. Vide num. 81.*

589. *Episcopus regularis debet recitare officium  
 juxta ritum suæ diœcesis, non verò sui ordinis. S.  
 R. C. 11 Junii 1605, et à fortiori regulares promoti  
 ad pastorum debent dimittere Breviarium ordi-  
 nis, et sumere Breviarium loci.*



590. *Commemoratio de cruce ordinaria sufficit in ecclesiis dicatis in honorem sanctæ crucis pro commemoratione tituli ecclesiæ. S. R. C. 50 Martii 1621. In hoc casu dicatur primo loco.*

591. *Moniales, in Confiteor ad Primam et Completorium, ne dicant : tibi, Mater, nec vobis, sorores, sed ut in Breviario. S. R. C. 18 Augusti 1629.*

---

Si quædam in decretorum S. R. C. elucidationibus, et aliis operibus liturgicis inadvertenter, vel ignoranter irrepserint contra fidem et mores necnon contra mentem Ecclesiæ in sacrorum ejus rituum et cæremoniarum explanatione, emendanda humillimâ animi demissione subjicio Sedi apostolicæ, aliisque superioribus ecclesiasticis, in quorum obedientia et communione constanter vixi, et mori intendo.

Hâc 16 Februarii 1796.

TOSSANUS JOSEPHUS ROMSÉE,  
*Ecclesiæ Romanæ presbyter et  
 sacrorum rituum professor in  
 seminario Leod.*

## SUPPLEMENTUM PRIMUM

*Passim depromptum ex nova Collectione romana decretorum authenticorum S. R. C. publicata, sub auspiciis Eminentissimi D.<sup>ni</sup> præfecti Card. DE SOMALIA.*

592. CRUX in processionibus deferenda, converti debet cum imagine crucifixi ad populum, non autem ad deferentem. Ita declaravit S. R. C. 8 Maji 1675. Vide Romsée tom. II, art. IV, et tom. III, art. IV, n. III.

In solemnibus processionibus SS. Sacramenti Eucharistiæ non licet deferre instrumenta passionis, videlicet fragmentum crucis, spinas, et similia. Ita declaravit S. R. C. die 17 Jun. 1684.

In processionibus ita deferri debet crux ut imago crucifixi terga vertat clero seu populo sequenti quasi Christus præire videatur; ad differentiam crucis papalis vel archiepiscopalis, in quo imago crucifixi respicit Papam vel archiepiscopum, quasi ex illius aspectu in summa animarum cura ii recreentur, ut indicatur in cæremoniali episcoporum *Lucius Ferraris*. Vide crux n. 7 ex Gavanto parte 1. tit 19, in rubr. missalis.

593. « Cum Sabbato sancto proximè futuro occurrat festum annuntiationis B. M. V., dubitatum fuit, an debeant celebrari missæ privatæ ad effectum, ut Christi fideles commodè satisfacere possint præcepto audiendi missam et S. R. C. ad relationem E.<sup>mi</sup> ac R.<sup>mi</sup> Domini Card. Colloredo, re maturè perpensâ, censuit prædictum festum annuntiationis unâ cum præcepto

› audiendi missam et vacandi ab operibus in  
 › Ecclesia universali transferri debere ad feriam  
 › 2.<sup>dam</sup> post dominicam in Albis, protractis om-  
 › nibus aliis festis quæ non sint altioris ritus,  
 › et ad aliam diem juxta rubricas Breviarii Ro-  
 › mani. Celebrationem quoque missarum indicto  
 › die Sabbato sancto omninò prohibendum in  
 › quibuscumque ecclesiis et oratoriis privatis, et  
 › unam missam conventualem celebrandam fore  
 › præcepit. Die 11 Februarii 1690, et die sequenti  
 › approbat. à SS. Domino. › Vide Romsée tom.  
 III, art. X.

*In una Argentin.*

594. An N. abbas possit sacros lapides nempe, altaria portatilia à quocumque catholico antistite ritè confecta, altaribus per milites violatis apponere, ut sacrum ibidem licitè peragi valeat? Et an in noviter constructis infrascriptis altaribus (SS. crucis, SS. apostolorum, etc.) supradicta altaria portatilia apponere et deindè in iisdem licitè missa celebrari possit? Resp. eadem S. R. C. affirmative ad formam pontificalis Rom. Die 30 Martii 1697.

*In Collen.*

595. Capitulum et cononici cathedralis Collen. S. R. C. humiliter supplicarunt pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet:

Dub. 1. An recitatio officii B. M. V. de Monte Carmelo possit (ut pluribus in locis fit) transferri in dominicam sequentem diem 16 Julii?

Dub. sub n. 17. An occurrente festo S. Marci infra octavam Paschatis, in missa Rogationum sit dicendum *Credo*?

S. eadem Rit. Congregatio respondit. Ad 1 *negativè*. Ad 17 *negativè*. Die 5 Julii 1698.

*In Bituntina.*

596. Sacerdotes nullum obtinentes beneficium, nullis participantes emolumentis et de gremio capituli non existentes, *cogendos esse* ad assistendum processionibus et divinis officiis. Ita decrevit S. R. C. die 28 Nov. 1682, et in Fossanen. die 7 Sept. 1658.

597. Missa sollemnis celebranda est juxta rubricas, nec licet adjungere aliquos presbyteros cum pluviali pro facienda confessione: et præintona-tione hymni angelici, et symboli. S. R. C. die 24 Julii 1683.

598. Altaria polluta per violationem sepulchri reliquiarum, ex urgenti causa, SS. Domino ut infra approbante, ut conciliari possent sola repositione reliquiarum, die 21 Aprilis 1668 indulisit per modum decreti pro vario casu applicandi, in quo destructis altaribus intactæ remanebant mensæ cum reliquiarum sepulchris, cujus tenor sequens:

Cùm ad præsens in diœcesi Augustæ cumplura milliaria altarium pollutorum solâ violatione sepulchrorum ex quibus sacræ reliquiæ extractæ fuerunt in præteritis Suetarum invasionibus, episcopus supplicavit S. R. C. pro facultate illa reconciliandi sola repositione reliquiarum, iis tantummodò servatis cæremoniis, quæ in Pontificali Romano præscribuntur. Et eadem S. R. C. referente E.<sup>mo</sup> Domino Brancatio censuit, *in hoc casu gratiam prædictam posse concedi* si SS. placuerit. Hac 21

Aprilis 1668 et facta de præmissis per me secretarium SS. relatione, Sanctitas sua benignè annuit die 1 Maji 1668. Decretum hoc pro responso dari jussit, dummodò non transeat in exemplum, S. R. C. die 26 Nov. 1696.

599. Anniversarium consecrationis episcopi non est cum missa celebrandum in tota diocesi. Et ita S. R. C. respondit episcopo civitatis plebis, die 24 Aprilis 1706.

600. An in officio defunctorum in Vesp. et in Laudibus dicendi semper sint psalmi appositi *De profundis*, et *Lauda anima mea Dominum*? R. *servetur rubrica Breviarii Romani et Ritualis itidem Romani et post Vesp. et Laudes in officio defunctorum omittantur psalmi De profundis et Lauda anima mea, tantùm in die omnium fidelium defunctorum et in die depositionis defuncti. Ita declaravit S. R. C. die 23 Junii 1736, et 9 Maji 1759.*

601. An in dictis casibus omittendum sit invitatorium, cùm rubrica Breviarii innuat, quòd dicatur in die commemorationis omnium fidelium defunctorum? R. *negativè, nempe quòd in officio defunctorum, quando recitatur integrum (9 lectiones cum Laud.) numquam omittendum sit invitatorium. Ita declaravit S. R. C. die 9 Maji 1759. Dictum est: quando recitatur integrum, vel primum saltem nocturnum cum Laudibus recitatur, sicut fieri debet in depositione cadaveris juxta Rituale Romanum de exequiis, incipiendo ab invitatorio Regem cui omnia vivunt, etc.*

Extra dictos casus, dum dicitur unum defunctorum officii nocturnum, pro quibus debeat, vel saltem possit cantari missa de Requiem in festo etiam duplici majori aut saltem minori non

festivo, omitti debet invitatorium. Ita declaravit S. R. C. die 2 Maji 1801.

602. Cùm ab antiquo tempore in Lucana ecclesia parochiali Michaëlis Archangeli invaluerit usus, quòd diaconus et subd. in Vesp. solemnibus præstent assistentiam celebranti *non induti phivialibus, sed tunicellâ et dalmaticâ*: modò sacerdos Aloysius de Lignani præfatæ ecclesiæ supplicavit S. R. C., ut *attentis peculiaribus circumstantiis* liceret continuare in eadem consuetudine. S. R. C. audito R.<sup>mo</sup> Archiepiscopo, ad relationem E.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> Domini Card. Archinti præfecti et ponentis, sequens rescriptum edidit *arbitrio Archiepiscopi* die 31 Aug. 1793.

603. Sacra Rit. Cong. sub die 14 Maji 1707 licèt præcipiat, ut super altare, in quo publicè expositum est SS. Sacramentum tempore sacrificii, de more collocetur crux cum imagine crucifixi, die 2 Sept. 1741 declarat, illud tamen non esse in viridi observantia et patriarchales ecclesias Urbis oppositum servare quatenus *supervacaneam adjudicant imaginis exhibitionem, ubi prototypus adoratur.*

604. Cùm quædam patronorum minus principalium regni Poloniæ festa, uti SS. Elisabethæ viduæ, Dorotheæ virg., Margaritæ virg. et mart., Barbaræ virg. et mart., vario ritu (vel dup. min. vel dup. maj.) cum vel sine symbolo celebrarentur, recursum fuit ad S. R. C. ad obtinendam uniformitatem dubiorumque resolutionem, et ead. S. C. audito priùs voto unius ex apost. cæremoniarum magistris, respondendum censuit: *Festa quæ sunt ritus duplicis non celebrentur sub alio ritu, quàm ritus dup. min., nisi constet de diversa concessione;*

*festa tamen secundaria patronorum minus principa-  
 lium si celebrentur cum solemnitate, habent in se na-  
 turam dup. maj.; et qualitatem dup. min. si absque  
 solemnitate peragantur, symbolum autem in missis  
 celebrandum (legendum) non est, nisi iis in ecclesiis,  
 in quibus aut sacrum eorum corpus aut insignes re-  
 liquiæ asservantur. Ita die 1 Decemb. 1742.*

*in Aquensi.*

605.  *Si festum dup. 2. classis (utî Conceptionis et  
 Purificationis B. M. V.) incidat in dominicam pri-  
 vilegiatam primæ vel secundæ classis, tunc officium  
 et missa debent dici de dominica dicta Majori, et fe-  
 stum dup. 2. classis debet transferri ad aliam diem,  
 eamque proximam, non impeditam festo novem lect.,  
 etiam in diebus infra octavas aliquas non privilegia-  
 tas, in quibus fiat de duplicibus translatis; et ita  
 decrevit S. R. C. die 4 Sept. 1745.*

606.  *Sacerdos pergens ad celebrandum et calicem  
 manu sinistrâ portans, potest ad januam sacristiæ  
 accipere aquam benedictam, eâque se signare si com-  
 modè fieri potest, sin minus abstineat. Ita declara-  
 vit S. R. C. die 27 Mart. 1779.*

607.  *An commemoratio SS. Sacramenti, ob ejus  
 expositionem in duplici primæ classis debeat uniri  
 cum oratione missæ sub unica conclusione, quando  
 simul concurrunt aliæ commemorationes de præcepto  
 aut feria majori? S. R. C. Resp. uniendam esse in  
 fine aliarum commemorationum de præcepto, die  
 18 Decemb. 1779. Vide N. 469.*

608.  *In die consecrationis episcopi occurrente officio  
 duplici, officium recitandum esse de dicto duplici,  
 in missis privatis post alias, si occurrant, faciendam*

*commemorationem consecrationis cum collecta : Deus omnium fidelium, etc.; post Nonam verò celebrandam missam solemnem pro electione, vel consecratione episcopi cum Gloria, Credo et præfatione de communi.* Ita servari mandavit S. R. C. die 17 Septembris 1785. quæ jam sub die 8 Junii 1709 consulta, quo loco fieri debeat commem. in missa pro consecratione episcopi, quando ratione *festi occurrentis dicitur missa de festo habente plures alias commemorationes?*

Respondit quòd debeat uniri cum oratione missæ et dici sub unica conclusione, juxta rubricam Pontificalis romani de consecratione electi in episcopum, et missalis Romani in fine post benedictiones. Vide quoque N. 283. quoad dies, in quibus ne quidem prædicta sollemnis de consecratione episcopi celebrari potest.

609. *Festum decollationis S. Joannis Baptistæ, quod die 29 Augusti ab universa Ecclesia ritu duplici minori agitur, in posterum celebrandum esse ritu duplici majori; atque ita decrevit et servari mandavit S. R. C. die 10 Martii 1787. Sanctitasque sua suprascriptum S. C. decretum confirmavit et ubique executioni mandandum esse præcepit. Die 14 Mart. 1787.*

610. « Cùm S. R. C. die 20 Junii 1744 patribus ordinis Reformatorem S. Francisci provinciæ Bahyen. in Brasilia benignè indulserit, ut in eorum ecclesiis celebrari possit missa sollemnis festiva cum cantu immaculatæ conceptionis B. M. V. singulis sabbatis non impeditis festo duplici primæ vel secundæ classis, vigiliis atque octavis privilegiatis, iidem religiosi S. R. C. humillimè supplicarunt, ut infrà scripta dubia

Tom. V.



» definire dignaretur, nempe 1. An in tali missa  
 » votiva solemnè tres orationes, vel una tantùm  
 » cum *Credo* dici debeat.

2. « An in sabbatis, in quibus occurrit B. Ma-  
 » riæ Virginis quævis festivitas aut infra octavam  
 » ejusdem, celebrari debeat missa ejusdemmet  
 » festivitatis, aut votiva vel non votiva, an verò  
 » semper missa *Egredimini*, etc. ut in Brevi assig-  
 » natur? »

Sacra eadem Congr. auditâ sententiâ unius ex  
 apost. cæremoniarum magistris, referente E.<sup>mo</sup> et  
 R.<sup>mo</sup> Domino Card. Antonio ab Auria, rescripsit  
 juxta votum magistri cæremoniarum, nempe: ad 1.  
*affirmativè ad primam partem juxta modum: scilicet, in feriis simplicibus et semidup. tres dicendas esse orationes: in duplicibus duas, semperque hymnum angelicum ratione sabbati ad secundam partem negativè. Ad 2 affirmativè ad primam partem, nempe celebrandam missam festivitatis aut de infra octavam tamquam non votivam, si de eadem octava recitetur officium; si verò recitetur officium alterius festi, celebrandam esse pariter missam de infra octavam, sed more votivo: negativè ad secundam partem. Et ita declaravit et servari mandavit die 26 Jan. 1793. observare hìc licet differentiam in prædicta missa votiva solemnè quoad orationes 2. vel 3. pro ratione ritûs occurrentis officii quæ in votiva privata ut suprâ N. 640. semper leguntur numero tres quâ præceptæ, utpotè quæ nil commune habeat cum officio festi ritûs duplicis occurrentis.*

611. In dominica infra octavam corporis Christi, aut alia designata per annum, in qua recitatur officium ritûs duplicis et solet fieri processio SS.

Sacramenti per parochiam cum concursu populi ejusdem parochiæ, *missa dici debet de dominica aut de festo occurrente cum commemoratione SS. Sacramenti*. Ita declaravit S. R. C. die 10 Sept. 1796, secluso nempè privilegio sive speciali indulto apostolico, quod dabitur infrà à Card. legato concessum die 21 Junii 1804. (1)

612. Conformiter ad anteriores S. R. C. decisiones in primis diei 2 Sept. 1741, quoad festum S. Theresiæ, et diei 10 Januarii 1695, quoad illud S. Ludovici, etsi in Galliis de præcepto et festivum in populo (sub ritu dup. min. 1608 et 1609 indultum) generaliter decretum fuit, tam in una Santanderiensi diei 26 Jan. 1793, quàm in altera Valentina die 19 Sept. 1801, lectiones 1. nocturni in omnibus officiis, sive quibuscumque festis ritûs dup. min. et semidp. sumi debere ex scriptura occurrente juxta præscriptum Breviarii Romani de lectionibus n. 5, nisi expressè constet de concessione et designatione aliarum. Ita declaravit S. R. C. diebus et annis prædictis.

Quoties igitur aliquod officium, v. g. illud S. Guilielmi abbatis, sub ritu dup. cum lect. *Justus si morte*, pro aliqua tantùm diœcesi, vel pro aliquo ordine regulari, prout illud SS. Martyrum Gorcomien. sub ritu dup. majoris cum lectionibus *fratres debitores*, primùm concessum, dein per speciale decretum extendi contingit, vel ad universalem

(1) Vi cujus in solemnitate SS. corporis Christi (ad dominicam infra ejusdem festi octavam translata) in omnibus ecclesiis canitur una solemnitas missa, ut in festo SS. corporis Christi, more votivo, cum unica oratione, *Gloria*, *Credo*, *sequentia*, et ultimum evangelium S. Joannis. Vide N. 615 citatum 21 Junii 1804. indultum.

Ecclesiam, vel ad particulares diœceses, prout in casu, mutando dumtaxat ritum in duplicem vel semiduplicem, quin de lectionibus 1. Nocturni aliquid statuatur, *legendas illas esse ut suprâ, de Scriptura declaravit S. R. C. die 2 Maji 1802.*

*In Syracusana.*

613. SS. Eucharistiæ Sacramentum non sacerdotum humeris, sed manibus dumtaxat illius, qui solemniter celebravit, deferendum esse, non obstante quâvis contrariâ consuetudine. Ex declaratione S. R. C. die 2 Junii 1618, 2 Aug. 1631 et 24 Julii 1638, nec non in Brugnatensi 14 Maji 1803. Vide N. 569.

*Decretum Generale.*

614. Cùm in nonnullis ecclesiis aliquando accidat, quòd quædam festa secundæ classis celebrari non possint in die propria, sed transferri debeant ad aliam diem non impeditam juxta rubricas, et infra annum non supersit ullus dies vacuus, in quo dicta festa reponi possint, S. R. C. referente E.<sup>mo</sup> et R.<sup>mo</sup> D. Card. Litta, re maturè discussâ, declaravit *eadem festa transferenda esse in proximiozem diem etiam impeditam festo semidup. aut dup., quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus aliis declarationibus ab ipsa S. Cong. emanatis de festis inferioris ritûs in simili casu non transferendis, sed ad ritum simplicem redigendis. Et ita declaravit et ubicumque servari mandavit die 13 Mart. 1804. Vide suprâ N. 188, 515 et seq. item 534 quoad duplicia et semiduplicia, etc.*

613. Cùm pro parte amplissimi Domini Forgeur vicarii generalis Mechlin. Archiepiscopi humiliter expositum fuisset, occasione decreti apostolici de reductione festorum diei 9 Aprilis 1802, varias exortas esse difficultates quoad festa in dominicam infra eorum respectivam octavam translata, indulgentiasque eis aliàs à S. Sede annexas lucrificiendas, E.<sup>mus</sup> Dominus Card. à latere duo sequentia diei 21 Junii 1804 dedit decreta :

*Nos Joannes-Baptista, tituli sancti Honuphrii S. R. E. Card. Caprara, Archiep. Mediolan., SS. DD. Nostri Pii Papæ VII et S. Sedis apost. ad Gallo- rum Imperatorem à Latere legatus.*

Quoad ordinem servandum in celebratione divinorum officiorum, postquam variæ festivitates vigore apostolici indulti ad alias dies translatae fuerunt, nos sequentes tradimus regulas, quibus omnia opportunè disponi poterunt.

1.º Officia Epiphaniæ Domini, sanctissimi Corporis Christi, SS. apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ recitanda erunt à clero tam privatim, quàm publicè in ecclesiis, et missa de eisdem festis dicenda in proprio suo die.

2.º In dicto proprio die fideles neque ad audiendam missam, neque ad abstinendum à servilibus operibus obligati erunt.

3.º *Sola solemnitas præfatorum festorum differetur in dominicam subsequentem* (1) in qua officium quidem à clero tam publicè quàm privatim, et missa

(1) Nisi ipsa hujusmodi festa incidant in dominicam, in qua eadem cum solemnitate celebranda tunc veniunt.

recitabitur juxta rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem: canetur tamen una missa solemnis de festo illo more votivo cum unica oratione (1): minimè omissâ in cathedralibus, aliisve ecclesiis, in quibus officium publicè agatur, et adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, alterâ missâ conventuali de festo occurrente.

4.º Jejunium vigiliæ SS. apostolorum Petri et Pauli observabitur in sabbato ante dominicam solemnitatis dictorum SS. apostolorum.

5.º In vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, in quadragesima, feriisque quatuor temporum manet jejunium.

6.º Omnia alia jejunia, ac etiam illa quæ in aliis indultis apostolicis reductionis festorum conservata sunt pro aliquibus locis quæ nunc territorio reipublicæ Gallicanæ unita sunt, suppressa sunt.

7.º Dominicâ quæ subsequitur diem octavam omnium Sanctorum celebrabitur anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum consecratarum.

8.º Processiones SS. mi Corporis Christi incipientur in dominica in qua solemnitas ejusdem festi refertur, et in dominica sequenti finem habebunt.

Datum Parisiis ex ædibus nostræ residentiæ, hâc die 21. Junii 1804.

*Signatum erat: J. B. CARD. Legat. et J. A. SALA, apostolicæ legationis secret.*

Concordantiam cum originali attestor hâc  
9.ª Octobris 1804.

J. B. VAN VRECKEM, secret.

(1) In qua dicitur, *Gloria et Credo* cum ultimo Evangelio S. Joannis.

*Nos Joannes-Baptista, tituli sancti Honuphrii, S. R. E. presbyter Cardinalis Caprara, Archiepiscopus Mediolanensis, SS. DD. Nostri Pii Papæ VII, et sanctæ Sedis apostolicæ ad Gallorum Imperatorem à Latere legatus.*

Cùm nobis expositum fuerit post editum apostolicum indultum pro reductione et translatione festorum, plures mutationes necessariò inductas esse in directorio diœcesis Mechliniensis, ex quo sæpiùs accidit, ut variæ festivitates non ampliùs celebrari possint iisdem diebus, qui in calendario descripti sunt, et pro quibus ab apostolica Sede indulgentiæ concessæ fuerant, nos, ut Christi fideles faciliùs easdem indulgentias lucrari valeant, de speciali apostolica auctoritate à sanctissimo Domino Nostro Pio Papa VII nobis benignè concessa, R.<sup>mo</sup> Archiepiscopo Mechliniensi, sive ejus vicario in spiritualibus generali, facultatem communicamus, quandocumque aliquod festum transferri contingat, præfatas quoque Indulgentias transferendi, ita ut in posterum pro ea die elargitæ censeantur, in qua respectivæ festivitates in ecclesiis suæ civitatis et diœcesis celebrantur: Servatâ in reliquis formâ et tenore singularum concessionum apostolicarum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Parisiis ex ædibus nostræ residentiæ, hâc die 21 Junii 1804.

*Signatum erat: J. B. CARD. Legat.*

*Concordantiam cum originali*

*attestor hâc 9 Octobris 1804.*

*J. B. VAN VRECKEM, secret.*

Virtute præfati rescripti Apostolici, omnes et singulæ Indulgentiæ concessæ pro festivitibus Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, SS. apostolorum Petri et Pauli ac patronorum titularium, per Illustrissimum D. Archiepiscopum Mechliniensem, translatae sunt in dominicam in qua festivitates illæ in populo celebrari debent juxta indultum.

*Quod attestor,*

De mandato,

J. B. VAN VRECKEM, *secret.*

616. In una Brixiensi dubio 9 petitur: An attendi debeat, ut fit in calendario Brixiensi, etiam in diœcesi in octava dedicationis ecclesiæ decretum S. R. C. 27 Martii 1779 sic expositum *Festum dedicationis ecclesiæ est festum Domini*. Unde in paritate ritus debet habere integras utrasque Vesperas, quamvis id non legatur ad 15 (Nobis et passim ad 9) et 18 Nov. Dubio 10. An occurrente festo dedicat. in festis B. M. V., SS. Angelorum, Joannis Baptistæ, Joseph sponsi ejusdem B. M. V., ac SS. apostolorum, quæ festa sub ritu dup. primæ classis sint celebrata, debeat in his casibus fieri officium de dedicat. etsi occurrat festum Assumptionis B. M. V. Dubio 15. Quo in sensu intelligenda sit rubrica Breviarii de transl. festorum n. 6. in quo legitur: Si omnia (festa) fuerint duplicia, fiat de *digniori seu solemniore*; et n. 7. inter plura dup. *quod est magis solemne* semper prius transferatur?

S. R. C. ad relationem E.<sup>mi</sup> ac R.<sup>mi</sup> Domini Card. de Somalia præfecti, et ponentis rescribendum censuit: ad 9 et 10. *negative*, *proût jam decisum fuit sub die 15 Martii 1804 in una ordinis clericorum*

*minorum villæ Matritensis*; ubi nempe decisum fuit n. 4, quòd octava dedicationis propriæ ecclesiæ non sit dignior octavâ Conceptionis B. M. V. in Hispania, ubi celebratur ritu dup. 1 classis, nec dignior sit octavis Assumptionis ejusdem B. M. V. et omnium sanctorum sub n. 5, scilicet ad 4. *negativè et serventur rubricæ*; ad 5. *negativè*.

Ad 15: rubricam intelligendam esse de solemniiori quoad ritum et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem, quæ in ordine translationis non est attendenda. Et ita declaravit et servari mandavit die 20 Sept. 1806.

Præmissis accedit, quòd, cùm occasione Mechl. Breviarii Romani editionis detegeretur, in misso ad hoc ex Urbe exemplari non servari decretum S. R. C. diei 27 Mart. 1799 quoad integras respectivas Vesperas dedicationis basilicarum SS. Salvatoris, et SS. apostolorum Petri et Pauli, eidem S. C. supplicatum fuerit, quatenus dignaretur indicare, an fortè memoratum S. R. C. decretum, si adhuc vigeat, solùm afficeret proprias respectivorum locorum consecratas ecclesias, etc.? Responsum autem fuit die 4 Junii 1825. S. R. C. recessit à decisis in decreto die 27 Martii 1799, declaravitque, *festum dedicationis haud esse censendum festum Domini, ideoque quoad Vesperas servanda est tabella concurrentiæ.* (1)

(1) Invaluerat opinio, inquit editor novæ Romanæ editionis decretorum S. R. C. ad n. 4429, quòd annivers. dedicat. ecclesiæ, utpotè *Festum Domini*, alia omnia præstaret, tam in occurrentia quàm in concurrentia; sed quoniam rubrica nil decernit, imò vix illud ponit solummodò ante patronum loci, vel titularis ecclesiæ; quia ex ea opinione plura oriebantur dubia, atque insuper, licèt dedicatio ecclesiæ festis Domini annumerari velit, non ullum respicit peculiare mysterium,



617. Quæsitum fuit à S. R. C. quo colore] uti debeat sacerdos in solemnè expositione et reservatione SS. Sacramenti quæ fit pro decemdio in ordinis clericorum minorum Spiritui S. dicata ecclesia Tolentanæ diocesis, à die Assumptionis Domini usque ad Pentecosten, cum Vesp. solemniter celebratis et concione ad populum, quâ finitâ, postea devotè recitatis precibus et orationibus *decemdi* fit solemnè SS. Sacramenti reservatio, seu ad tabernaculum processionalis translatio.

R. *Quatenus sacerdos qui Vesperas celebravit, non recedat ab altari, et assistat cùm concioni tùm precibus: reservationem faciendam esse cum paramentis coloris correspondentis officio diei, et velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur; quatenus verò recedat, et reservatio habeatur tamquam functio omninò separata et distincta ob officio Vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi. Ita declaravit S. R. C. die 20 Sept. 1806. Idem videtur dicen-*

sed generalem habet relationem ad Deum, cui dedicatur templum ad divina Mytheria in eo celebranda; quamobrem si festum dedicat. Ecclesiæ ad festa Domini referendum sit, habendum tantùm est ut *secundarium*, (non *primarium*) et *locale peculiare*; ideo præferendum dumtaxat æquè peculiaribus et localibus, uti sunt patroni et titulares locorum et ecclesiarum, non autem illis, quæ juxta ordinem tabellæ duplicium 1. classis præceptivè sub gravi obligatione ab omnibus christiani orbis ecclesiis, diebus propriis recolenda sunt; quapropter jure merito S. R. C. à priore opinione recedens, standum esse decrevit prædictæ tabellæ, et generalibus Rubricarum præceptis inhærens, statuit, ut supra dictum est, in una ordinis clericorum min. die 13 Mart. 1804, ac in altera Brixiensi 20 Sept. 1806 contra prælationem officii dedicationis in sæpè dicto decret. 27 Mart. 1779 ei attributam, quare hac in parte reformandæ indubiè decisiones, post epocham 27 Mart. prædicti usque ad 1804. emanata.

dum et applicandum casibus, in quibus laudes vespertinae non immediatè post Vesperas diei, sed prout fieri frequenter contingit multis in ecclesiis, celebrantur circa vesperam seu finem diei.

*In Cordubensi.*

618. Cùm hodiernus R.<sup>mus</sup> Episcopus Cordubensis de Sacrorum Rituum in sua diœcesi pleno adimplemento plurimum sollicitus in ancipiti versaretur circa nonnullas quoad illorum interpretationes, et pro earumdum declaratione supplices preces S. R. C. exhibuerit, cum infrascriptis (inter alia) dubiis videlicet:

Dubio 5. Passim concedi solet (in sequenti infrà tenore sub 1) à S. C. E. et R. Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum sacerdotibus *cæcutientibus sive* tenuitate visûs laborantibus privilegium

(1) « Die 21 Septembris 1829. SS. Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii Sac. Congr. Concilii, benignè commisit ordinario loci, ut veris existentibus narratis, et dummodo orator non sit omninò cæcus, memoriter non recitet, celebret in oratorio privato, aut etiam in publica Ecclesia, horâ tamen à populo minùs frequentatâ et cum alio assistente Sacerdote, quatenus eo indigere videatur, petitam licentiam celebrandi diebus festis et duplicibus missam votivam B. M. V.; diebus verò ferialibus missam defunctorum, per triennium proximum tantùm, si tam diù enunciatus defectus perduraverit, pro suo arbitrio et conscientia oratori gratis impertiatur, cum facultate hujusmodi licentiam prorogandi toties quoties opus fuerit, si facto experimento cognoverit oratorem in eadem visivæ potentia debilitate perdurare, viceque versa, præfatam licentiam denegandi, si orator in sacro peragendo defecerit, aut omninò cæcus evaserit, super quibus ipsius ordinarii et oratoris conscientia onerata remaneat. »

L. †. S. signat J. F. Card. Falsacappa et infrà J. A. Sala.

recitandi missam votivam B. M. V. in festis, et duplicibus; diebus verò ferialibus missam defunctorum. Quæritur ergo *primùm*: An per festa et duplicia intelligendæ veniunt etiam dominicæ privilegiatæ, et festa majora 1.æ vel 2.æ classis? *Secundò*: An sacerdos ita privilegiatus se conformare possit quoad colorem, orationum numerum, *Gloria*, et *Credo*, colori, et ritui ecclesiæ, in qua celebret, vel dicere debeat votivam missam ipsi concessam, ritu, et colore propriis ejusdem missæ? *Tertiò*: An in casu dicere debeat secundam orationem de festo diei juxta rubricas, vel semper de Spiritu sancto cum tertia Ecclesiæ, vel pro Papa, ex eo quòd tenuitas visûs nec illam orationem propriam, et quolibet die diversam illi legere permittat? *Quertò*: An semper in dominicis dicere debeat *Credo*? *Quintò*: An per ferialia intelligantur etiam feriæ majores, et vigiliæ privilegiatæ, ex. gr. Nativitatis Domini, et Pentecostes?

Dubio 12. Quando festum Purificationis B. M. V. occurrit in dominicam Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, apud Dominicanos non transfertur, ex quo accidit, quòd moniales S. Dominici jurisdictioni ordinarii subjectæ, et Breviario sui ordinis utentes de præfato festo in choro recitent, missamque officiantes cantaturæ ex statuto, consuetudine, vel devotione antiqua illam de B. Virginis Purificatione absolvere debeant. Quæritur ergo: An Cappellani sæculares ipsarum officium de dominica persolventes, juxta Rubricas Breviarii Romani,

quo utuntur, se conformare debeant quoad missam in his vel similibus circumstantiis cum officio monialium, illam celebrando de prædicto festo B. M. V., ut officium choro omninò expleatur?

Dub. 15. An idem dicendum sit in his omnibus casibus, in quibus moniales missam proprio officio convenientem in choro ex statuto, consuetudine, vel antiqua devotione cantent, salvis remanentibus tantùm, quoad reliquos casus decretis hujus Sacræ Congr., in quibus hujusmodi conformitas in facultate, et arbitrio Capellanorum relinquitur.

Sac. eadem Congregatio, benè perpensâ unius ex apostolicarum cæremoniarum magistris sentientiâ scripto traditâ et typis etiam evulgatâ, referente E.<sup>mo</sup> et R.<sup>mo</sup> D.<sup>no</sup> Card. Antonio ab Auria ponente, rescripsit ut infrâ :

Ad 5. In casu proposito; « *Primò* : per festa  
 » duplicia intelligi etiam dominicas privilegiatas,  
 » et festa primæ et secundæ classis. *Secundò* ;  
 » à sacerdote privilegiato adhibendum esse colo-  
 » rem convenientem missæ votivæ, quæ erit sine  
 » *Gloria*, et sine *Credo*. *Tertiò* ; dicendam esse  
 » secundam orationem de Spiritu sancto, cum  
 » tertia pro Ecclesia, vel pro Papa. *Quartò* ;  
 » etiam in dominicis omittendum esse symbolum.  
 » *Quintò* ; in feriis majoribus, et vigiliis privi-  
 » legiatis, in quibus prohibentur missæ privatae  
 » defunctorum, dicendam esse missam votivam de  
 » S. Maria.

» Ad 12 et 15. Serventur Sac. Congr. decreta,  
 » et capellanos sæculares, qui celebrare debent  
 » in ecclesiis monialium quoad missam solemnem  
 » teneri, dummodò celebrent cum Missali Romano.

- » Et ita (S. R. C.) declaravit et servari mandavit.
- » Die 20 Septemb. 1806.

619. Cùm in publicis Ecclesiæ calamitatibus aucta plurimùm fuerit devotio erga beatissimam Virginem juxta Simeonis prophetiam in anima gladio transfixam, cujus commemoratio fit dumtaxat feria 6, post dominicam Passionis, dum Ecclesia ob sublimia Redemptionis mysteria, quæ eo tempore celebrantur, in tristitia versatur et luctu; cùmque propterea apostolica Sedes jam pridem indulserit ut in ordine servorum B. Mariæ V. iteratò idem festum solemniter perageretur in dominica 5 Sept., quod postmodùm extendit ad plurimas provincias et dioceses; hinc SS. Dominus noster Pius VII Pont. Max., piâ devotione notus erga beatissimam V. M. dolore transfixam, accedentibus etiam precibus S.<sup>mi</sup> Caroli Emmanuelis Sardiniaë regis, et voto E.<sup>mi</sup> Domini cardinalis Julii Mariæ de Somalia uti S. R. C. præfecti, suæ vocis oraculo in audientia mihi infrascripto subpromotori fidei sub hac die benignè imperitâ, præcepit ut imposterùm in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis recurrente dominicâ 5 Sept. celebretur festum dolorum B. M. V., extendendo ad omnes tam sæculares quàm regulares, qui ad horas canonicas tenentur, officium et missam jam concessam ordini servorum ejusdem B. M. V. sub. ritû dup. maj., sed quoniam in ea dom. 5 Sept. aliquando occurrit octava Nativitatis B. M. V. aut festum S. Matthæi apost., alterûtro adveniente casu, mandavit, ut festum dolorum transferatur in primam ex sequentibus dominicis, quæ non sit impedita officio ritûs 1. vel. 2. classis, firmâ nihilominùs remanente ejus-

dem festi Commemoratione, quæ fit in feria 6, post dominicam Passionis. Die 18 Sept. 1814.

JULIUS-MARIA, Card. de Somalia,

S. R. C. præfectus.

L. † S. Pro R. P. D. JULIO DE CARPINIO,

S. R. C. Secretario.

ALOYSIUS, canonicus Gardellini, subpromotor fidei, pro Secret.

620. « Cùm non obstantibus S. R. C. decretis  
 » pluries editis, et signanter in una Alexanen.  
 » diei 7 Sept. 1658 et *Dalmatiarum* diei 4 Aug.  
 » 1663, quibus cavebatur, ne hebdomadarii, archipresbyteri, aliique uti possent stolâ in canendis divinis officiis, sed tantùm in Sacramentorum confectione et administratione eidem S. C. innotuerit, hujusmodi abusum et viguisse, et in præsens adhuc vigere penes archipresbyteros et parochos abbatia nullius Farfen. eadem S. Cong. auditâ priùs informatione R.<sup>mi</sup> abbatibus declaravit *stolam non esse adhibendam præterquam in collatione et confectione sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum, per locorum ordinarios omninò eliminandum*, die 7 Sept. 1816 probante SS. die 20 ejusdem mensis et anni. » (1)

(1) Stola habet rationem indumenti sacri, ac propterea nequit adhiberi, nisi conficiendis et administrandis Sacramentis, ac in Sacramentalibus juxta rubricam et Ritualis Romani dispositionem. Ideo nec episcopi stolâ utuntur, nisi dum pontificalia aut sacerdotalia munia exercent, vel aliud præstant, quod servatâ formâ libri cæremonialis stolæ delationem exigit.

621. Reverendissimus Episcopus Tuden. in Hispania à S. R. C. obtinuit inter alia sequentium duoborum resolutiones et responsa respectivè annotata quoad 11 sequentes casus :

An in missis privatis permitti possit ministro aperire missale et invenire (sive quærere) missam? R. *negativè et serventur rubricæ.*

An in iisdem missis privatis permitti possit ministro, si fuerit sacerdos, vel diaconus sive subdiaconus, ut præparet calicem, et ipsum extergat in fine post ablutiones, sicut in missa solemnî? Resp. *ut ad proximum.*

An in missa solemnî permitti possunt duo missalia, unum in cornu epistolæ, aliud in cornu evangelii? Resp. *negativè.*

An in missa solemnî dici debeant submissâ voce omnia verba ab *in nomine Patris* usque ad introitum insuperque *oræ fratres : sanctus : nobis quoque peccatoribus, et Domine non sum dignus?* quando quidem rubrica cap. XXVI ita præscribit. Resp. *affirmativè dummodò intelligatur à ministris.*

Utrùm oratio præcepta à superiore tempore necessitatis publicæ locum habeat in diebus 1 et 2 classis, et an prædicta oratio dici debeat sub distincta conclusione?

Resp. *Si oratio præcepta sit pro re gravi, dicenda erit in dup. 1 classis sub unica conclusione, si non sit pro re gravi omittenda in dup. 1 classis; in dup. verò 2 classis arbitrio sacerdotis.*

An sacerdos manum sinistram ponere debeat super missale ad evangelium cùm dexterâ facit signum crucis super ipsum; item dum in missa de requiem facit signum crucis ad introitum? Resp. *affirmativè.*

An sacerdos dicere debeat in missa solemn*i ita missa est: benedicamus Domino et requiescant in pace*, vel dicantur tantum à diacono? Resp. quoad ite missa est *negativè*; quoad benedicamus Domino et requiescant in pace *affirmativè*.

An purificatorium seorsim benedici debeat? Resp. *negativè*. (1)

An in die octava S. Joannis Baptistæ legi debeat homilia assignata pro die 25 et 26 Junii, cum propter occupationem illorum dierum omissa fuerit? Resp. *posse juxta Votum* die 7 Septemb. 1816.

622. An quando defunctus tumultatus fuit ob aliquam causam vespere, possit sequenti mane fieri officium et missa cantari de requiem, etiamsi recitetur officium de duplici? S. R. C. Resp. *affirmativè, exceptis tamen diebus, in quibus missæ de requiem cantatæ, prohibentur absente corpore*; et ita declaravit et servari mandavit eadem S. Cong. die 18 Dec. 1779.

623. An pro aliquo defuncto sepeliendo ad vespeream ob aliquam rationabilem causam, dici possit aliquâ horâ matutinâ missa de requiem, iisdem diebus quibus locum habet, corpore præ-sente?

(1) Mota fuit questio an purificatorium debeat benedici? Pisart et Leyman docent omnino conveniens esse ut benedicatur purificatorium quod jam diu adhiberi cupit ut sacrificium peragatur decentius. *Cum autem*, inquit Janssens, *proximè inserviat sanguini D. N. J. C.*, cujus particulas aliquando sicut et particulas sacræ hostiæ, dum sacræ pixides et ciboria interiùs eo exsiccantur et in ac post distributionem sacræ Communionis digiti sacerdotis abstergantur, eidem adhærere contingat, benedici quàm maximè decet; *in reverentiam* enim hujus Sacramenti à nulla re ipsum per se contingitur, nisi sacrata. S. Thom. p. 3. q. 82. a 3. Vide in praxi celebrandi missam Tom. II. part. 3. in append. N. VII.



Resp. Si cadaver sit insepultum, licèt non præsens, detur decretum in Florentina 25 Aprilis 1781. (1) Si verò terræ traditum, celebrari poterit una missa cantata, ut in die obitûs, dummodò non sit 1.<sup>o</sup> vel 2.<sup>o</sup> class. aut festum de præcepto, die 7 Sept. 1816.

624. Cùm missa de requiem, etiam præsentè cadavere, locum non habeat in diebus solemnioribus primæ classis juxta decretum 29 Jan. 1752, quæritur

An festa S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, titularis ecclesiæ, patroni principalis populorum, insimulque festum omnium Sanctorum excludant missam de requiem? Resp. *Affirmativè*; et ita eadem S. C., audito prius voto unius ex apost. cæremoniarum magistris, respondit die 7 Sept. 1816.

625. An canonici cathedralis tenentur missas celebrare ut quilibet alius sacerdos simplex, an potius ipsis licet cogere clericos inservientes, ut

(1) Ad preces seren. Etruriæ magnæ ducis et Austriæ archiducis, SS. Domino Pio Papæ VI. porrectas, ut nempe in cunctis suis dominiis celebrari possit una missa solennis de requiem, diebus etiam festivis de præcepto, et duplicibus 2. classis, unà cum absolutionibus et precibus, quæ in die obitûs fieri et recitari solent, etiamsi cadaver in ecclesia præsens non sit. Sanctitas sua ad relationem E. mi Archiepiscopi S. R. C. præfecti, audito prius consilio congregationis particularis ab ea deputatæ, *petitam facultatem in casu de quo agitur benignè concessit, etsi cadaver tumulatum non fuerit, sed eâ, quâ religione servetur in loco decenti proximiori ecclesiæ, apposito tamen in ecclesia, Loticis seu nigri panni signo, ab eo diverso, quod in anniversariis adhibetur, ut fideles intelligant, missam his diebus offerre in expiationem animæ illius defuncti, cujus corpus traditum terræ adhuc non fuit, et ecclesiæ precibus etiam proprias adjungant quibuscumque in contrarium minimè obstantibus, die 25 April. 1781.*

deferant calicem ad altare, vel ab eo reportent, eum detegant et coöperiant in missa, aperiant missale, etc.

Resp. *Affirmativè ad primam partem; negativè ad secundam*, et dentur decreta in Senen. 20 Julii 1686. (1) In Aquilana 22 Januarii 1735, (2) ac in Asculuna 1788, (3) et ita declaravit die 31 Maji 1817, confirmante SS. die 4 Junii 1817.

(1) An in celebratione missæ privatæ dignitates à canonicis tam cathedralis quàm collegiatarum, sive alius quilibet sacerdos episcopo inferior, possint adhibere in missa ultra duas candelas in altari et habere ministrum inservientem, qui missali assistat, folia vertat, calicem mundet. Eadem S. Congr. respondit *negativè* die 20 Jul. 1686.

(2) An archidiaconi et canonici in eorum missis celebrandis tam intrà quàm extra cathedralem ultra unum inservientem, qui missæ respondeat, uti valeant magistro cæremoniarum vel sine vel cum veste violacea, vel alio ministro sacerdote, tam pro delatione calicis ad altare et illius reportatione ad sacristiam, quàm pro sustinendo missale, indicando orationes, aperiendo et coöperiendo calicem, in illum infundendo vinum et aquam, porrigendo patenam cum hostia, itemque calicem, ac eundem postea cum velo instruendo adinstar episcoporum, sive an potius debeant celebrare, ut quilibet alius simplex sacerdos, omnes relatos ritus à semetipsis (per semetipsos) explendo, absque ope ministri? Et Sac. eadem Rituum Congr. visis juribus hinc indè deductis, et tam in scriptis quàm in voce Patribus informantibus auditis, rescribendum censuit *Negativè in omnibus quoad primam partem, et affirmativè quoad secundam*. Et ita declaravit ac servari mandavit die 22 Januarii 1735.

(3) An liceat canonicis in missis privatis tam intrà quàm extra cathedralem uti opera inservientis missæ, tam pro delatione calicis ad altare, et illius reportatione ad sacristiam, quàm pro sustinendo missale, indicando orationes, aperiendo calicem et porrigendo patenam cum hostia, tergendo calicem, eumque postea cum velo instruendo? S. R. C. respondit *negativè*; et ita servari mandavit die 27 Maji 1788 ac 24 Sept. ejusdem anni.

626. Studio pietatis incensus in beatissimam Virginem doloris gladio transfixam SS. Dominus noster Pius VII Pont. Max. jam indè ab anno 1814 die 18 Sept. benignè præceperat festum ipsius tertia dominica Sept. in universo catholico orbe celebrari, prout ordini servorum Mariæ, et in quibusdam aliis locis jam pridem concessum fuerat: quoties verò in ea dominica incideret vel dies octava Nativitatis ejusdem B. V. in qua festum habetur SS. ipsius nominis, vel festum S. Matthæi apostoli, quæ duo dumtaxat in calendario Ecclesiæ universæ eo die impedimento esse possent, decrevit, ut ipsum dolorum festum in aliam proximiorum dominicam transferretur non impeditam officio ritus dup. 1 vel 2 classis.

Cùm autem peculiaria quædam festa diocesum ac locorum facilè possint quandoque in eadem tertia dominica Sept. occurrere, vel in proximiori, ad quam festum dolorum transferendum foret, nonnulla proposita sunt dubia, nimirum

1.º An simul occurrente festo dolorum cum die octava patroni, titularis, aut dedicationis ecclesiæ, quæ licèt sit ritus dup. min. ex rubricarum præscripto prævalet festo etiam dup. maj., fieri debeat de eodem festo dolorum, an potius de octava?

2.º In casu translationis, si in quibusdam dominicis, in quarum altera reponendum esset festum dolorum, occurrat aliud festum ejusdem B. M. V. vel de mercede, vel rosarii, puritatis, maternitatis, etc. Sub eodem ritu dup. maj. faciendum erit de occurrente, an de translato?

5.º Si omnes dominicæ usque ad adventum fuerint impeditæ, omittendum erit eo anno festum

dolorum, an potius transferendum juxta rubricas in primam diem non impeditam post dominicam tertiam Sept.

SS. Dominus noster horum dubiorum examen commisit R.<sup>mo</sup> Domino S. R. C. præfecto, promotori fidei ejusdem S. Congr. assessori, mihi que subscripto sacretario; quamobrem, re maturè discussâ in conventu habito coram præfato R.<sup>mo</sup> præfecto, responsum fuit:

*Ad 1. Negativè ad primam partem; affirmativè ad secundam.*

*Ad 2. Affirmativè ad primam partem; negativè ad secundam.*

*Ad 3. Negativè ad primam partem; affirmativè ad secundam.*

Præterea, ad amputandas quæstiones quæ ulterius ex non prævisis casibus oriri possent, si SS. videbitur, moderando decretum 18 Septembris 1814, declaratum fuit per modum regulæ generalis, quòd, impeditâ dominicâ tertiâ Sept. ob occursum festi ritûs dup. 1 vel 2 classis, vel diei octavæ patroni, titularis, dedicationis, etc. præfatum festum dolorum transferri debet in proximiorē dominicam, etiamsi incidat cum festo ritûs dup. min. dummodò non sit dies octava patroni, titularis, dedicationis, etc., quæ, licèt gaudeat ritu dup. min., nihilominùs, cùm transferri nequeat, ab hac regula excipitur, ut provisum est suprâ ad I.<sup>um</sup>

Factâ per me infrascriptum sacretarium relatione, SS. in omnibus benignè annuendo, præfatas responsiones et declarationes approbavit et confirmavit, et per decretum generale publicari mandavit die 19 Aug. 1817.

627. Cùm jam declaratum sit à S. R. C. Responsorium *hæc est vera fraternitas*, locum habere solùm in martyribus fratribus *secundùm carnem*, non verò *secundùm institutum ordinis regularis* (1), quæritur, an præfatum responsum dici debeat in martyribus nostri ordinis (Minorum S. Francisci) extante rubricâ peculiari nostri breviarii? S. R. C. respondit die 22 Aug. 1818, *affirmativè* juxta *peculiarem rubricam* N. 196 (2) et Sanctitas sua Sac. Cong. respons. approbavit, confirmavit et servari mandavit die 25 ejusdem mensis et anni.

628. In antiphona ad Magnificat in primis Vesp. et in respons. VII (in officio patrocinii B. M. V. ubi dicitur: *Tuam sanctam festivitatem*, legendum esse *tuum sanctum patrocinium* decrevit S. R. C. die 22 Augusti 1818, SS probante et confirmante die 25 ejusdem mensis et anni.

(1) Responsorium, *Hæc est vera fraternitas* non dicitur unquam nisi verè hi sint fratres secundùm carnem: quòd si cum fratribus carnalibus celebrentur alii non fratres, eodem festo, non dicitur. Gavantus in hanc rubricam Breviarii sect. 8, cap. 2, n. 9. Accedunt S. R. C. decreta sive declarationes. 1.º An in festo omnium Sanctorum Monachorum ord. S. Benedicti possit dici: *Hæc est vera fraternitas*. S. R. C. die 20 Junii respondit et declaravit *negativè*. 2.º An rubrica posita in Breviario videlicet sequens responsum *hæc est vera fraternitas* post VIII, aut II. lect. in festo plurimorum martyrum fratrum, intelligenda sit nedum de fratribus secundùm carnem, sed etiam de ipsis secundùm institutum ordinis regularis? S. R. C. respondit *negativè*; et ita declaravit et ubicumque servari mandavit die 13 Martii 1804.

(2) Peculiari hoc indulto fruuntur fratres minores S. Francisci tantùm ex peculiaribus eorum rubricis, occasione novæ Breviarii trium ordinum editionis, à fel. record. Pio Papa VI, ritè approbatis et confirmatis, in quibus n. 196 habetur: respons. *ultimum*... in officio plurium mart. fratrum (sive fratres fuerint secundùm carnem sive nostræ religionis filii) esse debet.

629. R.<sup>mo</sup> episcopo Tarentino dubitanti, an ea dominica, ad quam vi indulti apostolici diei 10 Aprilis 1818, pro utriusque Siciliae regno festa patronorum principalium transferenda sunt, sit habenda, ut *dies fixa* an verò *mobilis*, ad effectum celebrandi idem festum cum vel sine octava? Resp. S. R. C. *Dominicam in qua perpetuò reponendum erit festum patroni principalis, habendam esse ut diem propriam, ac proinde gaudere octavá et omnibus privilegiis et prærogativis, quæ festis patronorum conveniunt; octavam verò perire si ob aliquod impedimentum per accidens festum sit transferendum.* Et ita declaravit die 18 Octobris 1818.

630. In diœcesi Neapolitana vi indulti apostolici 10 Aprilis 1818, festa principalium patronorum cum suis octavis, solemnitatibus, concessionibus, privilegiis, indultis, indulgentiis, prohibitionibus missarum in oratoriis privatis, etc. eisdem festis adnexis, translata sunt ad proximam diem dominicam infra octavas respectivas tanquam in *diem fixam*. Quæritur jam, quæ festa vel solemnitates in dicta dominica proximè sequenti occurrentia, impediunt fieri de festo patroni principalis. Resp. ad 6, *impedimentum ponunt dominicæ omnes primæ et secundæ classis, et in quibus occurrunt festa primæ classis et majoris dignitatis.*

Insuper de quo faciendum est officium illo die, qui remanet vacuus ob translationem patroni principalis in diem dominicam? Resp. *faciendum officium de feria, nisi aliquod festum prius translatum reponendum sit.* Et ita decrevit S. R. C. die 18 Octobris 1818.

631. R.<sup>mus</sup> episcopus Aliphanus petiit inter alia à S. R. C. Au canonici collegiatae, in festis, vi

indulti apostolici 10 Aprilis 1818 abrogatis, teneantur ad chorum, ad cantandas missas, etc. uti ante eorum suppressionem. Respondit *quoad chorum et ecclesiasticas functiones peragi solitas, nihil omninò innovandum, relativè ad festa in quibus populus solutus est à præcepto audiendi sacrum, et cantus institutus est ad Deum honorandum, non ad populum alliciendum. Quoad verò festa patronorum, perpetuò ad diem dominicam translata cum missa et officio, translata etiam censeatur solemnitas chori.* Et ita eadem S. R. C. decrevit die 18 Octobris 1818.

*In Aquilana.*

632. Canonicus Paschasius Melchiorri vices agens archipresbyteri proponit S. R. C. inter alia dubium sequens, scilicet

An parochi, in festis per indultum apostolicum 10 Aprilis 1818 suppressis quoad obligationem strictam audiendi missam, debeant nunc, ut ante eorum abrogationem applicare sacrificium pro populo, et 2.<sup>o</sup> etiam cantare missam conventualem sive parochialem. Resp. affirmativè ad utramque partem, quia satis declaratum est in præfato Brevi apostolico, nihil esse innovandum, quoad chorum relativè ad festa in quorum occursum sublatum est præceptum audiendi sacrum (1): quoad verò festa patronorum, cum ista reponenda sint

(1) Atque ita quoque declaratum fuit, teste Gardellino, à sacr. Congr. Concilii die 28 Martii 1801, in Camerinen. in qua propositis dubiis, videlicet 1. An diebus festis de præcepto à sanctæ mem. Pio VII suppressis, sit applicanda in futurum missa pro populo, etc.

2.<sup>o</sup> An sit consulendum SS. pro absolutione, quoad præteritum in casu, etc.? Responsum fuit ad 1 et 2 affirmativè.

in dominicum diem infra octavam, tamquam in diem propriam simul cum officio et missa, transferenda etiam est solemnitas, tum quoad forum, quàm quoad chorum. (1) Ita die 18 Octobris 1818.

(1) Nisi episcopus utens facultate sibi tributa in altero Brevi 15 Octobris ejusdem anni, ejusque servatâ formâ indulgeat, ut propriam sedem retinere valeant cum omnibus privilegiis, quibus patronorum festa distinguuntur. « Cum verò ( ait » *SS. Dominus*) iis nostris (11 April. 1818.) Litteris cautum » fuisset ut festa etiam patronorum principalium singularum » civitatum, oppidorum, et locorum transferri debeant cum » utroque præcepto in proximum diem dominicum, eoque » impedito, in diem dominicum proximè sequentem, pos- » tulationes complures ad Nos sunt perlatae, ut festa illa » statis, ut in præterito tempore, diebus celebrari possint, » quin memoratae translationi locus fiat. Quæ quidem preces » nedum vota populorum ostendunt, qui eos ipsos dies ma- » jori cæremonia ac religione colere cupiunt, quos majorem » pietas, vel à priscis temporibus ob ingentia in se col- » lata beneficia cœlitibus statoribus, sospitibusque suis de- » dicarunt, verùm ad eas etiam difficultates præcidendas » conferre dignoscuntur, quæ ex memorata translatione oriri » possent, præsertim si festa illa vel quadragesimæ vel ad- » ventûs tempore, aut anno exeunte occurrant. Quare hisce » supplicationibus inclinati indulgemus, ut utriusque Sici- » liæ Antistites, re priùs cum suis capitulis maturè per- » pensâ, collatisque cum iisdem consiliis, ritè ac rectè pos- » sint festa patronorum principalium cum utroque præcepto » ad præfinitos dies, ut antea per suarum diœcesium loca » retinere, quoties ita in Domino magis expedire consue- » verint, inspectis populorum, locorumque peculiaribus cir- » cumstantiis, ne præcipua, quæ ad indultum reductionis, » et translationis dierum festorum nos impulit causa, suble- » vandæ nimirum inopiæ, suo quandoque frustretur effectu » eâ lege, ut, quando res sit de patronis diœcesium, præ- » ceptum non protendatur ultra civitatem principalem, vel » ultra ea loca quæ, cùm peculiari patrono careant, festum » patroni diœceseos ex rubr. præscripto pari solemnitate » celebrare tenetur. Quoad verò diœceses vel loca, quæ » indulto translationis utuntur, si fortè dubia quæstiones- » que oriantur (quemadmodum jam ex delatis ad nos pre- » cibus orta esse comperimus) de octavis præsertim aliis-



*In Cajetana.*

633. Expositum fuit S. R. C. quòd fel. record. Pius VI indulserit, ut principalis patronus cujusque loci diœcesis celebrari debeat sub ritu dup. 1 classis in proprio loco cum octava, et sub ritu dup. 2 classis in reliquis locis diœcesis. Cùm autem in apostolico Brevi 10 Aprilis 1818 præcipiatur ut festa patronorum principalium in perpetuum transferantur ad proximam diem dominicam simul cum solemnitate, officio et missa, hinc exorta dubia sequentia, scilicet

1.º Utrùm in diebus respectivæ horum Sanctorum patronorum principalium festivitatis, qui infra hebdomadam cadunt, fieri possint officia et missæ eorum Sanctorum qui aliàs celebrari deberent diebus illis dominicis, quibus imposterùm substituenda erunt officia et missæ dictorum SS. patronorum, quia eorum translationi ultra illos dies dominicos locus non erit, præsertim in diœcesi Cajetana.

2.º An hujusmodi Sanctos non patronos, sed ritus dup. remitti permittatur diebus dominicis vacantibus præterquam in quadragesima et adventu? Et S. R. C. particularis deputata ad hoc declaravit ad 1 : *Translationem festorum patronorum principalium ad proximam dominicam faciendam esse dumtaxat in civitatibus, et locis in quibus tales reverà sunt : in aliis verò locis, in quibus ex speciali indulto gaudent ritu dup. 2 classis, sed qualitatem non habent proprii principalis patroni, ac propterea nec adjunctum præ-*

» que officiis concurrentibus, eadem à Cong. S. R. diligenti  
 » subjiciuntur examini, ut, pro casuum diversitate, Aposto-  
 » licâ auctoritate nostra opportunè consulatur. »

*ceptum, transferenda non sunt, sed retinere debent diem proprium. Cùm verò in qualibet civitate vel loco unus tantùm principalis patronus cum solemnitate, duplicique præcepto recolendus sit, difficile erit, quòd nulla supersit dies vacua pro reponendo festo occurrente in die dominica, ad quam transferendum erit festum patroni. Quod si casus accidat, festum, quod locum cedit, reducendum erit ad ritum simplicem per accidens. Ad 2 negativè. Et ita respondit S. R. C. die 18 Octobris 1818.*

654. Quamvis S. R. C. die 15 Mart. 1664 repronaverit morem, qui fortè alicubi obtinuerat, conficiendi *amictus, albas, tobaleas altarium, nec non corporalia, et pallas ex tela quadam composita ex lino et gossypio subtilissimo*, nihilominus novissimis temporibus adeò invaluit abusus, ut constanti Ecclesiæ disciplinâ posthabitâ, nonnullis in ecclesiis non alia adhibeantur suppellectilia vel ad sacrificandum, vel ad altarium usum, nisi ex simplici gossypio confecta. Ad hanc corruptelam, quam benè multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam, studia converterunt E.<sup>mi</sup> ac R.<sup>mi</sup> Domini Card. sacris tuendis ritibus præpositi: solliciti idcirco, ut quousque ab Ecclesiæ primordiis quoad sacra indumenta et suppellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omninò servetur; declarârunt et decreverunt ab antiquo more sub quolibet prætextu, colore ac titulo non esse recedendum, et eadem sacra indumenta ac suppellectilia conficienda esse ex lino, aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore, ac tenacitate linum aut cannabem æmulante, et æquante,

aliquâ tamen indulgentiâ utentes, permiserunt, ut amictus, albæ, tobaleæ, mappulæ, si quæ ex gossypio habentur, adhiberi interea possint, usque dum consumentur: sed cùm hujusmodi suppellectilia renovanda erunt, nè ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, præceperunt; distinctè verò jusserunt, ut corporalia, pallæ, ac purificatoria, post lapsum unius mensis à præsentis decreti publicatione, linea omninò sint, vel ex cannabe, interdicto, et vetito aliorum usu, quæ ex gossypio supererunt. Ita declaraverunt, ac ubique locorum, si SS. Domino placuerit, servari mandarunt die 15 Maji 1819. *Factâ autem per me (S. R. C.) secretarium SS. Domino nostro relatione. Sanctitas sua decretum S. Cong. approbavit, confirmavit, typisque editum publicari præcepit; ac præterea jussit, ut locorum ordinarii ejusdem observantiæ sedulò incumbant die 18 ejusdem mensis et anni.*

655. Cùm in ecclesia cathedrali Senogallien. ad altiorem formam redacta, superiorem lapidem, altaris ejusdem mensam efformantem à suo stipite amovere necessariò oportuerit, constetque, altare illud ad modum *fixi* fuisse consecratum cum sigillis, atque unctionibus mensam inter et stipitem; hinc cùm sint diversa canonicorum studia quoad necessitatem illud iterùm consecrandi, eapropter à S. R. C. petitum fuit utrùm amotâ mensâ ab altari ad modum *fixi*, et non portatilis consecrati, necessariò novâ indigeat consecratione?

Et Sac. eadem Congr. *In casu, de quo agitur, altare denuò consecrandum decrevit die 15 Maji 1819.*

656. De tempore, cujus initii memoria non ex-

tat, capitulum collegiatæ Aquævivæ in districtu diœcesi Raven. legatum habet ex traditione cum adjuncto onere sacerdoti conventualem missam celebraturo, recitandi passionem D. N. J. C. secundùm Joannem singulis diebus à die festo Resurrectionis Domini, usque ad festum S. Lucæ evangelistæ. Dum autem id constanti traditione fertur, foundationis documenta omninò deficiunt, et ritus istiusmodi nedum ecclesiasticæ liturgiæ incongruus, sed etiam capitulo nimis gravis videtur; supplices ideò capitulum et canonici SS. Domino nostro Pio Papæ VII. Pont. Max. dederunt preces, postulantes dicti oneris absolutionem seu dispositionem : et

« Sanctitas sua, attentis expositis, aliisque peculiaribus circumstantiis, meque S. R. C. secretario referente, capituli oratoris precibus ita annuendum esse censuit, ut singulis feriis VI., conventuali missâ absolutâ, celebrans sacris vestibus in sacristia depositis, ac superpelliceo tantùm indutus, legat D. N. J. C. passionem secundum Joannem in adimplementum dicti oneris, quæcumque fuerit ejus origo, exceptas tamen ab hac lege voluit ferias sextas occurrentes infra octavas privilegiatas, vel in quibus fiat officium de festo dup. 1 vel 2 classis, et quandoque de vigilia Nativitatis D. N. J. C. in quibus pro oneris implemento sat erit specialis in memento mortuorum commemoratio pro fundatore et fundatoribus. Quòd si in fundatione habeantur clausulæ, et conditiones quæ derogatione et dispositione indigeant, iisdem per præsentem commutationis formam derogavit, ac dispensavit quibuscumque

» in contrarium facientibus minimè obstantibus. »  
Die 11 Julii 1820. Vide suprâ N. 155.

637. Canonicus pœnitentiarius cathedralis *Calceatensis* in Hispania S. R. C. seq. dubium proposuit definiendum atque enodandum: Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum, stolâ violaceâ indutus, domi baptizavit, eique sacrum chrisma et oleum sacrum, quod secum detulit, imposuit, prout in rituali Romano. Quæritur an benè, vel an malè se gesserit in casu unctionis extra ecclesiam?

Et sacra R. Cong., exquisitâ priùs, habitâque sententiâ alterius ex apost. cæremoniæ magistris scripto panditâ, typisque vulgatâ, ad relationem E.<sup>mi</sup> ac R.<sup>mi</sup> domini Card. Julii Mariæ de Somalia, S. R. Congregationis præfecti, respondendum censuit. *Juxta votum, nimirum, parochum malè se gessisse, baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra ecclesiam, oleo etiam catechumenorum. In casum enim necessitatis juxta Ritualis (Rom.) præscriptum, omnia sunt omittenda quæ baptismum præcedunt, quæque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam præsentandus est puer cùm convalescit.* Et ita respondit die 23 Sept. 1820.

638. Quum cæremoniale episcoporum, auctoresque omnes, *liturgici* illius dispositionem apprime sequentes, præsertim lib. 2 cap. 53 N. 22. ritus edoceant, initio, progressu, et in fine processions solemnibus SS. Corporis Christi servandos; quumque inter cætera S. R. C. ejusdem Cæremonialis dispositioni inhærens, regulam edixerit 11 Maii 1652, elargiendi semel tantum populo benedictionem in fine processions Corporis Christi,

hanc eandem regulam in ordine divini officii pro cathedrali et diœcesi Volaterana illius R.<sup>mus</sup> Antistes pro exacta liturgicarum rerum observantia inserendam et cudendam jussit : verumtamen cùm contraria vigeat ea in civitate et diœcesi perantiqua consuetudo, ut quoties ecclesiæ, sive altaria occurrunt per viam, toties ibidem et supplicatio sistat, et populus, impertita benedictione, dimitatur, hinc S. R. Congregationem supplex adiit, postulans : an potiùs prædictæ S. R. C. decreto, quàm consuetudine sit in posterùm inserviendum ?

Eadem S. Cong., exquisitâ prius alterius ex apost. Cæremoniarum magistris in scriptis sententiâ, typis quoque juris publici redditâ, ad relationem E.<sup>mi</sup> ac R.<sup>mi</sup> domini Card. Julii Mariæ de Somalia sac. collegii decani et eidem Congregationi præfecti, loco E.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> domini Card. Cacciapiatti absentis, respondendum censuit : *Juxta votum, nimirum, non obstante decreto inserto in ordine divini officii recitandi, vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo ut saltem servetur regula cæremonialis, quòd non toties pausatio fiat, et benedictio elargiatur, quoties altaria occurrunt, sed semel vel iterùm, et altaria per viam extracta, sint decenter ornata, et à probo cæremoniarum perito priùs auctoritate episcopi visitata, atque ita respondit die 25 Sept. 1820.*

659. Vicarius capitularis diœcesis Carpensis provinciæ Mutinen. SS. Domino exposuit, quòd copiæ militares multas profanassent ecclesias, etiam introductis in eas equis, fractis altaribus variisque patris excessibus, humillimè implorans necessariam et opportunam instructionem et

facultatem, in ordine ad hujusmodi ecclesias reconciliandas, etc. Responsum obtinuit et facultatem ex voto, ut sequitur ex audientia SS. 3 Mart. 1821.

« SS.<sup>mus</sup> vicario capitulari oratori facultatem  
 » concedit, sivè per se sivè per alios sacerdotes  
 » ab ipso specialiter deputandos, reconciliandi  
 » ecclesias consecratas de quibus in precibus,  
 » servato ritu à pontificali Romano præscripto,  
 » adhibitâque aquâ per catholicum episcopum  
 » benedictâ. Ecclesiæ autem simpliciter benedi-  
 » ctæ ab eodem vicario vel sacerdotibus per eum  
 » designandis reconciliari poterunt juxta formam  
 » à rituali Romano traditam. Quo vero ad altaria  
 » cum integra lapidea mensa, quoties fractura  
 » sit enormis, mensa omninò renovanda, et ab  
 » episcopo consecranda erit; secùs licebit super  
 » iis celebrare non obstante levi fracturâ in uno  
 » vel altero cornu. Reliqua autem altaria, sacrato  
 » lapide instructa si lapis iste integer sit, violata  
 » minimè censenda sunt ac ad sacra mysteria  
 » peragenda apta erunt. Cæterum vicarius orator  
 » in ecclesiarum reconciliatione exequenda pru-  
 » denter se gerat, eandemque privatè, et abs-  
 » que populi concursu fieri curet. (Vide suprâ  
 » N. 361.) (1).

(1) Alexander III. Cap. *Quod in dubiis de consecrat. Ecclesie vel altaris iterùm consecrari jubet altare cujus mensa semota fuerit vel enormiter fracta.* Idem Pont. consultus ab archiepiscopo et capitulo Bisuntino respondendum duxit, quòd cùm altaris tabula mota, vel enormiter læsa non fuerit, ob casum prædictum nec ecclesia nec altare debent denuò consecrari. Videtur autem enormis fractura, si tabula fuerit in duas, vel in plures partes divisa, ac proindè continuationem, integritatem, et substantialem unitatem amit-

640. S. R. C. reformans decr. 3. Maji 1761, per generale decr. diei 20 Decembris 1783 à fel. record. Pio Papâ VI. approbatum sancivit et declaravit missam propriam pro sponso et sponsa celebrari posse etiam in festo dup. sive min. sive maj. per annum, non tamen in festis 1.æ et 2.æ classis, nec in diebus dom. aliisque festis de præcepto *suprà* N. 556. Insuper simili generali decreto diei 28 Feb. 1818 à Sanctitate sua approbato die 3 Martii ejusdem anni declaravit, *missam pro sponso et sponsa* (dum servatâ formâ præcitati decreti 1783 celebrari licet,) *esse votivam privatam* (pro uno privatorum hominum nubentium bono) *proindeque semper celebrandam sine hymno angelico et symbolo cum tribus orationibus, 1.ª videlicet ejusdem missæ votivæ propriæ, ut habetur in fine missalis, 2.ª et 3.ª diei currentis, ut in rub. tit. VII, n. 3, de comm. et de orationibus tit. IX, n. 14, (1) benedicamus Domino in fine, et ult. evang. S. Joann.* Nonnullis autem nihilominus opinantibus, jam dictam propriam pro sponso et sponsa missam etiam dici posse, diebus qui duplicia per annum excludunt, præsertim verò infra octavam Epiphaniæ, vig. Pent. etc., dubiaque etiam moventibus quoad comm. nuptiarum in festis 1.æ et tit, uti si divisa per fracturam aliqua sit ex illis partibus in quibus peculiare unctiones fuerant adhibitæ, subtiles candelæ accensæ, thus crematum, sique pars fracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab episcopo benedictam in altaris consecratione specialiter benedictis. Ita Gardellinus.

(1) Scilicet 2 et 3 diei, dum dicitur in festo semidup., aut inferioris ritus; dum verò in festo duplici, per se 3. am orationem non habenti, in quo celebratur dicta missa *votiva privata* ex privilegio Apostolico, oratio 3.ª dicitur, prout in festo simplici vel semidup. temporis; ritus enim officii diei non immutat naturam *Missæ votivæ privatæ*.



2.æ classis. S. R. C. respondit 20 Aprilis 1822, missam votivam pro sponso et sponsa dici non posse diebus festa duplicia omninò excludentibus, adeòque nec infra oct. Epiph. et cujusvis alterius octavæ similiter privilegiatæ adinstar illius Epiph. omnia festa dup. (præter illa 1.æ class.) occurrentia rejicientis; insuper declarans, quòd si diebus, ut suprà exceptis, benedicendæ sint nuptiæ, (quod fieri nequit si mulier sit vidua suprà N. 498.) dicendam tum esse missam de die cum comm. nuptiarum sub distincta conclusione etiam in festis 1.æ et 2.æ class. idque 1.º loco post alias comm. à rubrica præscriptas, si quædam occurrant.

641. Removendus est per ordinarium loci, abusus collocandi parvam crucem vix visibilem vel supra tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco crucis collocandæ inter candelabra, ut præscribit rubrica; quòd si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux sita inter candelabra, alia tempore sacrificii aptè apponatur inferiùs, sed visibilis tam celebranti quàm populo. Ita SS. Domino approbante statuerunt *E. mi Patres* et observari mandaverunt die 17 Sept. 1822. Vide in app. ad tom. II, n. IV, Praxis celebrandi missam parte 3.

642. Casu quo dominica Palmarum celebranda erit oratio 40 horarum seu oratio perpetua SS. Sacramenti, et fieri debet benedictio Palmarum, hæc facienda erit in alio sacello (seu altari) laterali, quo magis fert ecclesiæ structura, distante ab ara maxima, in qua SS. Sacramentum expositum est, servatis omnibus cæremoniis in missali præscriptis, sed absque processione. Ita SS. Do-

mino approbante statuerunt et observari præceperunt E.<sup>mi</sup> Patres die 17 Sept. 1822.

Juxta D. Aloysium Gardellini ad præsens decretum eadem regula servanda erit in die Purificat. B. M. V., et feria IV cinerum si occurrant cum supradictis precibus 40 horarum, vel oratione continua SS. Sacramenti In ecclesiis autem, ubi tantum habetur unicum altare, si agatur de expositione non præcepta ab ordinario, reponi potest venerabile Sacramentum in tabernaculo, vel competenti velo occultari, quo casu nihil impedit quominus etiam instituatur processio.

643. Episcopus Oritanus exposuit nuper S. R. C., à dignitatibus et canonicis cathedralis induci cœptum abusum, in missis privatis adhibendi duos ministros, quatuor candelas accensas. Sacra verò Congr. die 9 Julii 1659, *Abusus suis initiis dirimere intenta ne serpent ulterius, minimè licere* respondit.

644. Prædicti canonici n. præcedenti in missis privatis quoad indumenta, cæremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis elargitionem, à simplici sacerdote non discrepent, ac proindè sacras vestes induant in sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrare non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant. Decretum Alexandri VII die 27 Sept. 1659 circa usum pontificalium, prælatis episcopo inferioribus à S. sede concessorum.

645. In quadam Cathedrali tempore divini officii exponitur lignum S. Crucis tam in festo inventionis, quàm in altero exaltationis; in priori festo canonicus celebrans cum illo benedictionem populo

impertit antequam reponatur. In secundo verò, beneficiato celebrante, sine ulla benedictione transfertur ad sacristiam. An hæc distinctio attendenda est, vel potius populus benedicendus etiam in festo exaltationis. S. R. C. *negativè quoad primam partem; affirmativè quoad secundam.* Et ita declaravit die 31 Maji 1817, SS. approbante die 4 Junii 1817. (Vide suprà N. 418.)

DECRET. SAC. CONG. INDULGENTIARUM.

646. « Cùm ex veteri more, et laudabili Ecclesiæ  
 » instituto die 2 Novemb. omnium Sanctorum  
 » memoria recolitur, eorumque animæ ab universis  
 » Christi fidelibus, orationibus, eleëmosynis,  
 » aliisque piis operibus, et Ecclesiæ suffragiis,  
 » potissimum verò acceptabili sacrosanctæ missæ  
 » sacrificio juvari soleant, SS. Dominus noster  
 » Clemens Papa XIII, ex paterna sua charitate  
 » erga omnes fideles, tam vivos quàm defunctos,  
 » animabus eorum, qui ex hac mortali vita in  
 » gratia et charitate Dei, nondum tamen omni-  
 » bus mundanis sordibus expiatis, decesserunt,  
 » de inexhausto catholicæ Ecclesiæ thesauro abun-  
 » dantiùs suffragari quàm maximè cupiens, ut  
 » celerius è purgatorii pœnis liberatæ ad æternam  
 » gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant,  
 » de consilio venerabilium. sac. Rom. Ecclesiæ  
 » cardinalium, indulgentiis, sacrisque reliquiis  
 » præpositorum, universali decreto perpetuis fu-  
 » turis temporibus valituro benignè concedit, ut  
 » missa die prædictâ commemorationis defuncto-  
 » rum à quocumque sacerdote sæculari, vel cu-  
 » juslibet ordinis et instituti regularis, celebranda

» gaudeat privilegio, ac si esset in altari pri-  
 » vilegiato celebrata, decernendo tamen, ut non  
 » nisi consuetam eleëmosynam unusquisque sacer-  
 » dos pro dicta missa, licèt privilegiata accipiat,  
 » et in ea tantùm quantitate, quæ synodalibus  
 » constitutionibus, seu à loci consuetudine regu-  
 » lariter præfinita fuerit, quibuscumque in con-  
 » trarium facientibus non obstantibus. Datum die  
 » 19 Maii 1761, signat. N. Card. Antonellus præfe-  
 » ctus, et J. de Comitibus sac. Cong. indulgent.  
 » secret.

647. Cùm à commorantibus in Belgio theologis infrascripta dubia sac. Cong. indulgentiarum proposita fuerint definienda, videlicet, primò : An, cùm dominicâ secundâ post Epiphaniam officium SS. Nominis Jesu, et dominicâ infra octavam Nativitatis B. M. V. officium SS. Nominis Mariæ est transferendum, missæ solemnæ, quæ tunc istis diebus cantatur (aut celebratur de dominica vel festo altiori occurrente, adnexa sit indulgentia plenaria à fel. record. Innocentio XIII concessa illis, qui consistentes intrâ status hereditarios Caroli VI imperatoris interfuerint; et quatenùs *negativè*; *secundò*. An tunc, et eo casu, ut Christi fideles eam indulgentiam valeant adipisci, cantari (aut celebrari) debeat missa votiva solemnæ de SS. nomine Jesu vel Mariæ respectivè? Eadem S. Cong. habita in palatio apostolico Quirinali feria 2.<sup>a</sup> die 8 Februarii currentis anni 1762 supradictis dubiis ritè examinatis rescribendum esse censuit : Ad 1 *affirmativè*. Ad 2 *provisum in primo*. De quibus factâ per me infrascriptum relatione SS. Domino nostro Clementi Papæ XIII in audientia habita sub eadem die 8 Februarii, San-

Tom. V. 20

ctitas sua decretum à S. Cong. benignè approbavit atque ita perpetuis futuris temporibus indultum fel. record. Innocentii XIII intelligendum esse, ac in praxi exequendum declaravit, atque mandavit. Datum ex secretaria sac. Cong. indulgentiarum die 1 Martii 1762. Signat. *N. Card. Antonellus præfectus et J. de Comitibus S. C. indulgentiarum secret.*

648. Cùm sacra Congregatio indulgentiis et sacris reliquiis præposita die 31 mensis Martii 1759 fuerit in voto confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur, pro indulgentiæ consecutione peragi omninò debere, etiam ab his qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, nec non præfatam confessionem suffragari etiam posse, si in vigilia festivitatis expleatur, *quod autem ad ecclesiæ visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum.* Quæ in originali etiam addita reperiuntur hìc omissa, votumque Cong. SS. D. noster Clem. Papa XIII. benignè approbaverit, illudque typis publicari sub datum 19 Maii prædicti anni mandaverit: quamplures supplices libelli tum regularium communitatum, et præsertim monialium, tum etiam parochorum et nonnullorum episcoporum pro suis diocesisibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas quæ interdum, imò persæpè incidit pro sacramentali confessione, sive in festo vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem ut adeò proficuus indulgentiarum thesaurus reddatur fidelibus accommodè comparandus, enixis precibus supplicabant *Sanctitati suæ*, ut opportunè aliquo remedio de apostolica benignitate providere dignaretur, quibus precibus ad prædictum Sac. Cong. remissis, propositum in

ea fuit dubium. An et quomodò sit consulendum SS. Domino super præfati decreti executione, vel declaratione in casu, etc. Responsum fuit « con-  
 » sulendum SS. Domino nostro ut concedere  
 » dignetur indultum omnibus Christi fidelibus,  
 » qui frequenti peccatorum confessione animam  
 » studentes expiare, semel saltem in hebdomada  
 » ad sacramentum pœnitentiæ accedere nisi legi-  
 » timè impediuntur, consueverunt, et nullius  
 » lethalis culpæ à se, post peractam ultimam  
 » confessionem commissæ sibi consci sunt, ut  
 » omnes, et quascumque indulgentias consequi  
 » possint, etiam sine actuali confessione, quæ  
 » cæteròquin juxta decreti definitionem ad eas  
 » lucrandas necessaria esset »; nihil tamen inno-  
 vando circa indulgentias Jubilæi, tam ordinarii  
 quàm extraordinarii, aliasque adinstar jubilæi  
 concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia  
 opera injuncta, ita et sacramentalis confessio  
 tempore in earum confessione præscripto, per-  
 agantur. Et factâ per me infrascriptum ejusdem  
 sacræ Cong. Secretarium, de præmissis omnibus  
 SS. Domino nostro relatione, Sanctitas sua piis  
 bonorum desideriis ac votis satisfacere, et indul-  
 gentiarum gratias, iis potissimùm, qui piè san-  
 ctèque vivendo, donis divinæ misericordiæ dignio-  
 res efficiuntur, elargiri quàm maximè cupiens,  
 benignè annuit, et præfatum indultum in forma  
 suprascripta expediri et publicari mandavit, qui-  
 buscumque in contrarium non obstantibus. Da-  
 tum ex secretaria Sac. Cong. indulgentiarum die  
 9 Decemb. 1763, signat. N. card. Antonellus præ-  
 fectus, et J. de Comitibus Sac. Congreg. indul-  
 gentiarum secretarius.

649. Quamvis Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem usque ab anno 1676 interrogata, quæ essent indulgentiæ stationum, plenariæne an partiales, dierum vel annorum, decreverit indulgentias stationales simpliciter enunciandas esse, non addendo plenariæ illæ sint an partiales; attamen cùm eidem Sac. Congregationi postmodùm innotuerit, nonnullos etiam ecclesiasticos viros atque ecclesiarum rectores allato decreto minimè acquiescentes diversimodè interpretatos fuisse indulgentias stationales, quarum elenchi typis editi mirè inter se discrepantes in vulgus prodierunt; cùmque indè relatum fuerit, plurima originem duxisse inter fideles dissidia, abusus et scandala: Hinc ut ista penitè amoveantur, utque Christi fideles scire possunt, quid sibi indulgentiarum in hujusmodi stationibus obeundis concessum sit; Sacra eadem Congregatio habita in palatio Quirinali die 7 Julii 1777, re, prævio diligenti ac maturo examine, discussâ, fuit in voto *Consulendum Sanctissimo, prævia revocatione aliarum indulgentiarum, pro concessione indulgentiæ plenariæ in aliquibus festis solemnibus, partiales verò in reliquis, ad normam eorum quæ conceduntur in capellis pontificiis*: videlicet

In feria IV. Cinerum et dominica IV. indulgentia quindecim annorum, totidemque quadragenarum.

Dominicâ Palmarum, viginti quinque annorum, totidemque quadragenarum.

Feriâ V. in cœna Domini, plenaria.

Feriâ VI. in Parasceve et Sabbato sancto, triginta annorum, totidemque quadragenarum.

In reliquis tam dominicis quàm feriis, decem annorum, totidemque quadragenarum.

*In Paschate Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi.*

In dominica, indulgentia plenaria.

In duobus aliis diebus festis immediatè sequentibus, et per totam octavam usque ad dominicam in albis inclusivè, quotidie triginta annorum, totidemque quadragenarum.

*Die Ascensionis.*

Indulgentia plenaria.

*In Pentecoste.*

In sabbato ante dominicam, decem annorum, totidemque quadragenarum.

In dominica et aliis infra octavam diebus usque ad sabbatum inclusivè, quotidie indulgentia triginta annorum, totidemque quadragenarum.

*In dominicis Adventûs.*

In dominica I. II. et VI. indulgentia decem annorum, totidemque quadragenarum.

In Dominica III. quindecim annorum, totidemque quadragenarum.

*In Nativitate Domini nostri Jesu Christi.*

In vigilia, nocte, ac missa auroræ, indulgentia quindecim annorum, totidemque quadragenarum.

In die, indulgentia plenaria.

In subsequentibus tribus festis diebus, et



In Circumcisione, ac Epiphania Domini nec non  
In dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, et  
Quinquagesimæ, indulgentia triginta annorum, to-  
tidemque quadragenarum.

In tribus feriis quatuor temporum, decem anno-  
rum, totidemque quadragenarum.

In festo S. Marci evang., ac tribus feriis Rogatio-  
num, indulgentia triginta annorum, totidemque  
quadragenarum.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum  
ejusdem Sac. Congregationis secretarium relatione  
*sanctissimo Domino nostro* in Audientia die 9 Julii  
1777, *Sanctitas sua* ipsius Sacræ Congregationis  
votum benignè approbavit, illudque cum novo  
indulgentiarum stationalium præinserto elencho  
publicari mandavit; non obstantibus in contrarium  
facientibus quibuscumque.

Datum Romæ ex secretaria Sac. Congr. indulg.  
die et anno præfatæ audientiæ.

Loco ✕ Sigilli.

*L. Card. Callinus Præfectus.*  
*Julius Cæsar de Somalia S. C. Secr.*

Ita reperitur in Registro Authographo adservato  
in Secretaria S. Congr. indulgentiarum, cum quo  
præsens copia collata plenè, et ad verbum concor-  
dat, in quorum fidem, etc. Datum Romæ ex eadem  
Secretaria die 20 Julii 1825.

L. † S. Signat. A. Archiep. Traperunt.  
*S. C. indulgent. Secret.*

650. Sanctissimus Dominus Pius Papa VI die  
7 Febr. 1787 in perpetuum concessit indulgen-

tiam plen. omnibus et singulis Christi fidelibus, verè pœnit. et confess. ac sac. communione reffectis, qui Metropolitanam vel aliquam ex parochialibus ecclesiis civitatis et diœcesis Mechl. die festo solemnitatis SS. corporis Christi, à primis Vesp. singulis annis devotè visitaverint, et ibi ad consuetos Ecclesiæ fines piè oraverint. Monialibus verò perpetuam clausuram servantibus, nec non mulieribus et puellis cujuscumque ex monasteriis conservatoriis, seu Begginagiis in civitate et diœcesi hujusmodi existentibus, aliisque nunc et pro tempore degentibus, dictas ecclesias adire minimè valentibus, ne spiritualium gratiarum donis priventur, ut propriam monasterii seu conservatorii, vel Begginagii respectivè ecclesiam visitando, ibique, ut præfertur orando, eandem indulgentiam consequi valeant concessit,

Quoniam post nuperam diœcesium et *paræciarum* organisationem ex 10 aut 15 pristinis ecclesiis parochialibus, vix una sub stricto hoc titulo, jure novo, saltem civili, conservata fuerit, reliquis (antiquis nimirum parochialibus) nomine succursalium cum animarum cura, vel oratoriorum publicorum cum cura animarum nomine et titulo novis indigitari et vocari solitis; ac insuper plurima aliarum, uti Antverpiensis, Leodiensis, et Namurcensis diœcesim territoria partialiter incorporata nunc existant hodiernæ Mechl. diœcesi, pro quorum incorporatorum locorum ecclesiis parochialibus præmemorata indulgentia concessa non fuerat. Hinc S. V. demississimè supplicatur, ad fidelium religionem augendam, pro benigna confirmatione et extensione supradictæ indulgentiæ plenariæ (licèt ea pro perpetuis futuris temporibus

concessa fuerit, ut suprâ die 7 Febr. 1787), sic ut eam lucrari valeant singulis annis *die dominica, præfatum SS. Corporis festum immediatè subsequente, in quacumque civitatis et modernæ diœcesis dicta Mechl. parochiali, aut succursali, seu alia quacumque ecclesia publica animarum curam habente*, ab unoquoque fidelium; nec non ab omnibus monialibus, mulieribus et puellis in Begginagiorum, et monasteriorum (ubi ea extiterint) suis respectivè ecclesiis pariter ut suprâ.

N. B. Desideratur nova hæc concessio et indulgentiæ extensio *pro dominica infra octavam corporis Christi*, quatenus in diœcesi prædicta Mechl. de speciali apostolica auctoritate anno 1804 præmemor. & plen. indulgentia translata fuit (sine extensione ad incorporata nunc prædicta modernæ diœcesis loca) ab antedicto festo utpotè jam suppresso ad istam dominicam in qua solemnitas SS. Corporis colitur in populo; quam gratiam, etc.

Die 20 Aprilis 1812.

« De speciali Nobis subdelegata apostolica facultate pro expediendis negotiis ad S. C. indulgent. spectantibus, prædictam gratiam in omnibus confirmamus, *servato* in reliquis tenore primæ assertæ concessionis ex secretaria ejusdem sac. Cong. indulgent.

L. ✕ S. Signat. PETRUS MACCARANI *Secret.*

Die 20 Aprilis 1812.

« De speciali Nobis subdelegata apostolica facultate pro expediendis negotiis ad sac. Cong. indulgent. spectantibus, extensione petitæ an-

» nuimus in omnibus juxta preces, non obstanti-  
 » bus quibuscumque in contrarium. Datum Romæ  
 » ex secretaria ejusdem sac. Cong. indulgent. »

L. ✠ S. Signat PETRUS MACCARANI *Secr.*

Concordantiam cum originali attestor. In Cor-  
 tenbergh hâc 4 Junii 1830. J. M. Gaethoffs proto-  
 not. apostolicus.

651. Additionis Nominis S. Josephi Sponsi B.  
 M. V. in canone missæ, instantibus pluribus ejus-  
 dem Sancti devotis S. R. C. ad relationem E.<sup>mi</sup>  
 ac R.<sup>mi</sup> domini Card. Julii Mariæ de Somalia præ-  
 fecti et ponentis respondit *negativè quoad additio-  
 nem Nominis S. Josephi Sponsi B. M. V. in canone.*  
*Consulendum SS. pro additione permissiva nominis*  
*in collecta à Cunctis. die 16 Sept. 1815.* Factâ per  
 me (scilicet Card. S. R. C. præfectum) relatione  
 ad Sanctitatem Suam, eadem benignè annuit die  
 17 Sept. 1815.

652. In Sacra Cong. indulgentiarum habita in  
 palatio apostolico Quirinali die 16 Febr. 1759.  
 proposito dubio *An translata sodalitate intelligantur*  
*etiam translatae indulgentiæ ?* eadem Sac. Cong.  
 respondit : *affirmativè.* In quorum fidem, etc.  
 Datum Romæ ex Secretaria ejusdem Sac. Cong.  
 indulgentiarum die 18 Decemb. 1821. Signat.  
 Angelus Costaguti Secretarius.

653. Cùm non pauci ad hanc Sac. Cong., indul-  
 gentiis sacrisque reliquiis præpositam supplices  
 libelli porrecti fuerint, præsertim è Gallia, ob  
 confessariorum inopiam, pro obtinenda facultate,  
 sacramentalem confessionem peragendi per plures  
 dies ante Eucharisticam communionem ad indul-  
 gentias acquirendas præscriptam; nec non ut ex-  
 plicetur, an ad eas lucrandas liceat sacrâ synaxi

refici in pervigilio diei festi, pro quo declarantur concessæ. « Eadem S. Cong. habita in palatio Quirinali die 15 Aprilis proximè præteriti, » auditis consultorum votis, omnibusque maturè » expensis, censuit *licere ad præfatum effectum* » *Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis*: quo » verò ad petitam explicationem respondendum » censuit firmo manente decreto 9 Decemb. 1765. » pro iis fidelibus, qui ad confessionem saltem » in hebdomada accedunt. Pro cæteris autem fidelibus, in locis, in quibus ob inopiam confessoriorum nequeunt fideles frequenter confessione » sacramentali expiari, postulantibus communicetur dictum decretum, et facto verbo cum » SS. extendatur ad omnes utriusque sexûs Christi fideles; undè confessio paracta infra hebdomadam ante festivitatem, suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodò nullius lethalis culpæ post peractam confessionem commissæ (sibi) conscii sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam Jubilæi concessas, ut in citato decreto 9 Decembris 1765.

» Factoque verbo cum Sanctissimo in audientia » habita per me infrascriptum Secretarium die » 11 Junii 1822, Sanctitas sua Sacræ Cong. votum » benignè approbavit, ac publicari mandavit. Datum Romæ ex Secretaria ejusdem Sac. Cong. » indulgentiarum die 12 Junii 1822. »

654. « Sacra Cong. indulgentiis sacrisque reliquiis præposita die 2 Julii 1669 declaravit, celebrationem missarum Sanctorum ritûs duplicis » reverà suffragari pro missis privilegiato altari » addictis, quod postea etiam declaratum fuit à

» Sacra Rituum Cong. die 5 April 1687 ; nec non  
 » confirmatum à ven. Innocentio XI pro domi-  
 » nicis , aliisque diebus privilegiatis in quibus  
 » defunctorum missæ celebrari vetitum est. Deindè  
 » eadem S. C. die 20 Julii 1751 declaravit , quòd  
 » missæ quæ celebrantur tempore officii genera-  
 » lis pro defunctis , vel in festis Sanctorum ritùs  
 » duplicis , vel in dominicis tunc occurrentibus  
 » gaudeant privilegio ; et non obstante clausulâ  
 » *quandocumque sacerdos aliquis missam defuncto-*  
 » *rum die... celebraverit , etc.* in concessionibus for-  
 » tassè appositâ , Clemens XIV. Sanctæ memo-  
 » riæ ex audientia die 7 mensis Martii anno 1774  
 » declaravit *Constare de privilegio ad formam reso-*  
 » *lutionum Sacræ Cong. indulgentiarum. In quorum*  
 » *fidem , etc.* » Datum Romæ ex Secretaria ejus-  
 » dem Sacræ Cong. indulgentiarum , die 19 Maii  
 1828. Signat. A. Archiep.

*Traperunt , S. C. indulg. Secretarius.*

655. Præpositus cujusdam ecclesiæ Taggen. S.  
 R. C. supplicavit , inter alia pro declaratione se-  
 quentium dubiorum , videlicet dub. 5 , etc.

Dub. 5. « An in anniversario ordinato à testatore,  
 » stante consuetudine , possit recitari officium de-  
 » functorum cum invitatorio et uno tantùm no-  
 » cturno , repetitis antiphonis ad nocturnum , et  
 » laudes , an verò recitandi sint omnes tres no-  
 » cturni juxta rubricam dicti officii ?

Dub. 6. « An in 3.<sup>a</sup> dominica mensis , in qua  
 » juxta statuta et consuetudinem societatis cor-  
 » poris Christi sit processio , cantata missa so-  
 » lemni de dominica cum commemoratione SS.  
 » Sacramenti , celebrans ac ministri debeant uti  
 » paramentis coloris dictæ missæ convenientis ,

- » non obstante, quòd sit violaceus, ut in 40<sup>ma</sup>
- » et adventu et solùm uti velo supra humeros
- » albo? an verò post missam exui violaceo, et
- » albi coloris Sacramento convenientis indui, et
- » ita in albis processionem facere?

Dub. 7. « An pallium altaris debet esse coloris  
 » officio, aut missæ convenientis, dum exposi-  
 » tum est SS. Sacramentum? an verò tam pallium,  
 » quàm conopeum debeat esse albi coloris, non  
 » obstante, quòd illa die ecclesia utatur alio colore?

Dub. 8. « Et quid si pallium sit nigrum ob com-  
 » memoracionem defunctorum, aut Anniversarium  
 » generale solemne?

Dub. 9. « Cujus coloris erant paramenta cele-  
 » brantis, et ministrorum, si nigrum; aut viola-  
 » ceum debeat esse pallium quando illud expo-  
 » nunt, aut reponunt?

Eadem S. R. C. respondit ad 5. *Servandas esse rubricas ritualis, et breviarii. Ad 6. Quando in casu proposito cantatur missa (vide 661.) de dominica cum commemoratione SS. Sacramenti, celebrantem, et ministros uti debere paramentis dictæ missæ coloris convenientis, et etiam posse in processione, sed albo utendum super humeros velo.*

Ad 7, 8 et 9. *Post expositum Sacramentum pallium et conopeum coloris albi esse debere, et nunquam nigro colore utendum in expositione et processione SS. Sacramenti. Et ita declaravit die 9 Julii 1678.*

656. S. R. C., auditâ relatione R.<sup>mi</sup> Episcopi Mutinensis, respondit *in actu benedictionis cum SS. Sacramento populo elargiendæ, quando illud exponitur in ecclesiis civitatis Mutinensis in suffragium fidelium defunctorum, utantur stola et pluviali coloris albi, et non nigri. Et ita declaravit et servari mandavit die 7 Junii 1681.*

657. Color niger nullo modo adhibendus est in expositionibus et processionibus, quæ fiunt cum SS. Sacramento, tam in vexillis et in missa, quàm in altaris et sacelli apparatu. S. R. C. die 10 Februarii 1685 in una Antv.

658. Sacra Rit. Congr. ad preces capituli et canonicorum cathedralis Collen. declaravit sub dubio 1, recitationem officii B. M. V. de Monte Carmelo non posse (etsi pluribus in locis fiat) transferri in dominicam post diem 16 Julii (1) ut suprâ N. 593. die 5 Julii 1698 et insuper ad sequentia dubia, scilicet :

Dub. 4. An in absolutionibus in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, sit dicenda tota conclusio in oratione? (2).

Dub. 15. An, quando ab aliqua congregatione dicitur totum officium defunctorum, dici debeat, ut 2 die novembris, omittendo psalmos post vesperras, et matutinum positos?

Respondit eadem S. R. C. die 5 Julii 1698. ad 4 *negative*; ad 15 *negative*.

(1) Reprobatus hic abusus videtur vix locum habuisse, nisi in quibusdam forsitan ecclesiis, in quibus canonicè erecta existit Sacri Scapularis, sive B. M. V. de Monte Carmelo, confraternitas, cujus consodales lucrari possunt indulgentiam plenariam à Paulo V indultam in ipso principali ejusdem sodalitatis festo (die 16 Julii), vel die dominica immediatè sequenti, juxta approbatum nonnullorum locorum ritum, et legitimè introductam consuetudinem celebrari solito; cujusmodi S. R. C., pro particularibus casibus suppliciter rogata ad hoc, faciliè opportunum remedium adferre solet, sive pro desiderata officii supradicti, sive potius pro facultate, missam solemnem, in dominica præfata infra octavam, ut in ipso festo, more votivo celebrandi.

(2) Vide quoque dispositionem decreti S. R. C. 2. decembris 1784. N. 214 suprâ.



659. Versus qui dicuntur (flexis genibus) post psalmum in vesp. et laud. officii defunctorum, si pro uno fiat officium, dicuntur in numero singulari, sicut et oratio sequens, reliqua in toto officio non mutantur, undè etiam versus, qui dicuntur post orationem, semper dicuntur in plurali. Gavantus sect. 9. cap. 2. Similiter in missa de *requiem* omnia dicuntur in plurali, sive pro uno, sive pro pluribus ex stricta intentione celebretur, exceptis orationibus, quarum plures pro uno solo dici possunt.

660. Quando vespere defunctorum et matutinum dicuntur separatim ab Horis canonicis sive in choro sive extra chorum, præmittenda videtur secretò oratio dominica; prout observat Capella Papalis in festo omnium Sanctorum, in quo omissis secundis vespere de festo, ne vespere defunct. inchoentur ex abrupto, recitatur priùs oratio dominica quæ item repetitur ante matutinum... Quòd si aliquando dividatur matutinum à laudibus, eo casu in fine matutini dicuntur preces sine psalmo cum oratione, seu orationibus ut congruo fine terminetur. Vespere autem dicendæ non sunt ante matutinum, quod præsentè corpore manè cantatur ante missam, cùm eæ sint primæ vespere, et tamen manè non est vespere tempus, quare omittebdæ sunt, quæ pridie matutini officii recitari nequeunt, scilicet post vespere festi etiam duplicis. Ita Gavantus ut suprâ. (1)

(1) Vespere defunctorum pro prima die mensis dicuntur post vespere etiam dominicæ, vel festi de præcepto si accidat. S. R. C. 23 Maji 1605.

*In una Ulixbonen.*

661. Ex parte confraternitatis clericorum sacerdotum S. R. C. pro declaratione, inter alia infra-scripti dubii 5.

3. An officia pro animabus confratrum extra diem obitûs, seu depositionis, tertium, septimum, et trigesimum cum castro doloris, et concursu sacerdotum officiata habere debeant ritum dup. vel semidup. cum psalmo, et tribus orationibus?

4. An in diebus infra octavam corporis Christi duplicia non excludentibus cantari possit missa de requiem de die obitûs tertio, septimo et trigesimo, ac anniversario in dicto octavario incidentibus?

5. An ad verba invitatorii *Venite adoremus, et procidamus ante Deum* etc. ad verba symboli *Credo et incarnatus est*, et alia similia genuflectionem requirunt, sit genuflectendum etiam à cantoribus ad ambonem, aut chorum regentibus, dum ea proferruntur actualiter, et alii genuflectunt, vel post finitum versum, qui ab ipsis cantatur, et aliorum tunc actu non cantantium levationem?

Et S. eadem R. C. exquisito priùs voto cæremoniæ Magistri respondendum censuit. Ad 3. *Serventur rubricæ ritualis Romani, et duplicatio antiphonarum præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum; et diem depositionis defuncti fiat in diebus tertio, septimo, trigesimo, et anniversario tantum.* Ad 4 *Negative, et serventur decreta vulgata in Nuscana 12 Septembris*

1671. (1), et in Callen. 5 Julii 1698. (2) Ad 5. *Serventur rubricæ missalis, breviarii, et ceremonialis episcoporum, sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, hæc fiat dum verba, quæ cantantur, genuflexionem exquirant. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum.* Et ita declaravit ac servari mandavit die 8 Martii 1758.

662. Promotor fiscalis curiæ episcopalis Montis Politiani exponit, in illa cathedrali vigere consuetudinem quodcumque cantentur vespere feriales diebus quadragesimæ, Adventûs et jejuniorum canendi, etiam preces, quæ flexis genibus persolvuntur altâ voce cum desinentia ad unumquemque versiculum, prout in festo simplici in commemorationibus communibus, et antiphonas B. M. V., scilicet à *Fa* ad *Re*, exceptâ oratione dominicâ, quæ non canitur, sed altâ voce recitatur usque ad vers. *et ne nos inducas*, etc., qui pariter canitur cum supradicta desinentia. Ita psalmus *Miserere* non cantatur, sed recitatur altâ voce, et in eodem tono, sicut cæteri versiculi; humilimè quærit: An ista consuetudo servanda sit? et quatenûs, quo modo, et formâ dicendæ sint? S. R. C. supradictæ instantiæ Promotoris Fiscalis curiæ episcopalis Montis Politiani, audito priùs

(1) Ubi dubium 2. An liceat decantare anniversaria infra octavam SS. corporis Christi, sicut servatur in festis duplicibus, non obstante prohibitione circa missas de requiem. Respondit S. R. C., non esse facienda anniversaria et missæ de requiem infra dictam octavam *nisi præsentem corpore*.

(2) Ubi dub. 9. An infra octavas privilegiatas possit cantari missa defunctorum in anniversario et officio solemni? Respondit S. R. C. *Negative*.

voto Apostolicarum cæremoniarum Magistri respondit : *non esse attendendam assertam consuetudinem concinendi preces seriales ad vespervas , et ad laudes in diebus jejuniorum per depressiones vocis à Fa ad Re , sed utendum tono ac voce uniformi per simplicem Fa* : Et ita declaravit, etc. Die 9 Maii 1759.

663. R. D. Oddo Procurator Generalis Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronæ pro declaratione infrà scriptorum dubiorum humilimè supplicavit, nempe :

Cùm S. R. C. pluries responderit in officio defunctorum semper dicendum esse post vespervas psalmum *Lauda anima mea* : et post laudes psalmum *De profundis* : exceptis diebus commemorationis omnium fidelium defunctorum, et depositionis defuncti juxta rubricas Breviarii, et Ritualis Romani.

1.º Quæritur : An hoc observandum sit etiam in illis ecclesiis, ubi ex vi regulæ, seu ob adimplendas pias defunctorum voluntates totum officium defunctorum ritu duplici recitare tenentur, ut sit diebus suprâ expressis? Et in casu affirmativo,

2.º Quæritur : An in dictis casibus omittendum sit invitatorium, cùm rubrica Breviarii innuat, quòd hoc dicatur in die commemorationis omnium fidelium defunctorum? S. eadem C., audito priùs voto apostolicarum cæremoniarum Magistri, respondendum censuit Ad 1. *Affirmativè*. Ad 2. (ut suprâ n. 601.) *Negativè, nempe, quòd in officio defunctorum, quando recitatur integrum, nunquam omittendum sit invitatorium*. Et ita declaravit. Die 9 Maii 1759.

*In una Cartaginens. ord. Minor.*

664. S. R. C. à Ministro Provinciale Minorum in Hispania supplicatum fuit pro resolutione inter alia super dubio :

17. An in missa votiva cantata sine gravi causa omitti debeat commemoratio festi, ubi omninò omittitur missa conventualis, quia non debetur, sicut ejusdem commemoratio omitti debet ubi cantatur, vel saltem legitur missa conventualis festi occurrentis? Respondit eadem S. R. C. Ad 17. *Negative, nempè in iis Ecclesiis, quæ non tenentur ad missam conventualem, faciendam esse in missis votivis solemnibus sine gravi causa commemorationem festi occurrentis. In aliis verò numquam omittendam esse missam conventualem de die.* Et ita declar. die 2 Maii 1801.

665. Episcopi Constantinopolitani, et Petri Episc. Ravennaten. *cognomina Chrysostomi et Chrysologi* proferri deberent, jubentibus sacræ liturgiæ legibus quòd cognomina ex Ecclesiæ precibus omninò expungantur (1), quæ sanè controversia nu-

(1) Prout jubet decretum S. R. C. diei 23 Junii 1736 ad 5. *Expungantur omninò in orationibus tantùm, cognomina, et patriæ sanctorum* (suprà N. 79 et 584), quam decisionem strictè accipiendam voluit sac. congregatio, nec extendi ad agnomina vel pronomina specialis prærogativæ, quâ Sancti decorantur. Non enim pronomen adjicitur, ne confundantur cum aliis Sanctis ejusdem nominis, prout sunt familiæ cognomina et indicatio patriæ; sed adjicitur, ad recolendum singulare donum iisdem concessum, quod ad Dei donantis gloriam refertur, et ad fidelium ædificationem. Ita ferè Cavalerius postquàm ab hac regula excipiendas esse docuerat, *Mariam Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, aliasque Sanctas, quæ Mariæ nomen habent, ut distinguantur à Maria Christi Matre, quam sicuti dignitas à cæteris mulieribus*

perrimè in quadam Etruriæ civitate excitata, delata est ad S. R. C. pro opportuna definitione; hoc autem in ordinario conventu coacto sub infrascripto die, re maturè diligenterque perpensâ, audito priùs voto R. D. Assessoris, ad mei infrascripti S. R. C. Secretarii relationem, etsi perspectum habeat, Sanctorum cognomina, vel patriam non esse in orationibus apponenda, cùm horum Deus non indiget, in cujusnam servi sui nomine oratio sibi designatur, nihilominus, quoniam non abest ab Ecclesiæ disciplina, ut peculiaris aliqua virtus, mirificumque donum significetur, ob quæ unus aut alter ex Sanctis, cæteris præluxit, ab hujusmodi lege excipere ea censuit, quæ minus propria cognomina dici debent, sed potius characterem Sancti alicujus, vel donum illi à Deo collatum exprimunt.

Adeoque E.<sup>mi</sup> Patres S. R. C. præpositi in sensu fuère *non esse in orationibus expungenda nomina Chrysostomi ac Chrysologi, quæ adjectiva potiùs sunt, et vel facundiam, vel vim, efficaciam divini Sermonis recensitis Sanctis, quasi supernaturali inditam virtute designant, idque ubique servandum censuère, si SS. Domino nostro placuerit.* Die 5 Mart. 1825.

Factâ autem de præmissis omnibus SS. Domino nostro Leoni XII Pont. Maximo per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas sua S. C. sensum adprobavit jussitque edi decretum generale, atque, ut ab omnibus servetur, referri mandavit in acta ejusdem congregationis, ac typis evulgari. *Die 8 supradicti mensis et anni, etc.*

*admodùm distare facit, ita congruit ut eadem secernatur, ita ut Mariæ nomen absolutè, et simpliciter pronuntiatum, Matri Christi dumtaxat adaptetur.*

666. Officium SS. Nominis Jesu, quod Dominicâ secundâ post Epiphaniam celebratur, in qua si occurrat Dominica Septuagesimæ, transferendum erit ad diem 28 Januarii tamquam propriam, ne hujusmodi festum celebretur in quadragesima (ita S. R. C. in Aquensi die 3 Martii 1761) eique cedere debet aliud officium duplex in ea die occurrens (S. R. C. die 27 Martii 1773). Si verò dies 28 Januarii impedita sit festo dup. 2 classis cum octava reponendum est ab Episcopo in aliam diem infra eandem octavam, translato quocumque alio festo, nisi sit altioris ritûs. Eadem S. R. C. die 11 Septembris 1790.

667. *Translata festa reponi non posse diebus fixis pro officio alicujus festi ad libitum, præsertim die 28 Januarii, quæ dies relinquenda est vacua pro repositione SS. Nominis Jesu, in dominica Septuagesimæ occurrentis; et in diœcesi, in qua die 28 Jan. celebratur fixè festum S. Juliani Episcopi ad libitum, omitti debere, quando ea die reponendum sit officium SS. Nominis Jesu.* Ita respondit S. R. C. die 31 Martii 1821.

668. Magister cæremonialis ecclesiæ cathedralis Panormitanæ S. R. C. consulendam duxit super nonnullis dubiis inter alia, super sequentibus scilicet :

Dub. X. An Sacerdos cæcutiens habens indultum, à Sac. Congr. Concilii concedi solitum (ut suprâ N. 618.) in semiduplicibus, ac feriis, et simplicibus teneatur sub gravi celebrare Missam *de requiem*; vel, an possit ad arbitrium semper celebrare missam B. M. V.?

Dub. XI. Sacerdos cæcutiens, ab Episcopo hanc facultatem habente, indultum habuit, celebrandi

missam votivam B. M., sed in decreto omissa fuit obligatio assistentiæ alterius Sacerdotis in peractione Sacri; hinc nacta occasio dubitandi:

1. An dictus Sacerdos teneatur sub gravi recurrere ad S. C. Concilii, et interim abstinere à celebratione Missæ?

2. An teneatur sub gravi uti assistentiâ alterius Sacerdotis, quamvis in decreto apposita non fuerit dicta obligatio?

3. An dictus sacerdos possit semper celebrare votivam B. M. V. à Pentecoste ad Adventum, vel assignatam secundùm tempus?

Dub. XIII. An inclinandum sit caput à celebrante missam, quando in canone nominantur Sancti, quorum officium agitur ritu semidup. aut simpl., et missa dicitur de requiem?

Dub. XIV. An in canone missæ infra actionem (ante consecrationem) nominatur *S. Joannes Apost. et evangelista*, in oratione verò *Nobis quoque peccatoribus* (post consecrationem) dicitur *cum Joanne Stephano*, etc. Indè dubium nascitur, an in dicta oratione post consecrationem inclinandum sit caput ad verba *cum Joanne*, quando missa celebratur *de Joanne Baptista* vel ejus sit commemoratio, an verò, quando missa dicitur, vel commemoratio sit, de *S. Joanne apost. et evangelista*?

Sacra eadem congregatio, exquisitâ prius sententiâ alterius Apostolicarum cæremoniarum Magistri scripto panditâ et prelo cusâ, ad relationem E.<sup>mi</sup> ac R.<sup>mi</sup> card. Cacciapia Hiponentis, censuit rescribendum, scilicet:

Ad X. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*

Ad XI. *Ad primum dubii quæsitum: (quatenus in-*



dultum obtinuerit ab episcopo apostolicâ facultate munito) *Negative*. Ad secundum, teneri in posterum sub gravi uti assistentiâ alterius sacerdotis, quamvis in decreto apposita non fuerit hæc obligatio: quoad præteritum consulat conscientiæ suæ. Ad tertium, *affirmative*.

Ad XIII. *In missa de requiem negative*. (1)

Ad XIV. *Dilata et videatur particulariter ex officio*.

Atque ita Sacrorum ead. Rit. Cong. respondit: *Decrevit, statuit, et in perpetuum, tam cathedrali prædicta quàm alibi in similibus casibus servari mandavit. Die 12 Aprilis 1823.*

Reproposito dein hoc ipso dubio sub N. II, visis maturèque perpensis iis quæ in hac nova allegatione per eumden cæremoniarum magistrum diligentius illustrata fuerunt, referente præfato E.<sup>mo</sup> ac R.<sup>mo</sup> Domino Cardin. Cacciapia Hiponente, E.<sup>mi</sup> Patres respondendum esse censuerunt, videlicet hinc ad II (suprà ad XIV.) *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. Die 27 Martii 1824.* (2)

### *Dubium de sacris Reliquiis.*

669. Proposito dubio in sacra Congregatione super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis,

(1) Missa de Requiem nil habet commune cum officio diei; ideo, si celebretur, dum id licet, infra octavam alicujus Sancti, qui in canone habet locum, non est à sacerdote caput inclinandum, dum ejusdem nomen in canone occurrit. Ita Gardellinus in hunc locum.

(2) D. Gardellinus in hunc locum dilucidè probat, in dicta secunda parte canonis agi de Joanne Baptista cum Stephano Mathia etc. juxta ordinem Martyrii, non verò dignitatis, quare ille Joannes, ante Stephanum martyrio coronatus, indubiè esse debet Baptista.

An ossa femoris alicujus sancti sint Reliquia insignis?

Responsum fuit : *Negative* (1)

*Decretum Generale.*

670. Pluries E.<sup>mi</sup> Patres Sacrorum Rituum Congregationi præpositi ad sibi allatas quæstiones, liceret necne publicis in solemnibus Supplicationibus, quæ fiunt occasione celebritatis sanctorum Patronorum principalium per civitates et loca, horum Reliquias, vel spinam sacratissimæ conoræ Domini nostri Jesus Christi, aut lignum vivificæ crucis sub Baldachino deferri? Responderunt, SS. Eucharistiæ dumtaxat Baldachini usum competere ad tradita per cæremoniale Episcoporum, rituale Romanum, aliosque rituales libros: ideoque habitâ ratione disparati ritûs cultûs, neque instrumenta dominicæ passionis, neque

(1) D. Gardellinus editor novæ collectionis decretorum S. R. C. hoc dubium proponit sub N. 4450. sine dato post 12 aprilis 1825, observans, non omnes quantumvis notabiles reliquias habendas et appellandas esse *insignes*, ita ut queat earum intuitu festum cum officio et Missa celebrari in ecclesiis ubi asservantur, sed illas dumtaxat honorare, quæ *speciatim et nominatim insignes declaratæ sunt.* (suprà N. 71.) Hic autem declaratur, quid intelligendum sit per illud corpus integrum, aut *magna ejusdem pars.* Hujusmodi decreta, inquit dictus D., tanto cum rigore accipienda sunt, ut, quamvis os princeps cruris sit tibia, nihilominus S. C. declaraverit sub die 3 Junii 1662, *solam tibiam sine fibula non esse reliquiam insignem.* Siquidem juxta S. C. sensum *crus*, ut insignibus adnumeretur, integrum esse debet, duobus ossibus constans, si unum desit, membri perit integritas. *Os femoris* utique majus est ac *tibia*, nec tamen ut insignis habendum, quamvis sit notabilis corporis pars, nec proindè clero ecclesiæ, in qua asservatur, concedere poterit ordinarius officium et missam.

Sanctorum reliquias sub Pallio, seu Baldachino hastato deferri licere, hujusmodi delationem abusum declarantes, huncque improbandum, et eliminandum. Quia verò et lignum SS. crucis, sacratissimæ spineæ coronæ Domini, prout alia quædam instrumenta Passionis dominicæ, contactu immediato SS. corporis Domini nostri Jesu Christi sanctificata fuere, ejusque pretiosissimo sanguine conspersa, proindèque speciali honoranda cultu, insuperque ex ferè universali ubique locorum et gentium invecta consuetudine, sub Baldachino deferri obtinuerint; ideo illarum circumductionem sub Baldachino tolerandam censuerunt: congruum quippe et rationi consonum videbatur, ea reverentiæ argumenta esse exhibenda Domino, quæ Sanctis nullatenus præstari debent.

Sed quoniam hisce non obstantibus sanctionibus, abusus, qui irrepserant, sensim alicubi invalescere persentiantur, et nonnulli existunt: qui piâ quâdam fraude legem eludere in animum induxerint, superimponentes reliquias Sanctorum vivificæ crucis reliquiam, ut illas sub Baldachino hujus prætextu deferant, prout ex repetitis ad Sanctitatem suam, et Sacram Cong. datis adversus hujusmodi abusus precibus constat. Hinc ne debitus turbetur ordo, et in extrinsecis etiam honorificis, licet non essentialibus, significationibus, congrua ratio servetur, atque vigentes adhuc abusus opportunè abscendantur, et eliminentur, quæque præscripta sunt debitæ executioni mandentur, re maturè, diligenterque perpensâ in ordinario conventu habito die 6 Maii currentis anni 1826. E.<sup>mi</sup> Patres fuerunt in voto, dandum esse decretum generale, quo, juxta aliàs resoluta

caveatur, et per modum regulæ ubique servandum præfinitur, ne imposterum alicubi per quoscumque, quolibet sub prætextu, solemnitatis devotionis, pietatis, privilegii, indulti, confessionis, tolerantiaë, consuetudinis licet immemorabilis, quem abusum non ferendum declararunt, liceat unquam Sanctorum reliquias processionaliter sub Baldachino circumferre: tolerari tamen posse, et permitti quòd lignum SS. crucis, aliaque instrumenta dominicæ passionis peculiari horum attentâ veneratione habitâque ratione ferè universalis consuetudinis, deferantur sub Baldachino, dummodò tamen id fiat seorsim, et disjunctim à Sanctorum reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omninò non convenit, et ad me secretarium cum SS.<sup>mo</sup>

Factâ igitur de præmissis omnibus et singulis S.<sup>mo</sup> Domino nostro Leoni XII Pont. Max. relatione per me infrascriptum ejusdem Congregationis secretarium, Sanctitas sua sacræ Congregationis sensum adprobavit, confirmavit, jussitque promulgari, et in acta sacrorum Rituum Congregationis referri, locorum ordinariis strictè præcipiens, ut eliminandis abusibus qui irrepererint, incumbant, et decreti hujus observantiam solertissimè ingerant. Die 27 Maji 1826.

*Julius M. Card. Episcopus Ostien.  
Vilentren. della Somaglia S. Eccl.  
Vice Cancellarius, et S. R. C. Præfectus etc.*

*J. G. Fatati S. R. C. Sec. Coad.*

L. † S.

671. In causa collegiatæ ecclesiæ de Victoria Calaguritanæ diocesis super vesperis solemniter  
Tom. V.

celebrandis, Sac. Rituum Congregatio habita die 20 Julii 1593 censuit: *Hebdomadarium seu alium qui officium faciat, in vesperis solemnibus indui debere pluviali à principio vesperarum, et sic indutum permanere usque ad finem. Quod eò magis observandum est, ubi assistentes quoque pluviali induti essent, (1) abusu quocumque non obstante. Die 10 Julii 1593.*

672. Inter plura Sacræ Congregationis Rit. per ejus secretarium Em.<sup>is</sup> Patribus definienda proposita fuerunt sequentia. Scilicet

Dub. 2. « An signa, seu campanæ pro indicandis horis in horologiis publicis possint benedici eâdem formulâ, quâ ex Pontificali Romano benedicuntur signa ecclesiarum. »

Dub. 13. « Cùm sæpè oriantur dubia super authenticitate nonnullorum decretorum, quæ, licèt in publicis Tabulis S. R. C. inscripta reperiantur, nihilominus in collectione eorundem decretorum typis edita omisa fuerunt; quæritur, an hujusmodi decreta pro postulanti voto eidem collationi addi possint? »

Et EE. PP. Sacræ eidem Congreg. præpositi, exquisitâ priùs sententiâ duorum ex magistris Sac. Apostolicar. cæremoniarum Scriptis consignata, respondendum censuerunt ut infrà, videlicet

Ad 2. *Negative, præterquam in casu, quo eadem signa nedùm pro horarum indicatione pulsanda sint, verùm etiam pro sacris actionibus (2).*

(1) Qui assistentes, quorum nomine sæpè veniunt choristæ et cantores, juxta D. Du Moulin Rochetto, sive *superpellicio et pluviali* induti, in cathedralibus et collegiatis sunt plures; in minoribus autem ecclesiis saltem duo, si sufficiens adsit ecclesiasticorum numerus, vel aliàs cum solo assistente sacerdote. (N. 602.)

(2) Uti enim sacra vasa peculiari episcopi benedictione à

Ad 13. *Affirmativè*. Atque ita responderunt et statuerunt, SS. D. N. Pio VII. P. M. mandante, die 17 Septembris 1822.

*De scala sancta Urbis.*

673. Inter præclarissimas, inquit Theodorus à Spiritu Sancto, quas antiqua docet traditio, servari Romæ reliquias, recenseri non immeritò possunt gradus scalæ, prope ecclesiam S. Joannis Lateranensis constituti, quos humani generis Reparator, mortem mox subiturus, divinis pedibus calcavit atque theandrico cruore respersit; qui numero viginti et octo, uti fertur, opera S. Helenæ Matris Constantini imperatoris ad Urbem translati fuerunt, nuncque ante dictam Lateranensem ejusdem Urbis ecclesiam magnificè constituti, indulgentiis sequentibus insigniti existunt.

*Declaratio.*

674. « Ex Bulla Paschalis, felicitis record. PP. » 11 sub die 7 Augusti (alii legunt nonis Augusti) » 1099. (1) constat, indulgentiam trium annorum

profanis segregantur, quia ad unum sacrificii usum deputantur; sic etiam campanæ, quæ religiosis usibus et officiis intervenire debent, quos omnes duo versus exponunt, relati à Glossa cap. 1. *De officio custodis, extravagant. commun.*; videlicet:

*Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,*

*Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.*

Ex his igitur patet, signa illa benedicenda non esse, quæ nec ad Dei cultum, nec religionis destinantur officia, sed ad usum dumtaxat civilem et profanum. Deest quippe in iisdem finis ab ecclesia intentus, neque hujusmodi campanis conveniunt ablutiones, unctiones, preces, aliæque actiones, ac cæremoniæ, quæ mysticas habent significationes cum relatione ad effectus, ad quos deputantur, dum ecclesiastico ritu benedicuntur. Ita *Gardellinus*.

(1) « Paschalis Episcopus servus servorum Dei in perpe-

» à S. Leone IV omnibus utriusque sexûs christi-  
 » fidelibus, scalam sanctam, ante Lateranensem  
 » ecclesiam à fel. record. Sergii II positam, corde  
 » saltem contrito, ac devotè passionem D. N. J. C.  
 » meditando, ascendentibus, pro quolibet gradu  
 » concessam, non solùm confirmasse, verùm etiam  
 » aliorum sex annorum indulgentiam pro quolibet  
 » pariter gradu ab ipsis christifidelibus prælau-  
 » datam scalam sanctam, ut suprâ dispositis, et  
 » flexis genibus ascendentibus, acquirendam, cle-  
 » menter in perpetuum addidisse, quas indul-  
 » gentias posse fidelibus defunctis applicari San-  
 » Mem. Pius PP. VII. die 12 Septembris 1817 est  
 » impertitus.

« In quorum fidem etc. Datum Romæ ex Secre-

» tuum. Ad apostolicæ dignitatis fastigium jam primum à  
 » Deo, nullo meritorum suffragio; sed ejus inscrutabili con-  
 » silio evocati, illud præcipuè in corde habuimus, ut sacris  
 » monumentis, debiti honoris à nobis extaret obsequium :  
 » cùm itaque sacra Limina, seu venerabiles gradus (quos Hie-  
 » rosolymi Jesus Christus Dominus noster suis gressibus, et  
 » sanguine consecravit) dudum Laterani latentes fel. record.  
 » Sergius secundus prædecessor noster in sui Pontificatûs  
 » primordiis ante fores ecclesiæ Lateranensis sponte nostra  
 » in scalam, vulgo Pilati dictam, adaptaverit, arcusque ibi-  
 » dem, ab eodem erectos, devotis picturis exornaverit, et  
 » beatæ memoriæ Leo quartus etiam prædecessor noster  
 » indulgentiis insigniverit, trium videlicet annorum pro  
 » quolibet gradu orando scandentes acquisituri, Nos ad augen-  
 » dam erga præfatam scalam intuitu Dominicæ Passionis  
 » fidelium religionem, de omnipotentis Dei misericordia, et  
 » Apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi, tenore  
 » præsentium, prædictas indulgentias confirmamus, illis  
 » verò, qui majori devotione accensi, congenulati per ipsam  
 » ascendent toties quoties hoc fecerint, sex insuper annos  
 » pro singulo quoque gradu de injunctis eis pœnitentiis mi-  
 » sericorditer relaxamus. » Datum Laterani nonis augusti,  
 Pontificatûs nostri anno primo.

» taria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 17  
» Septembris 1825. »

L. † S. Signat. : A. ARCHIEP. TRAPERUNTIN.

*S. C. Indulgent. Secret.*

675. Prælaudatus Theodorus à Spiritu S. testatur, (prout ab experientia etiam didicimus in Belgio) quòd, ad normam scalæ sanctæ Urbis aliæ extra Urbem tum intra tum extra Italiam construuntur, atque fructuosiùs memoria Passionis Christi recolatur, thesaurus meritorum Christi et Sanctorum, per indulgentiarum concessionem, devotè eas flexis genibus ascendentibus, ibique piè orantibus aperiatur, scilicet quatuor (aut quinque) plenariæ in quatuor (aut quinque) anni diebus ab ordinario designandis confessis, ac sacrâ communionem refectis concedi soleant; aliis verò diebus pro qualibet vice centum dierum, ubi hodie ab Apostolica Sede paulò amplior obtinetur hujusmodi indulgentiæ elargitio, (dummodò tamen scala nullis profanis usibus addicta, sed divino cultui dumtaxat, orantibus scilicet, eamque devotè flexis genibus ascendentibus sit destinata) uti docet sequens indultum.

*Ex audientia SS. mi die 17 Septemb. 1825.*

« SS. Dominus noster Leo PP. XII clementer  
» indulsit, ut omnes christifideles, prout in pre-  
» cibus (1) qui ritè dispositi scalam supra enun-

(1) Cujusdam Monasterii B. M. V. ordinis N. Religiosi, Novitii, aliæque omnes personæ ibidem habitualiter, vel ad tempus aliquod commorantes.



» tiatam, piam domum (1) pro oratione tantum  
 » extruendam, in una singularum mensium die,  
 » unius cujusque arbitrio eligenda flexis genibus  
 » ascenderint ibique passionem D. N. J. C. devotè  
 » meditando, per aliquod temporis spatium juxta  
 » mentem Sanctitatis suæ oraverint, eas omnes  
 » et singulas indulgentias consequantur, quas  
 » consequerentur, si scalam sanctam de Urbe  
 » personaliter visitarent. Præsenti in perpetuum  
 » valituro absque ulla Brevis expeditione non  
 » obstantibus in contrarium facientibus quibus-  
 » cumque, et cum facultate præfatas indulgen-  
 » tias in suffragium fidelium defunctorum appli-  
 » candi, excepto tamen quoad vivos currenti anno  
 » jubilæi. Datum Romæ ex Secretaria Sac. Cong.  
 » indulgentiarum.

L. † S.

Signat. : B. Card. Naro,

*Propræfectus.*

(1) Sive infra ejus claustra, ad instar scalæ sanctæ Urbis  
 28 graduum etc.

---

Attestor præmissa fideliter descripta esse ex nova  
 Collectione Romana S. R. C. etc.

Hâc 27 Aug. 1850.

J. M. GAETHOFFS,  
*Protonot. Apostolicus.*

## SUPPLEMENTUM SECUNDUM

*Passim depromptum ex nova collectione Romana decretorum authenticorum S. R. C. publicata ab Aloysio Gardellini ejusdem Congregationis Assessore, sub auspiciis Eminentissimi D.<sup>ni</sup> Præfecti cardinalis De Somalia.*

676. Cùm ex Apostolica concessione in omnibus Dominiis Hispaniarum Regi subjectis celebretur ritu dupl. waj. Festum Patrocinii B. M. V. in aliqua Dominica Novembris ab ordinario loci designanda, quæ in Diœcesi Barcinonensi, aliisque, est Dominica secunda ejusdem mensis, si in eadem Dominica occurrat dies octava S. Severi Episcopi, et Martyris Patroni principalis, quærit R.<sup>mus</sup> Episcopus Barcinonen. : Utrum recitandum sit officium Patrocinii B. M. V. cum commemoratione Octavæ, an potius officium de Octava, translato, vel omisso pro anno illo officio Patrocinii? S. R. C. respondit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam; Officium verò Patrocinii non omittendum, sed transferendum in primam diem non impeditam, juxta Rubricas. Die 11 Septembris 1790.*

677. An iis in locis, ubi una tantùm celebratur Missa diebus Dominicis, et festivis per annum (non tamen solemnioribus) dum aliquis mane sepelitur, et Missa dicitur ante sepulturam, corpore præsentem, debeat hæc Missa dici de Requiem, ut in die obitûs, vel potius tanquam

Missæ conventualis, cui populus assistit, debeat cantari de die, et Missæ de Requiem transferri ad primam diem non impeditam? S. R. C. respondit *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam. Die 26 Januarii 1793.*

678. Ex libello à secretario Congregationis distributo hæc ad missas votivas solemnes spectantia descripsimus: Difficultas oritur quando à summo Pontifice vel à S. Congregatione conceditur facultas celebrandi vel unam Missam solemnem, vel omnes missas de festo aliquo, de quo non fit officium eadem die. In tali casu permittitur missa cantata vel ut *in die festo, vel votiva solemnis, vel etiam instar votivæ pro re gravi.* In Ecclesiis majoribus præter Missam votivam solemnem, cantari omninò debet Missa conventualis de die cum commemorationibus occurrentibus juxta rubricas. In ecclesiis verò, in quibus Missa conventualis non est obligatoria, an prædictæ commemorationes fieri debeant in votiva solemni multum dubitatur; nam rubricæ de Missis votivis cantatis præscribunt unam tantum orationem. Sed vera videtur opinio Merati ad Rubr. Miss. part. 1, tit. 4, num. 44: *Si sola Missa pro re gravi cantaretur, in dicto casu facienda esset commemoratio diei currentis et aliæ commemorationes, quæ fierent in Festo solemni, nempe: de Dominica, de Octava privilegiata, de Feria majori occurrente.* Commemorationes occurrentes procul dubio fieri debent in Missis privatis, si præter Missam solemnem, votivæ etiam privatæ concessæ fuerint.

Insuper in Missis votivis solemnibus necnon in privatis non dicitur *Gloria* nec *Credo*, nisi sint

*pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, vel in aliis casibus, qui in Rubricis notantur; attamen ubi pro extraordinario die festo facultas datur celebrandi missam solemnem tantum, vel etiam missas privatas, nimium decoris festi deesset, si non caneretur Gloria et Credo. Ex Congregatione sacrorum Rituum die 18 Februarii 1794. Et S. Congregatio mandavit servari exposita in supra-dicto libello.*

679. An ubi fiat de S. Sebastiano Martyre non Pontifice, tanquam de principali Patrono, seu Titulari, dicenda sit Oratio, *Infirmi- tatem nostram*, etc., ut vult Talu num. 25, ab aliqua praxi sequutus, an potius alia de communi unius Martyris non Pontificis, ut vult Cavalierus tom. 1, cap. 5, decret. 2? *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.* S. R. C. 2 die Maii 1801.

680. Cùm in Ecclesia S. Ignatii Romæ expositio SS.<sup>mi</sup> Eucharistiæ Sacramenti, quæ dicitur quadraginta horarum, singulis ferè annis incidat in diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, et præses ejus Ecclesiæ anceps hæserit: nùm liceat, durante tali expositione, recitare officium, et celebrare Missas defunctorum in dicta Ecclesia, humillimis precibus petiit à S. R. C. resolutionem infrascriptorum dubiorum.

1.º An in Ecclesiis, in quibus expositum manet SS.<sup>mum</sup> Eucharistiæ Sacramentum Fidelium adorationi, in turno perpetuæ orationis, quæ dicitur quadraginta horarum, occurrente die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, liceat recitare officium defunctorum, et celebrare Missam solemnem, et etiam Missas privatas itidem defunctorum? R. *Affirmative.*

2. Et quatenùs affirmativè : an adhiberi debeant paramenta coloris violacei potiùs, quàm coloris nigri? R. *Arbitrio superioris localis.*

3. Et an in eodem casu excipiendum sit Altare, in quo habetur expositum SS.<sup>mum</sup> sacramentum? R. *affirmativè.* Et ita S. Congregatio ob oculos habita sententia duorum sacrorum cæremoniarum Apostolicarum Magistrorum scripto exarata, referente Em.<sup>o</sup> Cardinali de Somalia Urbis vicario, S. R. C. Præfecto, rescribendum censuit : *Die 16 Septembris 1801.*

681. In una Santanderiensi die 26 Januarii 1795 decretum fuit, lectiones 4 nocturni in duplicibus, et semiduplicibus, nisi expressè constet de concessione aliarum, ex Scriptura sumi debere, utpote cohærens Rubricæ de lectionibus; cùmque præter laudata in ipso decreto Festa, alia supersint, de quibus dubitatur, ut Sanctorum Agnetis, Agathæ, Martini Episcopi et confessoris, Cæcilie, Clementis etc. Quæritur, utrum de his iudicium ferendum sit, quod ipsi Rubricæ conformius videtur? Et S. Congregatio respondit : *Legendas esse lectiones de Scriptura occurrente, præterquam in Festis Sanctorum, pro quibus propriæ assignantur in Breviario Romano. Die 16 Septembris 1801.* Confernum. 612 hujus collectionis. In multis Breviariis uti in editionibus Clem. Plomteux in festo S. Raymundi Nonnati 31 Augusti, lectiones 4 noct. assignantur de communi *Beatus vir*; sed in Breviario Româ transmissio occasione novæ editionis ejusdem Breviarii, quæ prodiit Mechliniæ anno 1829 legitur : in 4 nocturno lectiones de Scriptura occurrente.

## INDULTUM REDUCTIONIS FESTORUM.

682. Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Cardinalis CAPRARA, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, sanctissimi Domini Nostri PII PAPÆ VII, et sanctæ sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum reipublicæ consulem à latere legatus.

Apostolicæ sedis, cui ecclesiarum omnium sollicitudo à Domino nostro Jesu Christo imposita fuit, officium est, servandæ ecclesiasticæ [disciplinæ rationem ita moderari, ut locorum ac temporum circumstantiis opportunè ac suaviter provideatur. Id præ oculis habens sanctissimus DOMINUS NOSTER PIUS divinâ providentiâ PAPA VII, ad cæteras animi sui curas, quas pro [gallicanis ecclesiis suscepit, eam quoque adjecit, ut quid in novo hoc rerum ordine, quod ad festos dies constituere oporteret, deliberandum sibi proponeret. Notum siquidem Sanctitati suæ in primis erat, in tantâ regionum latitudine, quæ gallicanæ reipublicæ territorium constituunt, non unam hæc in re, eamdemque consuetudinem viguisse, sed alios in aliis diœcesibus festos dies custoditos fuisse. Animadvertibat præterea, populis qui ejusdem reipublicæ Gubernio subjacent, magnam esse post tantos bellorum eventus, earum rerum reparandarum necessitatem, quæ ad commercium pertinent, ac vitæ usus; quibus quidem reparandis propter interdictum diebus festis manuum laborem, eorundemque omnibus ecclesiis nihil de consueto divinatorum dierum numero, non

ita facilis via pateret. Denique et illud non sine magno animi dolore expendebat, non eâdem ubique pietate hisce in regionibus festos huc usque dies observatos fuisse; ut propterea ob neglectam pluribus in locis festorum dierum religionem, non parvum in bonos piosque fideles scandalum dimanaret.

His ergo omnibus perpensis, et maturè libratâ, factum est, ut e re tum christiana, tum publica futurum judicaverit, si status quidem festorum dierum numerus, (isque quo contractior fieri posset) in toto reipublicæ territorio retinendus constitueretur, ut et omnes qui iisdem legibus continentur, æqualitate firmatâ, eandem disciplinam tenerent, et eorum dierum imminutione cum levâri multorum necessitas, tum facilior eorum qui reliqui fierent, observatio redderetur. Quare cùm ad hæc primi etiam reipublicæ consulis desideria, et postulata accesserint, nobis uti ejusdem Sanctitatis suæ à latere legato injunxit, ut de Apostolicæ potestatis plenitudine, festorum dierum, qui iisdem dominici non sint, numerum ad eos tantùm in universo Galliarum reipublicæ territoriis contractum esse declararem, quos ad calcem indulti hujus enumerabimus, ita ut posthac in reliquis festis diebus omnes ejusdem incolæ non solùm à præcepto audiendi missam vacandique ab operibus servilibus, sed à jejunii etiam obligatione in diebus, qui festa hujusmodi proximè præcedunt, prorsus absoluti censeantur et sint. Eam tamen legem adjectam esse voluit, ut in festis diebus vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in

officiorum sacrarumque cæremoniæ ordine ac ritu innovetur, sed omnia eâ prorsus ratione peragantur, quâ hactenùs consueverunt, exceptis tamen festis Epiphaniæ Domini, sanctissimi corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ, quæ in dominicâ proximè occurrente in omnibus ecclesiis celebrabuntur.

Ad honorem autem SS. Apostolorum et Martyrum Sanctitas sua præcipit, ut tum in publica, tum in privata horarum canonicarum recitatione omnes, qui ad illas tenentur, in solemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli, sanctorum omnium Apostolorum; in festivitate verò S. Stephani Protomartyris, omnium Sanctorum Martyrum commemorationem faciant, quod idem in missis omnibus iisdem diebus celebrandis agendum erit. Eadem pariter Sanctitas sua mandat, ut anniversarium Dedicationis templorum, quæ in ejusdem gallicanæ reipublicæ territorio erecta sunt, in dominicâ quæ Octavam festivitatis omnium Sanctorum proximè sequetur, in cunctis gallicanis ecclesiis celebretur.

Quamvis verò æquum esset, ut in diebus festis sic abrogatis præceptum saltem audiendi missam retineretur, ut tamen Galliarum populi verè paternam Sanctitatis suæ in omnes charitatem magis agnoscant, hortatur solùm, atque eos præsertim, qui victum parare sibi labore manuum minimè coguntur, ut iis diebus sacrosancto missæ sacrificio haud negligant interesse.

Illud denique Sanctitas sua à religione, ac pietate Gallorum sibi pollicetur, ut quo minor in posterum futurus erit tum dierum festorum,



tum jejuniorum numerus, eo majori studio, fervore ac diligentia paucos illos, qui supererunt observaturi sint, illud sedulo animo reputantes, christiano nomine indignum esse quisquis Christi et Ecclesiae ejus mandata qua par est cura non custodit. Ut enim praclare scriptum est ab Apostolo Joanne: *Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.*

Dies festi praeter dominicos in Galliis observandi: Nativitas D. N. J. C. Ascensio, Assumptio B. M. V., Festum Sanctorum omnium.

Datum Parisiis, ex aedibus nostrae residentiae, hac die 9 aprilis 1802.

J. B. Card. CAPRARA, Legatus.

J. A. SALA, Apost. Legat. Secretarius.

683. Ex indulto supra relato non leves exortae sunt in re Liturgica difficultates, pro quarum solutione operae pretium visum est ad Emin. Cardinalem pro tempore Legatum a latere recurrere. Regulas imprimis statuit quibus omnia opportunè disponderentur in celebrandis solemnitatibus tum suppressis tum translatis. Consule num. in hac collectione 615. Alias ejusdem Cardinalis declarationes, quamvis non legantur in collectione Aloysii Gardellini, hic subjicimus.

1.º Si in unam eandemque Dominicam incidat tum Patroni, ea solemnitas celebranda erit de digniori, scilicet de dedicatione translato minus digno, id est festo Patroni ad primam Dominicam non impeditam juxta Rubricas.

2.º Si Dominica, ad quam juxta indultum trans-

ferenda esset solemnitas Patroni, sit dies propria S. Joannis Baptistæ, tunc solemnitas Patroni transferenda erit ad primam Dominicam non impeditam juxta rubricas, ne scilicet (cùm festum S. Joannis sit ejusdem ritus, nec transferri possit) duplex solemnitas primæ classis eâdem die in unâ ecclesiâ peragatur. *Rituel de Belley tom. 3 pag. 173.*

3.º Eadem servari debet regula, si Dominica immediatè sequens sit aliqua ex Dominicis majoribus primæ classis, quæ juxta rubricas nunquam omitti possunt, Festa Patronorum (meliùs solemnitas) transferenda sunt ad primam Dominicam non impeditam. Hæc postrema declaratio legitur in Directorio Romano A. F. van Beveren, Brux. 1804.

Solemnitas itaque Patroni juxta regulam in Indulto traditam transfertur ad Dominicam sequentem, ita ut feriatio translata magis quàm suppressa videatur. Hinc advertendum quòd Patronorum dumtaxat, qui cum feriatione in populo ante indultum celebrabantur, solemnitas transferri debeat, non eorum verò quibus hujusmodi feriatio non erat annexa.

*In civitatibus, inquit Romsée Tom. III art. 21 § 1, et oppidis, in quibus habetur Patronus communis civitatum et oppidorum, Parochiæ degentes in illis habent solum Patronum Titularem Ecclesiæ, adeoque cui festum non debetur in populo, ita Leodii ubi S. Hubertus est Patronus totius civitatis, parochiæ intra urbem habent Titulum ecclesiæ absque feriatione: pariter capellæ sitæ intra limites alicujus parochiæ ruralis non habent Patronum nisi Titularem absque festo in populo. Hinc sequitur festa*

Patronorum quæ olim non erant feriata non esse transferenda ad Dominicam sequentem, sed celebranda die quâ incidunt.

Quod ad Ecclesiæ Dedicationem attinet, indultum statuit : anniversarium Dedicationis templorum, quæ in Gallicanæ reipublicæ territorio erecta sunt, in Dominica quæ octavam festivitatis omnium Sanctorum proximè sequitur esse celebrandum. Ex quo dubium moveri potest, nùm festum Dedicationis hodie celebrari debeat in ecclesiis etiam quæ non fuerunt consecratæ.

Stando decreto S. R. C. 18 Augusti 1629 in hac collect. num. 99, non videtur celebrandum; idque confirmari posset Cardinalis Legati declaratione, in quo legitur : *Domicâ, quæ subsequitur diem octavam omnium Sanctorum, celebrabitur anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum*, num. 615, 7. Unde Dominicâ prædictâ in ecclesiis non consecratis celebranda foret solùm Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis in civitate cum octavâ, extra civitatem sine octava, prout in decretis 2 Maii 1619, 10 Januarii 1693 num. 228 præscribitur, et ubique fieri solebat ante reductionem. Sed plerique censent quòd unanimiter omnes Ecclesiastici, etiam qui nulli ecclesiæ sunt addicti, vel casu non habent ecclesiam consecratam, in cumulo, et per unum idemque officium, uno eodemque die honorificare debeant anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum; et hinc per indultum suppressa volunt omnia decreta huic dispositioni contraria.

684. Dubium sequens inter alia plura à Directore Calendarii Ordinis Carmelitarum excalceatorum in Lusitania S. Congregationi fuit propositum.

Translato quocumque festo habente Octavam quæritur : An, adveniente die non impeditâ infra ipsam Octavam, aut in die octava, Festum istud præferri debeat in repositione alteri Festo altioris ritus, vel majoris dignitatis priùs translato sine Octava celebrando, aut ejus tempore jam finito, eò quòd intra suam Octavam reputandum sit tamquam in die propria; ideoque minimè subjacens Rubricis de translatione Festorum? Pro parte affirmativa præter quorundam placita stare videtur hoc S. Congregationis Decretum in Hymno *Iste Confessor* pro Sanctis Confessoribus, juxta decretum 11 Junii 1701 mutatur tertius versus, quoties eorum Officium recitetur extra diem obitûs ipsorum; verùm prædicta mutatio non fit quando Officium festivum S. Confessoris habentis Octavam, non ultra Octavam ipsam transfertur, quia tota Octava nihil aliud est, quàm extensio illius Festi, et ideo versus idem per reliquos Octavæ dies, qui fortè supersunt, retinebitur. S. R. C. 2 Septembris 1741. Quod quidem Decretum videtur assignare totam Octavam pro die propria, ideoque Festum quâcumque die Octavæ celebretur, tamquam non translatum reputandum fore. Quæritur. quid agendum circa propositum Dubium? Et S. R. C. respondit juxta votum Magistri Cæremoniarum, videlicet : *Festum gaudens Octava, si transferri contingat, et dies non impedita occurrat priusquam Octava finem habeat, in repositione præferendum esse aliis Festis, etiam majoris ritus, vel dignitatis priùs translatis, quæ tamen, vel non gaudent Octavâ, vel post eam transferuntur.* Die 15 Martii 1804.

685. Cùm sacerdos Joannes Baptista Berni re-

center Archipresbyteratu Ecclesiæ parochialis in Diocesi Tiphernen. potitus, antiquam consuetudinem in eadem Ecclesia invenerit sacrosanctam Eucharistiam impertiendi Fidelibus in sabbato sancto pro satisfactione etiam Paschalis præcepti, et anceps hæserit; nùm eadem consuetudo servanda foret, sive utpote abusiva removenda? Ut omnem anxietatem deponeret, suppliciter fuit apud S. R. C. pro declaratione sequentis Dubii, videlicet: An liceat in sabbato sancto inter Missarum solemnias sacram Eucharistiam Fidelibus distribuere, et nùm per eandem sumptionem sacræ Communionis præceptum Paschale adimpleatur? Et S. eadem Congregatio, audito priùs uno ex Apostolicarum Cæremoniæ Magistris, etc. respondit: *Affirmative in utroque. Die 22 Martii 1806.*

686. Cùm sanctissimus DOMINUS NOSTER PIUS VII. Pont. Max. validissimum Beatæ Mariæ Virginis auxilium expertus fuerit in multis tribulationibus, ærumnis, angustiis, quas in diutina quinque, et ultra annorum captivitate passus est; ejus intercessionem tribuens felicem suum reditum in Urbem sanctam, à qua fuerat nefariè avulsus, accito R.<sup>mo</sup> Cardinali Julio Maria de Somalia Episcopo Tusculano, suo in Urbe Vicario Generali et sacrorum Rituum Congregationi Præfecto, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimæ Virgini, quæ insperato sibi, et Populo Fidei in auxilium venit, peculiare Festum in ejusdem honorem instituatur peragendum die 24 Maii in ævum memoranda felici ipsius ad Petri sedem signata regressu; et æmulatus Decessorem suum S. Pium hujus nominis V., qui ob insignem Vi-

etoriam anno MDLXXI. à Christiana classe contra Turcas ad Echinadas Insulas Dei Genitricis ope relatam, Litaniis Lauretanis alterum elogium inseri jussit AUXILIUM CHRISTIANORUM; ita et ipse hoc titulo decorare novum hoc festum constituit cum officio, et Missa ab eodem R.<sup>mo</sup> Cardinali Præfecto, à R. P. Andrea Cavalli Promotore Fidei, et à me infrascripto S. R. C. Assessore revisis, cum in Urbe, tum in toto Ecclesiastico statu recitando, et respectivè celebranda sub ritu dup. maj. ab omnibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur.

Et hoc decretum in Acta Congregationis Sacrorum Rituum reponi, ac publicis juris fieri mandavit. Die 16 Septembris 1815.

Festum hoc Urbi primùm Ecclesiastico statui concessum ad omnes postea Belgii Diöceses extensum est.

687. Episcopus Ebusitanus in Hispania opportunum censuit in re particulari exponere, quæ in parochiali Ecclesia S. Francisci à Paula in Salinis animadverterat. Parochus eodem die Festo duas Missas in duobus oratoriis valdè dissitis celebrabat, ut populus auditioni Missæ satisfaceret; et cum unus tantùm esset calix ad duas missas, sacerdos in prima illum purificabat cum stappa et purificatum deferebat ad secundum oratorium. Episcopus hunc purificandi modum parum reverentem judicans provisit ut altero distincto calice secundum sacrificium offerretur, ita ut unumquodque oratorium suum calicem haberet. At ignorans quomodo purificationes in prima Missa

fieri deberent, S. Congregationem duxit consulendam.

S. R. C. quæstionem remisit R. canonico Rubbi Sacræ Theologiæ in Seminario Romano Professore, qui rem ita expediri posse censuit: Parochus in prima Missa calicem impurificatum relinquat, prout fit in duabus prioribus Missis Nativitatis D.: calici autem statim imponat patenam et pallam prout fit in eisdem Missis: dein calicem et patenam coöperiat velo quod etiam circumligabit calici, prout fit in repositione sacri Corporis in sepulchro fer. V in Coenâ Domini; atque calicem hunc sic coöpertum et circumligatum defectu tabernaculi post primam Missam relinquat in altari supra corporale; dein verò suo tempore eundem hâc ratione præparatum decenter deferat ad aliud oratorium, ut ibi celebret secundam missam, quam peraget eodem ritu, quo celebratur tertia Missa in Nativitate D. Ex hac agendi ratione nihil indecentiæ, nihil irreverentiæ consequi videtur. Species enim sacramentales, quæ in calice non purificato remanserunt, ob tenuitatem suam statim exsiccantur, præsertim æstivo tempore, atque ad pristinam fluiditatem suam facillè redeunt, cum paucas post horas eodemque mane, aliud recens vinum calici infundetur ad alteram Missam celebrandam.

Eminentissimi Domini Cardinales S. R. C. præpositi, in casu, de quo agitur, reprobarunt usum duorum calicum tanquam in Ecclesiâ novum, et censuerunt unum dumtaxat esse adhibendum, ut in more est apud Missionarios in locis præsertim Infidelium, servatâ formâ in præ-

dicti Theologi voto propositâ. Die 16 Septembris 1815.

## DECRETUM GENERALE.

688. Multa pridem à S. R. C. sunt edita Decreta, quibus de Festo Annuntiationis B. M. V. transferendo, certæ quædam pro tanti Mysteriorum dignitate regulæ edicuntur, quando propriâ die fieri nequit, eò quòd in aliqua ex feriis Majoris Hebdomadæ, vel intrâ Paschatis Octavam occurrat. Nonnulla tamen Episcopus Tudensis dubia proposuit, quæ Festum illum diem respiciunt, scilicet : 1. An decretum S. R. C. 2 Septembris 1741 (conf. num. 60 et 435 hujus collect.) *Quando Festum Annuntiationis transfertur simul cum præcepto audiendi Sacrum ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici, etiam primæ Classis eo die occurrenti, locum habere debet in locis ubi celebratur Festum principalis Patroni?* Et quatenus affirmativè, 2. An Festum Patroni transferri possit in Feriam sequentem, vel servanda sit Rubrica de translatione Festorum? 3. An prædictum Festum Annuntiationis translatum simul cum præcepto audiendi Sacrum celebrari debeat cum Octava, ubi est Patrona principalis, vel Titularis? Et quatenus affirmativè, 4. Unde Lectiones sint desumendæ?

Re itaque universâ in deliberationem deductâ, Eminentissimi Patres generali Decreto ubique servando prolatas quæstiones definiendas esse arbitrati sunt, ac proindè, si Sanctissimo placuerit, censuere.



1. Decretum editum die 2 Septembris anno 1741, intelligendum esse de quocumque Festo in ea die occurrente, etiamsi sit Patroni Principalis, vel Titularis, vel Dedicacionis, quod cedere debet Festo Annuntiationis, translato quoad Chorum simul et Forum; hoc est cum præcepto audiendi Sacrum.

2. Festum primæ classis, quod eo die occurrat, vel sit de Patrono principali, vel de Titulari, vel de Dedicacione Ecclesiæ, transferendum esse juxta modum à Rubrica præscriptum, nisi ab Apostolica sede tributum fuerit, ut in Feriam tertiam, vel in aliam certam diem assignatam reponatur.

3. Octavam verò Annuntiationis in iis tantum Ecclesiis, et Locis, quibus indultum est de ea fieri etiam in Quadragesima, vel in quibus hujusmodi Festum Tituli, vel principis Patronatus honore gaudet, juxta diversas occurrentias peragendam esse, quando idem Festum in Feriam secundam post Dominicam in Albis transfertur, ut sequitur: si nimirum translatio fiat cum præcepto audiendi Sacrum, integra Octava illud gaudere, ac si Feria illa secunda esset dies propria: si verò quoad Chorum tantum, solius scilicet Officii translatio sit, nihil agendum de Octava, nisi fortè (quod proximo anno adveniet) translatio occurrat infra Octavam: tunc quippe de ea fieri Officium poterit iis tantum diebus, qui de Octava supersunt, juxta generales rubricas, prout decretum fuit die 14 Maii 1805.

4. Si fiat integra Octava, dum Festum transfertur quoad Chorum, et Forum, vel dimidiata, iis nimirum diebus dumtaxat, quæ ex ea su-

persunt, dum illud infra Paschatis Octavam occurrit, Lectiones primi Nocturni esse debere de Scriptura occurrente : Lectiones secundi Nocturni petendas esse ex Octavario Romano pro alio quolibet Festo B. M. V. Lectiones demùm pro tertio Nocturno de Homilia in Evangelium *Missus est*, haberi in Festo S. Gabriëlis Archangeli, vel Expectationis Partus, vel Translationis Almæ Domus Lauretanæ : quin imò repeti etiam liberè posse tam in secundo, quàm in tertio Nocturno Lectiones pro die Festo assignatas.

Et ita, etc. *Die 22 Martii 1817.*

Et factâ relatione Sanctissimo Domino, Sanctitas sua præfatum Decretum S. R. C. approbavit, confirmavit, jussitque prælo tradi, ac publici juris fieri. *Die 25 Martii 1817.*

689. Cùm quandoque aliquod Festum ritus dup. min. translatum reponi nequeat ante diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum : quæritur ; an ejusdem Officium reponi possit, et debeat in dicta die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum ? R. *Jam aliàs decisum, quod de Festo duplici min., vel occurrente, vel translato, fieri possit in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, Missas tamen privatas dicendas de Requiem. 5 Octobris 1686. 19 Junii 1700. 5 Maii 1736; quæ Decreta S. C. declarat locum dumtaxat obtinere, si pro repositione Festi translati nullus supersit dies usque ad anni finem. 31 Maii 1817.*

690. Duo dubia ab aliquo cæremoniarum Magistro proposita : 1.º An Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum tam intra, quàm extra Cathedralem Ecclesiam teneantur

deponere Cappam, atque uti superpelliceo, et stolâ, juxta Rituale Romanum? R. *Affirmativè S. R. C. 51 Maii 1817.* Clara, et generalis est rubrica Ritualis Romani tit. I, num. 7, videlicet: *In omni sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stolâ ejus coloris, quem sacramenti ritus exposcit.* Idem præcipit S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali 1 Mediolanensi. Cùm autem Lex generalis sit, nulla excipitur persona quâvis dignitate præfulgens: hinc fit, ut etiam Canonici usum Rochetti et Cappæ magnæ habentes, sacramenta administraturi ea debeant deponere, et superpelliceum et stolam assumere. Id pluries à S. Congregatione fuit declaratum.

2.º An teneantur dicti Canonici Cappam deponere, tam intra, quàm extra Cathedralem, dum verbum Dei prædicant, vel dum officium sacerdotis assistentis in Missa novi Celebrantis, aliasque quascumque non capitulares functiones exercent? *Negativè in propria Ecclesia, etiam in Concionibus aliisque functionibus, exceptâ sacramentorum administratione, in qua utendum est superpelliceo, et stolâ ut ad primum. Affirmativè extra propriam Ecclesiam, et detur Decretum generale. Die 31 Maii 1817.* Haud tamen inficior, inquit Gardellini, in more positum esse in Basilicis Urbis sacramentum Pœnitentiæ administrari tam à Canonicis, quàm à Beneficiatis stolâ impositâ supra Cappam in propria Ecclesia, et à Regularibus stolâ dumtaxat adhibitâ, sine superpelliceo. Lex igitur coarctari potest ad aliorum Sacramentorum administrationem, Baptismatis scilicet, Eucharistiæ, Matrimonii.

## DECRETUM GENERALE.

691. Pluribus S. R. C. Decretis cautum est, ne Dignitatibus et Canonicis Cathedralium Ecclesiarum liceat adhibere Palmatoriam (1) tam in missis quàm in cæteris functionibus. Alias quoque eadem S. C. decrevit, ut Canonici qui usu cappæ et Rochetti donati sunt, hisce, aliisque sibi tributis honorum Insignibus utantur dumtaxat in propria Ecclesia. Ast cùm adversus hæc abusus haud mediocres irrepsisse dignoscantur, EE. PP. de re utraque generale Decretum, facto verbo cum Sanctissimo, ferendum esse censuerunt: ideo declararunt,

1.º *In sacris functionibus, non licere Dignitatibus, et Canonicis, aliisque omnibus quibus ex jure non competit, Palmatoriam adhibere, nisi Apostolico privilegio donentur.*

2.º *Dignitatibus verò, et Canonicis, etiamsi gaudeant Indulto deferendi cappam et rochettum tam in propria, quàm in alienis Ecclesiis; hujusmodi tamen, aliorumque Canonicalium Insignium usum extra propriam Ecclesiam, licitum esse dumtaxat quando capitulariter incedunt, vel assistunt, et peragunt sacras functiones, non autem, si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum Collegium comprehendat, verùm etiam singulariter, et distinctè ad personas extendatur.*

Et ita declaravit, etc. si Sanctissimo videbitur.  
Die 31 Maii 1817. Factà autem relatione, San-

(1) *Palmatoria* vulgari voce *Bugia* appellatur. Jure eà utuntur tam Cardinales, quàm Episcopi; alii ex Indulto.

ctissimus Dominus Pius VII Congregationis, Decretum Apostolicâ confirmatione munitum typis tradi, ac evulgari jussit pridie Nonas junii MDCCCXVII.

692. Utrùm publicæ venerationi exponi, ac processionaliter deferri possint Sanctorum Reliquiæ, de quarum identitate et authenticitate certò non constat? R. *Negative. Die 27 Decembris 1817.* Certum exploratumque est omnibus, inquit Assessor Congregationis, Reliquias Sanctorum, nec processionaliter deferri, nec publicæ venerationi exponi posse, nisi fuerint ab loci Ordinario diligenter recognitæ, adprobatæ, et ne fraus fiat, ejusdem Ordinarii firmatæ sigillis. Consule Conc. Trid. Sess. 25. Immò etiam Reliquiæ à Romano Pontifice adprobatæ, recognoscendæ sunt ab Episcopo loci Ordinario, priusquam venerationi exponantur; non quia denuò ab inferiori adprobandæ, sed ut certò constet Romæ fuisse adprobatas.

693. SS. D. Pius VII per modum regulæ declaravit: Dignitatibus omnibus et Canonicis ubique locorum, qui construendis in posterum Apostolicâ vel Ordinariâ auctoritate Tabulis in Seravorum Dei ac Beatorum causis operam dabunt, licet è choro absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi juxta taxam Benedicti XIV, verùm etiam alias omnes quocumque jure personale servitium exquirentes: indultum autem atque exemptionem hujusmodi iis dumtaxat diebus locum habere voluit, in quibus conficiendis et adornandis Inquisitionibus incumbent. Atque ita decrevit, etc. die 23 Decembris 1817.

694. Propositâ in S. R. Congregatione causâ super jure deferendi stolam in publicis functionibus pro Parochis civitatis Tuderti : sacra Congregatio rescribendum censuit : *Pro gratia : juxta petita in casu de quo agitur , dummodò incedant collegialiter. Die 22 Augusti 1818.*

695. An liceat titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum, vel Lauretanis aliquem versiculum addere, vel novas Litanias, de quarum adprobatione Ordinario nullatenus constet, in Ecclesiis canere, vel recitare? R. *Negative, et servantur omninò Decreta sacræ Congregationis, curentque Ordinarii colligere, et vetare formulas quascumque tam impressas, quàm manuscriptas Litaniarum, de quarum adprobatione non constat.*

*Et quoniam de Litaniis sermo est, quum sacræ Congregationi innotuerit aliquibus in Ecclesiis, præsertim occasione Orationis quadraginta Horarum, Libellos adhiberi, in quibus vel peculiarium Sanctorum nomina addita conspiciuntur, vel unus, aut alter versiculus in precibus desideratur; idcirco sacra Congregatio, inhærendo memoratæ Instructioni Clementis XI præcipit, ne alii adhibeantur Libelli nisi typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ impressi, vel eisdem planè conformes. Die 31 Martii 1821.*

696. An toleranda sit consuetudo vicens in quibusdam Parœciis, præsertim in Ruralibus celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V in Cœna Domini, quin peragi valeant eadem Feria, et sequenti cæteræ Ecclesiasticæ functiones præscriptæ ob Clericorum defectu, vel potius abolenda? Sacra Congregatio re maturè di-

ligenterque discussâ respondendum censuit : *Affirmativè et ad mentem* : mens est, ut locorum Ordinarii quoad Paræcias, in quibus haberi possunt tres, quatuorve saltem Clerici, sacras Functiones Feriis V et VI ac Sabbatho majoris hebdomadæ peragi studeant, servatâ formâ parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII anno 1725, jussu editi : Quoad alias Paræcias, quæ Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petitâ quotannis veniâ) Feria V in Cæna Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali, vel Matrice conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum Sanctissimo. Die 28 Julii 1821.

Factâ autem de præmissis relatione, Sanctissimus Dominus Pius VII, sacræ Congregationis responsum adprobavit, confirmavit, etc. Die 31 Julii 1821.

697. R. D. Lucifero Cathedralis Cotronen. Primicerius humillimè postulavit, ut E.<sup>mi</sup> Patres sacrorum Rituum Congregationi præpositi subscripta dubia pro eorum sapientia enodare, et resolvere dignarentur.

1. An tempore Adventûs Missa Conventualis de Sancto occurrente sub ritu dup. vel semid. post Nonam semper sit celebranda? R. *Negative, et Missam de Sancto sub ritu dup. vel semid. in Feriis Adventûs occurrente, semper celebrandam esse post Tertiam juxta Rubricas.*

2. An in Dominicis Adventûs, et Quadragesimæ omittenda sit Collecta à superioribus imperata? R. *Negative, exceptis Dominicâ Palmarum, et Dominicâ IV Adventûs in hujus occursum cum Vigilia Nativitatis D. N. J. C., in quibus omittenda est collecta imperata. Die 20 Aprilis 1822.*

698. Usus sensim invaluit, ut quoties calices, aliaque vasa sacra unctione consecrata, artificis operâ indigeant, quippe reficienda, vel fundenda iterùm sint; non antea eidem traduntur, quàm per sacerdotem vel directè, et manu, vel aliquo mediante instrumento fuerint execrata: hinc quærit R. D. Archipresbyter Ferdinandus Valeriani: Utrùm ritè, vel potius ex errore passim fiat hujusmodi execratio? et sac. Rit. Congregatio respondit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; et detur decretum generale. Die 20 Aprilis 1822.*

Factâque de præmissis relatione, Sanctissimus Dominus Pius VII S. Congregationis responsum approbavit, et generale Decretum desuper edi, ac typis publici juris fieri mandavit. Die 23 dicti mensis et anni.

699. Quæstio sæpè exorta est, utrùm in Missa de requiem, cum paramentis nigris celebrata, post communionem celebrantis administrari possit Fidelibus adstantibus Eucharistia cum particulis præconsecratis; asserentibus nonnullis posse  
1. quia in operibus Ferdinandi Tetami Decretum S. C. diei 2 Septembris 1741, tamquam apocriphum habendum esse dicatur; 2. Quia affirmativum fuit responsum Josephi Dini Apostolicar. Cæremoniar. Magistri sententiæ innixi Benedicti XIV, in suo opere de sacrificio Missæ: ut autem omnis hac de re tollatur scrupulus, quærit Magister Cæremoniarum Cathedralis Paenormitanæ: An pro certa tenenda sit sententia affirmativa Benedicti XIV, et Tetami, vel supradictum Decretum sub die 2 Septembris 1741.?

Et sacra Congregatio respondit: *Dilata et vi-*



*deatur particulariter ex officio. Die 12 Apr. 1825.*  
 Nemini dubium est inquit Gardellini quòd Decretum die 2 Septembris 1741 genuinum et authenticum sit; quamobrem istud, usque dum alio posteriori revocatum, aut declaratum non fuerit, dat regulam servandam. Nihilominùs quæstioni propositæ sacra Congregatio non respondit, sed satiùs duxit ampliare iudicium, remque maturiori examini subicere; tum quia non infimæ; imò summæ auctoritatis scriptores (quos inter principem locum tenet Benedictus XIV, quem certè latere nequibat decretum anni 1741 cum ejus opus de sacrificio Missæ latinè redditum recusum Romæ fuerit, multò pòst, scilicet anno 1748) contrariam sententiam et tuentur, et pluribus rationibus sustinent, tum etiam quia non una, eademque est apud omnes Ecclesias et sacerdotes consuetudo. Expectandum est igitur novum S. C. Decretum, quo vel illud anni 1741 confirmet, et ab omnibus servari jubeat; vel potiùs, ne divisiones fiant, et exoriantur scandala, indulgeat, ut quæ in Ecclesiis invaluit consuetudo, et praxis, quæ huc usque obtinuit, servari possit et valeat. Interim, donec novum non prodeat Decretum, quo componantur quæstiones, et dissensionibus opportunum afferatur remedium, congruit, ut, ubi fieri potest sine admiratione Fidelium præfati Decreti anni 1741 servetur dispositio.

700. Director Calendarii Romani petiit declarari: 1.º An in secundis Vesperis Dominicæ SS. Trinitatis concurrentibus cum Festo primæ vel secundæ classis, fieri debeat commemoratio de Dominica? S. Congregatio respondit; *Negative.*

2. An occurrente in Octava SS. Corporis Christi Festo duplici 1 classis, fieri debeat in secundis Vesperis commemoratio de eadem Octava, an potiùs sequentis Festi S. Cordis Jesu? R. *Affirmativè ad 1 partem; Negativè ad 2. Die 27 Martii 1824.*

701. Archiconfraternitas S. Stigmatum Veliterren. semper usa est Capellano in publicis Processionibus superpelliceo et stolâ induto. Novissimè visum est Parochis Civitatis illam ab hujusmodi consuetudine deturbare, sub prætextu, quòd stola parochialis jurisdictionis sit peculiare distinctivum, quodque S. C. in generali decreto 12 jan. 1703, requisita: an in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam, responderit: negativè extra propriam Ecclesiam. Sodales verò Confraternitatis rogarunt pro consuetudinis manutentione.

Et S. Congregatio immemorabili usu maturè perpenso, habitâque ratione, quòd Decreto generali minime obstante, etiam in Urbe et alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens tandem, decere et conveniens esse, ut Confraternitatum Capellanus à simplicibus Clericis distinguatur, rescribendum censuit: *servandam esse consuetudinem, et nihil innovandum. Die 27 Martii 1824.* Factâ autem relatione SS.<sup>mus</sup> D.<sup>nus</sup> Leo XII. S. Congregationis rescriptum approbavit. Die 30 Martii 1824.

Ut generale haberi posse videtur hoc decretum, quo moderatur antiquum illud anni 1703; generalem igitur dat regulam, eoque magis, quia Apostolicâ auctoritate responsio S. Congregationis fuit approbata.

702. In ecclesia Statûs Lombardo-Veneti sequens accidit casus : Sacerdos subitò apoplexiæ ictu fuit percussus in principio functionis Feriæ VI, in Parasceve : cùmque inveniri non posset alter Sacerdos jejunos, excepto Diacono assistenti, locus datus est duobus quæsitis 1. An in tali casu functio illa usque ad finem sit proseguenda ? An continuanda sit per Diaconum jejunos, an per sacerdotem non jejunos ?

Casus de quo agitur verè est singularis. Similis fortè nunquam per plurium sæculorum fugam contigerat ; accidit tamen anno 1824 in altera ex ecclesiis Statûs Veneti. Quâ ratione pro novitate rei consultum fuerit, omninò ignoratur : nec certè poterat in temporis angustia à Missalis Rubricis, vel à Liturgicarum rerum Scriptoribus lumen aliquod peti, cujus ope, quid facto opus esset agnosceretur. Plurimum tamen interest, immò S. R. C. visum est omninò necessarium maturo examini subicere proposita dubia, ut cognoscatur quomodo agendum sit, si idem casus impostero contingat. Quapropter exquisito voto duorum Theologorum et R. D. Assessoris respondit : *Ad 1. Provisum in 2. Ad 2. Si ministrans ut Diaconus est sacerdos et jejunos, ipse, assumptâ Casulâ, proseguatur Officium, et Missam Præsanctificatorum absolvat, alterque non jejunos sacerdos ei succedat in munere Diaconi : quatenus verò ille sit dumtaxat in Diaconatûs Ordine constitutus, et nemo alius adsit sacerdos jejunos, cesset Officium, et sacra Hostia reponatur in Tabernaculo, die sequenti post sumptionem Calicis à celebrante sumenda. Die 5 Martii 1825.*

Quibus omnibus SS.<sup>mo</sup> D.<sup>no</sup> Leoni XII. Pont.

Max. per secretarium relatis, Sanctitas sua sacræ Congregationis responsa approbavit, confirmavit, et ita in posterum in similibus servandum esse decrevit. Die 8 Martii 1825.

703. Nuntiatum est PP. sacrorum Rituum Congregationi præpositis, aliquibus in Ecclesiis Diocesis Gandaven., in administratione sacramentorum, nonnulla invaluisse, quæ præscriptis in Rituali regulis adversantur, nec tam facilè, per eos quibus Ecclesiarum cura demandata est, eliminari valerent, idcirco supplici libello dubia quædam exposuerunt, ut ex S. hujus Congregationis responsis quid retinendum, quidve repudiandum sit probè cognoscant. Sunt autem

1. Facti species — « Rector Ecclesiæ reperit in  
 » Ecclesia sua consuetudinem renovandi Panem pro  
 » sacrificio Missæ, et Communione Fidelium sin-  
 » gulis tribus mensibus tempore hyemis, tempore  
 » verò æstivo solitum confici pro sex mensibus :  
 » hinc quæritur : 1. An, attentâ consuetudine,  
 » Rector licitè consecrare possit species à tribus  
 » mensibus tempore hyemis, vel à sex mensibus  
 » in æstate confectis? 2. An casu, quo Rector,  
 » sive Pastor Ecclesiæ praxim illam approbet, nec  
 » velit eam relinquere, alii sacerdotes in eadem  
 » Ecclesia inservientes, possint tutâ conscientiâ in  
 » hoc Pastori obsecundare, utendo præfatis spe-  
 » ciebus? » Et S. Congregatio respondit ad 1. *Negativè, et eliminatâ consuetudine, servetur Rubrica.*  
 Ad 2. *Negativè.*

Rituale Romanum jubet SS. Eucharistiæ particulas frequenter à parochio renovari. Clara lex est; sed quoniam Rubrica tempus, intrâ quod particulæ renovandæ sunt, non declarat, id aliis

ex fontibus singulariter est desumendum. A. S. Carolo Borromæo statutum est, ut octavâ quâque die renovetur Eucharistia, et quidem ex hostiis non ante viginti dies ad summum confectis. Idem expressè mandant recentiores Synodi. Habemus etiam S. R. Congregationis decretum 5 Septembris 1662, quo idipsum præcipitur: *In renovatione, quæ quolibet octavo die fieri debet de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, consumi debet tum Hostia, tum etiam particulæ, quæ existunt in Tabernaculo post sumptionem sanguinis ante purificationem, etc.* Et infinita propemodùm Martenius de Antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1, cap. 5, num. 5, affert testimonia, quibus comprobatur constantem esse disciplinam Ecclesiarum renovandi particulas semel in hebdomada, vel saltem ad summum de quindecim in quindecim dies. Si ad quindecim itaque dies protrahatur renovatio non id reprobandum, quia hoc intrâ breve tempus baud formido quòd sacræ species corrumpantur. Conf. Romsée tom. I art. XIII.

41. Facti species. — « In Parochiis ruralibus, ubi » longum faciendum est iter, plerumque portatur » SS.<sup>imum</sup> Sacramentum Eucharistiæ ad ægrotos, » eisque administratur cum stola super vestem » communem absque Cotta, sive superpelliceo. » Quæritur propterea 1. An praxis illa, ubi in- » valuit, et Ordinarii locorum non contradicunt, » retineri possit? Et si negativè, quæritur: An » saltem Sacramentum Extremæ Unctionis cum » stola tantùm administrari possit? » R. Ad 1. » *Negativè, et eliminatâ consuetudine, servetur Ri- » tualis Romani præscriptum. Ad 2. Negativè ut ad » proximum.*

Si omnia, quæ Ritualis Romani Rubricæ servanda jubent, adamussim tenenda sunt, multò magis ab iisdem non est recedendum, quæ respiciunt sacramentorum administrationem. Altera autem ex generalibus regulis in sacramentorum administratione servandis est quæ sequitur : *in omni sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus (Parochus) et desuper stolâ ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit.* Sed et alia est specialis *de Communione ministranda infirmis Rubrica* in qua declaratur qualis debeat esse habitus ministri Sacramentum deferentis : *Ubi verò convenierint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, sacerdos indutus superpelliceo et stolâ, et, si haberi potest, pluviali albi coloris, etc.* Erit fortè nonnemo, qui reponat, non hæc omnia semper esse in præcepto, et excipiendum esse casum, in quo locus fiat alicui indulgentiæ non sumendi superpelliceum, si nempe longius, aut difficilius iter obeundum sit. Erat quammaximè qui ita opinatur, inquit R. Assessor, quippe casum hunc Rubrica non præterit, imò modum in eo servandum præscribit. En verba : *Quòd si longius, aut difficilius iter obeundum sit, et fortassè etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursâ includere, et ita ad pectus alligare, atque obstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat : quoad superpelliceum, et stolam nulla fit limitatio, aut exceptio. Quòd si quando longius est iter et difficilius, dispensandum Parochum voluisset Rubrica à delatione superpellicei et stolæ, hic erat locus appositè id adnotandi. Hoc notatum non video; igitur in hoc contemplato casu per istam Rubricæ declara-*

tionem, nihil detractum est alteri suprâ relatâ quæ jubet superpelliceum, et stolam assumendam à Parocho, vel quoque sacerdote viaticum deferente et ministrante.

Quod ad dubium secundum attinet, Rubrica speciatim agens de Sacramento Extremæ Unctionis, ait: *Deindè posito oleo super mensam; superpelliceo, stolâque violacei coloris indutus, ægroto Crucem piè deosculandam porrigit*, etc. En præscriptum præter stolam etiam superpelliceum. Casus certè necessitatis dari potest, quin tempus suppetat sumendi vestes pro hoc Sacramento administrando præscriptas. Minimè verò causa erit sufficiens, quæ ab usu præscriptarum vestium excuset, si longum ac difficilium ineundum sit iter.

III. Facti species. — « Sacerdotes curam animarum exercentes pro sua commoditate apud se in domibus suis retinent Sanctum Oleum Infirmorum. An attentâ consuetudine hanc praxim licitè retinere valeant? » R. *Negative, et servetur Rituale Romanum, excepto tamen casu magnæ distantiae ab Ecclesia, quo in casu omninò servetur etiam domi Rubrica quoad honestam, et decentem, tutamque custodiam.*

Ritualis Romani Rubrica rigorosè locum non adsignat pro sacris custodiendis oleis, sed quod expressè non jubet, tacitè tamen designatum intelligitur, et ex contextu aliisque Rubricæ locis, declaratum videtur esse Ecclesiam. Vult enim, ut *hæc vascula in loco proprio, honesto, et mundo sub clave, et tuta custodia asserventur, etc.* Quis autem decentem, honestum, et mundum locum extra Ecclesiam à Rubrica consideratum

fuisse putabit? Præterea quòd lex apertè non dicit, universalis omnium Ecclesiarum constans disciplina declarat. Nam ubique Ecclesia locus est, in quo Sacra Olea asservantur; at varius est locus pro iisdem custodiendis. Ideo nonnullis in Ecclesiis consueverunt reponi in custodia prope altare majus, sed seorsim ab illo; in aliis servantur in custodia sacrarum rerum, quam Sacristiam, sive sacrarium, et Secretariam vocant; alii tandem intra ipsum, vel saltem prope Fontem baptismalem, ut in promptu sint Chrisma, et Oleum Catechumenorum, dum infantes baptizandi deferuntur.

Quovis autem in loco ex memoratis Sacra Olea custodiantur, semper, ac solemne cuique fuit summa cum reverentia eadem servare, et custodire in Ecclesia.

IV. Facti species. — « Sacra Olea in Coena Domini benedicta transmittuntur ad Decanos Foraneos, qui ea distribuunt Pastoribus suorum Districtuum. Quæritur: An Decani distributionem differre possint usque post Dominicam in Albis? » R. *Negative*.

Rubricæ generales cùm Pontificalis, tum Ritualis certam ponunt regulam, ut ante Paschalem solemnitatem sacra Olea per Parochias distribuantur, nisi causa intercedat, qua cohonestari queat dilatio; e. g. locorum distantia, viarum difficultas et asperitas, necnon aeris temporumque intemperies. Ab inducta autem consuetudine, quæ potius appellari debet abusus, minimè dilationis causa peti potest. Illud enim ex arbitraria hac consuetudine sequitur grave incommodum, ut, si interea contingat baptizari



infantem, vel infirmum extrema unctione muniri, cogatur Parochus veteribus oleis uti, quod nefas est, dum haberi possunt recenter consecrata. Si verum est à peccato excusari non posse Parochum, seu Sacerdotem, qui sua culpa negligat, aut sub reprobandæ consuetudinis prætextu olea recentia recipere, quibus utatur in administratione baptismatis et extremæ unctionis, eritne à reatu immunis habendus Decanus foraneus, qui sine causa, aut ulla necessitate, differat traditionem Oleorum ad Paroecias usque ad Dominicam in Albis? Consul. *Barrufaldus tit. de sacris Oleis.*

V. Facti species. — « Multi pastores accepta »  
 » sacra Olea apud se deponunt in domibus suis  
 » usque in sequentem diem dominicam; et tunc  
 » cum solemnibus Processionibus, videlicet cum Cruce,  
 » cum candelis ardentibus sub Baldachino à toto  
 » Clero in habitu portantur ad Ecclesiam, exponunturque  
 » in aliquo Altari cum hymnis, et eadem solemnitate  
 » portantur ad Fontem Baptistalem eique infunduntur: Quæritur, 1. An  
 » Pastores rectè retineant sacra Olea in domibus  
 » suis usque in Dominicam receptionem eorumdem  
 » subsequentem? 2. An sacra Olea cum tali solemnitate  
 » introduci possint in Ecclesiam? 3. An cum tali  
 » solemnitate infundi possint in Fontem Baptistalem,  
 » cui non potuerunt infundi in vigilia Paschatis,  
 » cum tunc necdum haberi potuissent? R. Ad 1. Jam  
 » provisum in responsione ad Quæsit. III. Ad 2. Tollendam  
 » esse inductam consuetudinem, et servandas Ritualis  
 » Rubricas. Ad 3. Jam provisum in præcedenti.

Dubia hæc discutiens R. D. Assessor plurimi-

bus testimoniis probat solemnitate illam deferendi sacra Olea ad Ecclesiam uni convenire sanctissimo Eucharistiæ sacramento; atque exindè in errorem induci posse rudem populum, qui, cùm videat sacra olea tanta solemnitate deferri, in falsa veniet opinione, quòd ipsis non reverentia solùm, sed et cultus debeatur, qui soli SS.<sup>m</sup> Eucharistiæ sacramento competit.

Tandem quæritur — « An Benedictio cum Indulgentia plenaria, juxta constitutionem Benedicti XIV. *Pia Mater*, 5 Aprilis 1747, imperianda sit pueris, qui, defectu ætatis, primam Communionem necdum instituerunt? » R. *Affirmativè*.

Atque ita Sac. Rituum Congregatio, requisita priùs sententia in scriptis unius sacr. Apost. Cæremoniarum Magistri, typis etiam vulgata, respondit et servari mandavit. *Die 16 Decembris 1826.*

## DECRETUM URBIS ET ORBIS.

704. Gliscentibus undequaque erroribus, et ab Ecclesiæ instituto alienis, sæculo X, doctrinis compescendis suscitavit Deus Optimus Maximus Petrum Damianum vitæ sanctimonia et doctrinæ laude commendatissimum, quem sa. me. Stephanus Papa IX ex Fontis Avellanæ solitudine avulsus, Cardinalitia decoratum dignitate, Episcopum Hostiensem renunciavit, plurimisque perfunctum Legationibus sibi per Romanos Pontifices concreditis morum suavitate, et Catholicæ Ecclesiæ unitatem restituendam curavit exemplo, scriptis, prædicatione, quibus indesinenter ad octuagesimum

ætatis suæ annum navavit : unde quum primùm fluxi hujus contemptibilisque mundi vitam cum æterna commutavit, illicò universalis Ecclesiæ consensu ejusdem sanctitas ubique locorum diffusa, coli, et in veneratione esse incepit, aucta postmodum Officii et Missæ concessione. Sed Virum hunc sanctum, et tot nominibus de universa Ecclesia optimè meritum, nondum habuisse locum in Martyrologio Romano, in eoque desiderari, ut par erat, ejusdem Elogium, indecorum visum est cùm Hostiensi Ecclesiæ, tum universæ Camaldulensium Congregationi, cujus idcirco Procurator Generalis Abbas Albertinus Bellenghi in Ordinario sacrorum Rituum Congregationis Conventu coacto undecimo Kalendas Aprilis vententis Anni 1828 humillimè petiit descriptionem in Romano Martyrologio nominis S. Petri Damiani, unà cum adprobatione Elogii in eodem apponendi.

Et E.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> Patres antedictæ Congregationi præpositi, singulis perpensis, quæ in doctissima allegatione fuerunt opportunè deducta etc., censuerunt esse rescribendum : *Elogium exhibitum transcribatur in Martyrologio Romano.*

Facta autem de prædictis omnibus et singulis SS.<sup>mo</sup> D.<sup>no</sup> Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, Sanctitas sua in omnibus annuendo, sacræ Congregationis Rescriptum approbavit, et confirmavit, et] Decretum Urbis et Orbis desuper evulgandum mandavit. Septimo Kalendas Aprilis 1828.

Elogium verò, de quo suprà, et in Martyrologio inserendum est : *Die 22 Februarii. Faventiæ S. Petri Damiani Cardinalis, et Episcopi Hostiensis doctrina et sanctitate celebris.*

## DECRETUM URBIS ET ORBIS.

705. Providentissimus Deus, qui electam suam sponsam Ecclesiam super Apostolorum et Prophetarum fundamentum posuit, eamque summo angulari lapidi Christo Jesu innixam voluit, sapientissimo cavit consilio, ut ad illius præsidium jugiter egregii, sanctique vigilarent Pastores, qui non modò sublimioris virtutis exemplo fidelium Ecclesiæ filiorum mores ad justitiam pietatemque componerent; verùm etiam ingenio, doctrinâque celebres, eosdem in fidei veritate consolidarent. Hos propterea divinus Præceptor Sal terræ, mundique Lumen nuncupavit, qui non vivæ tantùm vocis officio cæterorum Pastorum instar sibi commissam plebem, sed cunctos Christifideles omniumque sæculorum posteritatem conscriptis Libris sapientia et doctrina refertis, etiam extincti erudire non cessant. Quos inter eminet etiam Sanctus Petrus Damianus ab sa. me. Stephano IX aliàs X Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, et Ostiensis Episcopus renunciatus, qui sæculo XI Dei Ecclesiam meritis et doctrinis illuminavit, designatus idcirco scriptorum elogio Vir et sanctitate et doctrina per sua tempora clarus. Hujus porro sanctissimi Viri de Universa Ecclesia tot nominibus optimè meriti nondum extensum fuisse Festum per ipsam universalem Ecclesiam, dolentes Apostolici senatus Patres, ita summum Ecclesiæ Hierarcham, et caput Pontificem Maximum Leonem XII per Postulatoriam Epistolam sacri Cardinalium Collegii nomine deprecati

sunt, ut ex sacrorum Rituum Congregationis Consulto ejusdem S. Petri Damiani Festum celebrari præcipiat universa in Ecclesia septimo Kalendas Martii cum Officio, et Missa de Comuni Doctorum, necnon cum Lectionibus, et Oratione propriis jam pro aliquibus Locis adprobatis. Qua Postulatoria unà cum Animadversionibus R. P. D. Virgillii Pescetelli sanctæ Fidei Promotoris, et Advocati ac procuratoris Responsionibus diligentissimis in ordinario sacrorum Rituum Cœtu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto delata, E.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> Patres sacris Ritibus tuendis præpositi audita relatione E.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> Domini Cardinalis Julii Maria de Somalia Episcopi Ostiensis et Veliterni Ponentis, eidemque Congregationi Præfecti, momentis omnibus hinc inde allatis sedulò libratis, maturèque discussis, unanimi consensu rescribendum censuerunt: *Consulendum SS.<sup>mo</sup> pro gratia.* Die 27 Septembris 1828.

Facta autem de præmissis omnibus et singulis SS.<sup>mo</sup> Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per me infrascriptum ejusdem sacræ Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua in omnibus annuendo, Sacræ Congregationis Rescriptum approbavit et confirmavit, ac *S. Petrum Damianum Doctorum Albo recensuit, ejusque Officium sub ritu dup. min. cum Lectionibus primi Nocturni de Scriptura instar concessionis factæ Clero Ravenaten. de Anno 1725 ad universam extendit Ecclesiam*, ac desuper Generale Decretum Urbis et Orbis expediri præcepit. Kalendas Octobris ejusdem Anni 1828.

706. Dubia S. Congregationi à R. Seminarii Episcopalis Leodiensis Præsidente proposita. 1. Ec-

clesia Seminarii Episcopalis Leodiensis dedicata est sub invocatione SS.<sup>rum</sup> Cornelii Pap. et Cypriani Ep. Martyrum, quorum festum incidit in 16 Septembris. Sed Canonici Regulares S. Norberti, qui ante Revolutionem Gallicam prædictæ Ecclesiæ inserviebant, officium illud celebrabant 14 Septembris ut ponitur in Martyrologio Romano, transferendo festum Exaltationis Sanctæ Crucis in 16 ejusdem mensis; petitur: An Sacerdotes prædictæ Ecclesiæ adscripti huic usui se possint conformare, vel an debeant stare dispositioni Breviarii Romani?

2. In missali Romano quatuor assignantur Missæ de uno Martyre extra tempus Paschale, in Breviario verò tres tantum Homiliæ, nulla enim datur correspondens Evangelio Missæ *In virtute*; unde cum prædicta Missa celebrari debet, legitur Evangelium ex alia Missa de uno Martyre, ut Missa cum officio concordet, unde accidit, quòd nunquam legatur Evangelium *Nolite arbitrari*. Equidem in fine Breviariorum quæ tum hìc Leodii tum alibi typis edita fuerunt, Homilia habetur conformis citato Evangelio desumpta ex S. Hieronymo lib. in Matth. cap. 10., quæ sic incipit: *Supra dixerat: quod dico vobis in tenebris*; verum dubitatur, an sit approbata, et an tuta conscientia legi possit. Ratio dubitandi est, quòd Directoria hujus Diocesis nunquam Homiliam hanc legendam assignent.

Hisce autem dubiis E.<sup>mi</sup> Patres Sacris Ritibus præpositi in ordinario Cœtu ad Vaticanum sub die 16 Decembris 1828 respondendum censuerunt: Ad 1. *Festum SS. Cornelii Pap. et Cypriani Ep. Martyrum celebrari potest prædicta in Ecclesia decimo*

*octavo Kalendas Octobris, ceu Titularium die scilicet passionis, sicuti Canonicis Regularibus S. Norberti fuerat indultum.*

*Ad 2. Legi potest Homilia S. Hieronymi in prædictum Evangelium ad correspondentiam Officii cum Missa obtinendam.*

707. Moniales Spiritus Sancti Ordinis Sancti Spiritus in Civitate Hispalen. rogarunt pro facultate retinendi Pallium coloris rubri in Altari, in quo exponitur SS.<sup>mum</sup> Sacramentum Dominica Pentecostes, et duabus sequentibus Feriis. Sacrorum Rituum Congregatio respondit : *Obstant Decreta. Die 19 Decembris, 1829.*

## PIUS PAPA VIII.

### AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

708. Quod unum ad Divi Bernardi Claravallensis Abbatis honorem et laudem plenè cumulatèque amplificandam maximè pertinere videbatur; quod erat in votis inelyto Monachorum Cistercensium Ordini, de hac S. Sede semper optimè merito cujus propagator ac decus præcipuum S. Abbas memoratus refulsit; quod erat optandum ab Universa Catholica Ecclesia, cui mentis illius acumine, suavitate morum, ac sacrarum Litterarum peritia maximè fuit adjuvamento, quum tot ipse Volumina ediderit, Apostolicam sedem, Summosque Pontifices studio et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, et debacchantium ea ætate Novatorum errores voce et calamo oppugnaverit, atque extinxerit.

rit, ac quoscumque Romanæ Ecclesiæ osores sua doctrina retuderit, quod VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sollicitabant preces, id, divino disponente consilio, Humilitati Nostræ perficere datum est. Licèt enim pluribus abhinc sæculis, et viginti tantum annis elapsis à pretiosa illius morte, à fel. rec. Alexandro PP. III. Prædecessore Nostro sanctitate vitæ, miraculisque cognitis albo Sanctorum fuerit ipse adscriptus, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen ejus virtutum, meritorumque coronæ aliquid fulgoris erat addendum, titulus Doctoris, quo Divus Bernardus jam appellabatur, supremo hujus S. Sedis Decreto in Universa Ecclesia confirmando. Quamvis autem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus tuendis præpositi in ordinario Conventu in Quirinali Palatio habito die 18 julii anno 1829, referente cl. me. Cardinali Julio Maria de Somalia jam S. R. C. Præfecto, petitæ confirmationi tituli Doctoris simul omnes proclivem animum ostendissent, Nos nihilominus, suspenso hujusmodi judicio; Sanctæ hujus Sedis morem servantes, si quid obijci posset, id per S. Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium proferri mandavimus. Quibus quum responsiones subjecissent Postulatores in ordinario Conventu diei 17 julii currentis anni in Quirinalibus ædibus, referente dilecto Filio Nostro Placido S. R. E. Cardinali Zurla nuncupat. Nostro in hac Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, re diutiùs perpensa, solutisque objectis omnibus, ac ejusdem S. R. C. Cardinalium sententiis consentientibus, Rescriptum pro Gratia



confirmationis tituli Doctoris cum officio, et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus, ac Litteras Apostolicas hac desuper re expediri mandavimus. Quapropter precibus totius Ordinis Monachorum Cistercensium, quibus plures dignitate, ac pietate præstantes Viri sua studia, ac postulata junxerunt benignè annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore præsentium, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus Abbas est hactenùs in dicto Ordine, et in aliquibus Ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuò ei attribuimus; ita quidem, ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, et in anniversario die festo tum à Regulari, tum à sæculari Clero celebrando, Officium ac Missa fiat de Communi Doctorum, et cum Epistola secundo loco, quæ incipit: *Justus etc.* cum additione VI. Lectioni, et Martyrologio juxta Decretum ejusdem S. R. C. Ac præterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modò privatim, sed publicè in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, Christianis res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus. Tandem, ut Christifidelium devotio ad hujus Doctoris diem festum colendum, ejusque opem piè implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc cœlestis gratiæ dono se uberiùs conspexerint

esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo ejusdem Doctoris verè poenitentes, et sacramentali confessione præmissa, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, et unam ex Ecclesiis Ordinis Cistercensium à primis vespere usque ad occasum solis ejusdem diei devotè visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur, declarantes hanc præsentem Nostram concessionem perpetuò duraturam, sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi. Quodcirca Universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Prælati per universum terrarum Orbem constituti per præsentem mandamus, ut quæ superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Diocæsesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis sæcularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus ubique locorum, et gentium inviolatè perpetuò observari procurent. Hæc præcipimus, atque mandamus, non obstantibus constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earundem præsentium Transumptis seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo per-

sonæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsùs fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20 Augusti 1850, Pontificatus nostri Anno secundo.

J. CARD. ALBANI.

### IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS ET DOCTORIS.

Missa de Communi Doctorum, cum Epistola secundo loco, quæ incipit: *Justus cor suum.*

Officium pariter de Communi Doctorum cum Antiph. *O Doctor*, in utrisque Vesperis. Lectiones 1. Nocturni de Script. occur. Lectiones II. Nocturni propriæ ut in Breviariis, et in fine VI. Lectionis addatur ut sequitur:

Pius verò VIII. Pont. Max. ex sacrorum Rituum Congregationis consilio sanctum Bernardum universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit, et confirmavit, necnon Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias Plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cistercensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones III. Nocturni: *Vos estis sal terræ.*  
In Martyrologio addatur: Quem Pius VIII. Pont. Max. universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit et confirmavit.

## DECRETUM.

*Suprascriptam additionem VI. Lectioni faciendam in Officio S. Bernardi Abbatis et Doctoris, et Martyrologio Romano ab E.<sup>mo</sup> et R.<sup>mo</sup> D. Card. Placido Zurla Relatore Causæ, et R. P. D. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore revisam, SS.<sup>mus</sup> Dominus Noster Pius VIII. Pont. Max. adprobavit, atque in suprad. Officio et Martyrologio in universali Ecclesia legi posse concessit. Die 23 Julii 1830.*

C. M. Episc. Prænest. Card. Pedicinius Præf.  
J. G. Tatati S. R. C. Secretarius.

709. Nonnulla dubia à R.<sup>mo</sup> Marsorum Episcopo proposita. 1. In Ecclesiis in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, quum Rubrica clarè non loquatur, quæritur quæ Missa legenda sit in Processione S. Marci, ac Rogationum minorum, præsertim si occurrat officium duplex? R. *Si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum, secùs de Festo cum commemoratione earundem.*

2. Juxta Rubricam Breviarii et Decreta S. C., Antiphona finalis B. M. V. præter tempus paschale dici debet stando omnibus diebus Dominicis infra annum, à primis vesperis sabbati usque ad occasum solis ipsius Dominicæ. Quæritur ergo 1. An à primis vesperis sabbati usque ad occasum solis in Dominica semper standum sit etiamsi non recitetur officium Dominicæ, sed vel sabbati vel Feriæ secundæ? 2. Utrùm sit genuflectendum, si post occasum solis officium Dominicæ recitetur. R. *Ad 1. Affirmativè. Ad 2. Negativè.*

3. In aliquibus Breviariis et Missalibus Orationes S. Juliani, S. Fidelis, Postcommunio S. Joannis Nepomuceni, S. Bernardini, S. Hieronymi Æmiliani, S. Joannæ Franciscæ, Postcommunio S. Januarii, Octavæ Passionis D. N. J. C. Feriæ quartæ post Dominicam secundam Quadragesimæ in vespertis concluduntur: *in unitate Spiritus sancti*: quæritur an nomen *spiritus* quod in iis Oratationibus legitur, indicet reverà Spiritum sanctum, et quomodo sint concludendæ? R. *Negative ad primam partem: ideoque quoad secundam more solito concludendæ.*

4. Quando quis causâ itineris, vel studii, vel aliis de causis extra Patriam, sive Diœcesim versetur, debetne recitare officium sui Capituli, Ecclesiæ et Beneficii, vel etiam simpliciter Diœcesis, an verò officium illius loci, in quo reperitur? R. *Beneficarii tenentur semper ad officium propriæ Ecclesiæ, simplices verò sacerdotes conformari possunt officio loci ubi morantur.*

5. Anniversaria, quæ celebrantur à Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus etc. pro omnibus in genere Canonicis, Confratribus defunctis, possuntne celebrari, si in illis diebus occurrat officium duplex? R. *Negative juxta Decreta præsertim in Corduben. diei 5. Decembris 1735.*

6. Crux, quæ Feria sexta in Parasceve est detegenda, et adoranda debetne esse lignea, an potest esse etiam de metallo, præsertim si in ea lignum veræ Crucis includatur? R. *Servetur Rubrica Missalis, vel laudabilis consuetudo.*

7. In ultimo majoris Hebdomadæ triduo removendane est à vasis Ecclesiæ aqua benedicta?

R. *Affirmativè, ac retinenda consuetudo illam amovendi.* Atque ita S. Congregatio decrevit et servari mandavit. *Die 12 Novembris 1851.*

710. Providentissimum consilium sac. me. Pii Papæ VII., quo per suum à Latere Legatum in Galliis quinto Idus Aprilis 1804 adhibuit modum, et ordinem recolendi Reparationis nostræ Divina Mystera, sanctorumque Festa celebrandi in ipsorum Festorum contractione sequenti Dominica, Indulti ejusdem finem assequutum esse facilè quis sperare poterat, præsertim per subsequens Decretum sextodecimo Kalendas Augusti Anni 1850 à S. R. C. datum, quo nonnullis dubiis ab R.<sup>mo</sup> Rhedonensi Archiepiscopo propositis eadem super re omnia explanata fuère, sed præter spem quamplurimis novis Dubiis locum hoc dedit, quæ dum de mandato ejusdem S. Congregationis ab alterutro ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris judicio expendebantur, alter supplex libellus R.<sup>mi</sup> Cœnomanensis Episcopi superadditus est, in quo pro suæ conscientiæ tranquillitate S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit.

1. Utrùm sit in votis sanctæ sedis Apostolicæ, et Indulto diei 9 Aprilis 1804 sit consentaneum, ut solemnitates Epiphaniæ, sanctissimi Corporis Christi, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum Patronorum cujuslibet Diœcesis, et Parœciæ in Dominicam proximè sequentem in Gallia transferantur quoad omnia, id est quoad feriacionem, et Octavam simul, et Officium insuper sive publicum sive privatum, sicut in sua Diœcesi Cœnomanensi ordinatum est? An verò ipsa officia prædictarum Festivitatum cum earum Octa-

vis seu publicè, seu privatim propriis occurrentiæ suæ diebus juxta antiquum et universalem cæterarum Ecclesiarum morem celebranda sint, sicut pro diœcesi Mechliniensi statutum esse ex responsione diei 21 junii 1804 concludere est?

2. Utrùm in hypotesi quòd sola solemnitas sit differenda, propriis occurrentiæ diebus solemnitates celebrari debeant, licèt nullatenùs interesse teneatur Populus fidelis, Missa major ac Vesperæ sicut in Dominicis et Festis in omnibus Diœcesis Parœciis?

Et eadem S. Congregatio exquisito priùs voto alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, dubiis omnibus maturè perpensis, et discussis sanctissimi Domini Papæ Oraculum expectandum rata est per Rescriptum. *Ad E.<sup>mum</sup> Præfectum cum Sanctissimo ad Mentem.* Et ita rescribendum censuit. *Die 12 Novembris 1851.*

Facta autem de præmissis omnibus sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo per E.<sup>mum</sup> Præfectum fideli relatione, Sanctitas sua, attentis peculiaribus facti circumstantiis ad dubia omnia præcidenda, stabiliendamque uniformitatem benignè annuit in omnibus juxta Votum Magistri Cæremoniarum, atque ad proposita Dubia respondendum

Ad 1. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam juxta mentem Cardinalis Legati et ejus Instructionem, et juxta præxim sacrorum Rituum Congregationis.*

Ad. 2. *Affirmative, et juxta Rubricarum Leges.*

Atque ita servari Sanctitas sua mandavit omnibus in Locis et Diœcesibus, queis Indultum Anni 1804 super reductione Festorum per E.<sup>mum</sup>

Dominum Cardinalem Caprara Legatum à Latere extenditur. *Die 29 recensiti Mensis et Anni.*

711. Dubia quæ sequuntur, sacrorum Rituum Congregationi à R.<sup>mo</sup> Ordinario Namurcensi proposita, unà cum responsis ad calcem Directorii Namurcensis anni 1856 inserta leguntur.

DUB. I. Gavantus dicit S. R. C. die 28 Augusti 1627 decrevisse : « Orationem præscriptam » à superiore pro publicâ causâ regulariter omit-  
 » tendam esse in festis primæ classis. » Idem Auctor affirmat communiorem usum insigniorum Ecclesiarum Urbis esse ut neque dicatur hujusmodi oratio in missis privatis nedum in solemnibus in festis secundæ classis. Aliundè citatur sequens decretum ad Episc. Tuden. in Hispania 7 Septembris 1816. (in hac collectione n. 621.) « Si Oratio præcepta sit pro re gravi, » dicenda erit in dupl. 1.<sup>æ</sup> Classis; in dupl. verò » 2.<sup>æ</sup> Classis arbitrio sacerdotis. » Inde animi fiunt ancipites, cum præsertim superior non so-  
 leat præcipere Orationem nisi pro re gravi. Postulatur decisio. RESP. *Detur Decretum Regni Hispaniarum diei 15 Maii 1819, nimirum : Negative in duplicibus primæ classis, ut aliàs responsum fuit; quoad duplicia verò secundæ classis, poterit ad libitum Celebrantis legi vel omitti Collecta imperata in Missis privatis tantum : in Conventuali et solemnibus omittenda.*

DUB. II. Juxta Rubricas Breviarii tit. 26. n. 9 Lectiones de Scripturâ positæ in Comuni Sanctorum leguntur quando aliquod festum novem Lectionum occurrit in Quadragesimâ, etc. an (posito quòd non assignentur in Proprio sanctorum) semper sumendæ sunt de Comuni 1.<sup>o</sup> loco?



et quatenus negativè an pro libitu sumuntur in 1.º vel 2.º loco, vel quandonam? Signanter si Festum S. Raymundi de Pennafort transferatur in Quadragesimam, an Lectiones primi Nocturni dicendæ sint: *Beatus vir*; an *Justus si*?  
 RESP. *Regula in casu desumatur ex Lectionibus III Nocturni.*

DUB. III. 1.º si S. Joannes Cantius non habeat secundas Vesperas integras, an Hymnus harum Vesperarum anticipandus est in laudibus? 2.º Si contingat Festa S. Venantii 18 Maii, et S. Julianæ à Falconeriis 19 Junii, ita transferri ut habeant secundas Vesperas integras, an Hymnus proprius primarum Vesperarum repetendus est in secundis Vesperis? RESP. *Affirmativè in omnibus.*

DUB. IV. Die 18 Decembris in Festo Expectationis Partûs B. M. V. finis Hymnorum est: *Virtus, honor, laus, gloria* etc. an, ut legitur in Breviariis Leodii et Antverpiæ impressis, excipiendus est Hymnus Matutini: *Verbum supernum prodiens*?  
 RESP. *Negativè.*

DUB. V. In Belgio, sicuti in Galliâ vi reductionis Festorum factæ auctoritate Pii Papæ VII plura sunt Festa, quorum solemnitas transfertur in dominicam proximè occurrentem. Exinde plurimæ enatæ sunt difficultates ad praxim, pro quarum solutione quæritur: 1.º An missa canenda sit more votivo cum unica oratione in Dominicâ, quando Festum, cujus solemnitas transferenda præscribitur, incidit in ipsam Dominicam, v. g. anno præterito solemnitas SS. Petri et Pauli? RESP. *Negativè.*

2.º An commemoratio omnium SS. Apostolorum facienda in Solemnitate SS. Petri et Pauli,

habeat locum in die Festivitatis vel in Dominicâ, in quam solemnitas transfertur, vel in utraque?

RESP. *In die Festi.*

3.º Idem quæritur quoad Parochias, quarum S. Stephanus est Patronus, de Commemoratione omnium SS. Martyrum in ipsius Festivitate præscripta? RESP. *Ut ad proximum.*

4.º Ex instructione data Parisiis die 11 Decembris 1806 à Cardinali Legato à Latere, sola solemnitas præfatorum Festorum differtur in Dominicam subsequentem, in quâ Officium quidem à Clero tam publicè, quàm privatim, et Missa recitabitur juxta Rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem, canetur tamen una Missa sollemnis de Festis illis more votivo cum unica oratione; an autem Officium etiam vespertinum Dominicæ occurrentis, si fiat de eâ, cantandum est *solemniter* seu cum pompâ (servato tamen ritu semiduplici), ratione sollemnitatis translatae? RESP. *Posse.*

5.º In reductione Festorum S. P. Pius VII. « Eam » legem adjunctam esse voluit, ut in Festis diebus, vigiliisque eas præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil » de consueto Divinorum Officiorum, sacrarumque » Cæremoniarum ordine, ac ritu innovetur, sed » omnia eâ prorsùs ratione peragantur, quâ hactenus consueverunt. » Indultum 9 Aprilis 1802. An igitur in Festis, quorum solemnitas differtur in occurrentem proximam Dominicam, Officium publicum tam matutinum quàm vespertinum peragendum est sicuti ante reductionem. RESP. *Affirmativè.*

6.º An licet cantare missam *de Requiem* corpore præsentem in Dominicis, in quas transfertur solem-

nitas illorum Festorum 1.<sup>æ</sup> classis? An illud licet in ipsâ die Festivitatibus? RESP. *Servetur Rubrica sicuti ante Reductionem Festorum, et extendatur etiam ad Dominicam.*

7.<sup>o</sup> Nonnullis Festis, quorum solemnitas differatur in Dominicam sequentem, interdicuntur sacra in sacellis domesticis, quæritur, an illud interdictum intelligendum sit de die Festivitatibus, vel de Dominicâ, in qua fit solemnitas? RESP. *In die Festi.*

8.<sup>o</sup> Si in unam eandemque Dominicam incidat solemnitas translata, v. g. SS. Petri et Pauli, et Patroni Diœcesis, vel Parochiæ, equidem celebranda erit dignior, an altera transferenda est in primam Dominicam; quæ si fuerit impedita, an adhuc in aliam? RESP. *Affirmativè.*

9.<sup>o</sup> Si Dominica, ad quam juxta Indultum præfatum transferenda esset solemnitas, sit dies propria S. Joannis-Baptistæ, an solemnitas Patroni transferenda erit ad primam Dominicam non impeditam, ne scilicet (cùm Festum S. Joannis sit ejusdem ritus, nec transferri possit) duplex solemnitas 1.<sup>æ</sup> classis eâdem die in una Ecclesia peragatur? Dicitur sequens responsum ab Eminentissimo Cardinali Caprara pro tempore Legato à Latere datum fuisse dubiis propositis à Camberiensis Episcopo: « 1.<sup>o</sup> Si in unam eandemque » Dominicam incidat Solemnitas translata tum » Anniversarii Dedicationis, tum Patroni, ea » solemnitas celebranda erit de digniori, sci- » licet de Dedicatione, translato minus digno, » id est, festo Patroni ad primam Dom. non im- » peditam juxta Rubricas. 2.<sup>o</sup> Si Dominica, ad » quam juxta indultum reductionis Festorum

diei 9. Aprilis 1802 transferenda esset solemnitas Patroni sit dies propria S. Joannis Baptistæ, tunc solemnitas Patroni transferenda erit ad primam Dominicam non impeditam juxta Rubricas, ne scilicet (cùm Festum S. Joannis Baptistæ sit ejusdem ritus, nec transferri possit) duplex solemnitas 1.<sup>m</sup> classis eâdem die in una Ecclesiâ peragatur. » An præfatum responsum est authenticum et applicandum similibus casibus? RESP. *Juxta Instructionem à Cardinali Legato à Latere Episcopo Camberiensis datam.*

DUB. VI. An est authenticum Decretum sequens; « Dies 3.<sup>a</sup> Februarii non potest assignari alicui Sancto dup. vel semid. semper translato pro ejus certâ et perpetuâ sede. 9 Augusti 1681. » Et quatenus affirmativè an transferendum est in alium diem Festum S. Raymundi de Pennafort, quod ratione Desponsationis B. M. V. in his regionibus fuit (sive benè, sive malè) fixum in 3.<sup>a</sup> Februarii? RESP. *Affirmativè in omnibus. Die 25 Maii 1835.*

712. Duo denique dubia ex directorio Mechliniensi anni 1838 deprompta hic adjicimus. Beatissime Pater : Reverendissimus Urbis Gratianopolitane Episcopus non s. nel rogatus fuit, ut novas in suâ Diœcesi Ecclesias solemniter consecraret. At juxta hujusmodi dedicationis officium quædam difficultates occurrerunt, quas, ut jam non amplius eveniant, explanare velit Sanctitas vestra Oratori supplicii infrascripto benigniter attendens.

1.<sup>o</sup> Officium Dedicationis Ecclesiæ particularis, quod ritu annuali (id est solemnissimo) cum Octava celebratur, debetne tam privatim quàm publicè inchoari à primis Vesperis pridie Dedic-

cationis, cum Matutino ejusdem Festi, vel incipere tantum Consecratione Ecclesiae facta, id est circumciter ad Horas minores?

2.º Pontificale Romanum expressè innuit quòd pridie Dedicationis Ecclesiae Matutinum cum Laudibus canendum sit (ac proinde recitandum pro privatim dicentibus) de Sanctis, quorum Reliquiae reconduntur in vase ante fores Ecclesiae posito. Illud Officium obligatne sub gravi? Numquid eo in die duplex Matutinum sit recitandum, unum de Sanctis et alterum de Dedicatione?

Hujusmodi dubiis per infrascriptum Oratorem relatis, in Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, E.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus maturè perpensis, rescribendum censuerunt: Ad 1. *Affirmativè ad primam partem; Negativè ad secundam, et à clero tantum servitio Ecclesiae strictim addicto.* Ad 2. *Officium de Dedicatione; vigiliæ juxta Pontificale ante Reliquias de Sanctis.* Ac ita rescripserunt et servandum esse mandaverunt. *Die 23 Maii, anno 1835.*

Cardinalis PEDICINUS, S. R. C. Præfectus.

---

Ex authentica Collectione Decretorum Congregationis sacrorum Rituum ea solum depromenda duximus, quæ publicæ utilitati prodessent, præsertim verò dirimendis controversiis, quæ sæpè excitantur, inservire possent. Ad opus illud eximium Lectorem remittimus, qui accuratam sibi in Liturgia sacra comparare cupit scientiam. In promptu regulas et decisiones habebit penè infinitas, de quarum sensu, authenticitate, et auctoritate nefas est dubitare. Hæc

enim gravissima occurrunt incommoda in Auctoribus, qui negotium sibi dederunt Decreta sacrorum Rituum Congregationis in unum volumen colligendi, quòd compendioso nimis usi sint calamo. Neque omnia, neque integra dant Decreta; sed plerumque vel Decreti summarium, vel simplex Rescriptum à dubii, factive specie avulsum. Unde fit, ut tanquam regula generalis habeatur, quod locum tantummodò obtinet in casu particulari. Hinc ad quamcumque amovendam ambiguitatem, Præstantissimo Assessori operæ pretium visum est non solum sensus ipsius Congregationis per concisas periodos exhibere, sed verba ipsa Decretorum prout in Actis authenticis in secretaria prælaudatæ Congregationis asservata jacent proferre. Et ne quid deesse videretur doctissimis etiam commentariis et adnotationibus Decreta saltem recentiora exornare studuit. Titulus operis est: DECRETA AUTHENTICA CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM ex actis ejusdem S. C. collecta curâ et studio sacerdotis ALOYSII GARDELLINI, ejusdem S. R. C. Assessoris, et subpromotoris Fidei, ab anno 1588, ad annum nunc 1851. Tomi septem in-4.<sup>to</sup> sextus INSTRUCTIONEM continet CLEMENTIS XI jussu editam de iis quæ servanda sunt pro expositione Sanctissimi Sacramenti in Oratione Quadragesimali & Horarum commentariis illustratam.

## RUBRICÆ GENERALES

## BREVIARII.

OFFICIUM QUOTIDIE FIT AUT DUPLEX, AUT SEMIDUPLEX,  
AUT SIMPLEX.

*De officio duplici. I.*

OFFICIUM fit duplex in diebus à feria quinta in cœna Domini usque ad feriam tertiam Paschæ inclusivè, in dominica in Albis, in Ascensione Domini, in dominica Pentecostes et duobus diebus sequentibus, in festo SS. Trinitatis, corporis Christi et dedicationis propriæ ecclesiæ; in festis, quibus in kalendario apponitur hæc vox *duplex*; in die octava festi habentis octavam; in festo patroni unius vel plurium alicujus loci, vel titularis ecclesiæ; et in festis Sanctorum, qui apud quasdam ecclesias, religiones vel congregationes consueverunt solemniter celebrari, cum officiis propriis à Sede apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (servatâ tamen formâ hujus Breviarii), alioquin de communi, etiamsi prædicta festa in hoc kalendario non sint descripta. Propterea officium fit duplex pro defunctis in commemoratione omnium fidelium defunctorum, et in die obitûs, seu depositionis defuncti, ut in eodem officio dicitur circa finem Breviarii.

2. Festum duplex celebratur eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri, ut dicitur in rubrica de translatione festorum.

3. Habet primas et secundas Vesperas intergras, nisi cum alio simili concurrat, ut dicitur

tur in rubrica de concurrentia officii, et totum officium fit de duplici, incipiendo à primis Vesperis, usque ad completorium sequentis diei inclusivè, nisi aliter in propriis locis assignetur. Officium autem defunctorum habet tantum primas Vesperas, Matutinum et Laudes, ut circa finem breviarii ponitur.

4. In utrisque Vesperis, Matutino et Laudibus tantum, non autem in aliis Horis duplicantur antiphonæ, id est, integræ dicuntur in principio et in fine psalmodum.

5. Ad Matutinum regulariter dicuntur tres nocturni, cum novem psalmis, et totidem lectionibus; hoc est in unoquoque nocturno tres psalmi et tres lectiones, præterquam in Paschate Resurrectionis et Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus (vide §. II, seq. n.º 4.), in quibus dicitur unum tantum nocturnum cum tribus psalmis et totidem lectionibus, ut ibidem ponitur.

6. Preces ad Primam et Completorium, et suffragia de sancta Maria, apostolis, et pace ad Vesperas et Laudes, non dicuntur in officio duplici, ut etiam in propriis eorum rubricis dicitur.

7. Quomodo sit ordinandum officium duplex in Vesperis, Matutino et cæteris Horis; similiter et de antiphonis, responsoriis, versibus, capitulis, et aliis in eo dicendis, habentur inferius de singulis propriæ rubricæ.

### De officio semiduplici. II.

1. Officium fit semiduplex diebus dominicis (exceptâ dominicâ in Albis, in qua fit duplex) et diebus infra octavas: item in festis, quibus in calendario apponitur hæc vox *semiduplex*, et in festis propriis quorundam locorum, seu congregationum quæ



solemnius apud illas, quàm simplicia, consueverunt celebrari.

2. De festo semiduplici, fit eo die quo cadit, nisi contingat transferri, ut dicetur in rubrica de translatione festorum.

3. Habet totum officium integrum, sicut duplex, sed non duplicantur antiphonæ.

4. Ad Matutinum dicuntur tres nocturni, præterquam infra octavas Paschæ et Pentecostes, in quibus dicitur unum nocturnum cum tribus psalmis et totidem lectionibus; et regulariter quando dicuntur tres nocturni, dicuntur novem psalmi et totidem lectiones, exceptis iis dominicis, in quibus fit officium ut in psalterio, quæ habent xvij. psalmos, ut ibi.

5. Quomodo sit ordinandum officium semiduplex tam in festis, quàm in dominicis, et infra octavas, item et de antiphonis, versibus, responsoriis, et hujusmodi aliis, et quando in semiduplici dicantur preces ad Primam et Completorium, et suffragia de Sanctis ad Vesperas et Laudes, habentur inferius de singulis propriæ rubricæ.

### *De officio simplici. III.*

1. Officium fit simplex in diebus ferialibus, quando occurrit fieri de feria: item in festis, quibus in calendario non apponitur hæc vox *duplex*, vel *semiduplex*, vel *de octava*: item quando fit de B. Maria in sabbato, ut in ejus rubrica dicitur.

2. De festo simplici fit eo die quo cadit, nisi eodem die occurrat fieri officium novem lectionum vel de S. Maria in sabbato, vel de aliquibus feriis, quibus festum simplex cadit, ut dicetur in rubricis de feriis et de commemorationibus.

3. Habet tantum primas Vesperas, in quibus dicuntur psalmi feriales, et à capitulo fit de festo, nisi cum eo concurrat officium novem lectionum, quia tunc de eo fit sola commemoratio, ut dicetur in rubrica de concurrentia officii, et ejus officium terminatur ad Nonam, et nihil amplius fit de eo, nec commemoratio.

4. Ad Matutinum post invitorium et hymnum de festo, dicitur unum tantum nocturnum cum duodecim psalmis, ut in psalterio secundum feriam quæ occurrit, et tres lectiones leguntur, ut infra in rubrica de lectionibus habetur.

5. Quomodo sit ordinandum officium simplex ad Vesperas, Matutinum et alias Horas, item et de antiphonis, versibus, responsoriis et aliis, ac quando preces et suffragia de Sanctis dicenda sint, habentur inferius propriæ rubricæ.

#### *De dominicis. IV.*

1. De dominica semper fit officium in dominicis adventus, et in dominicis à septuagesima usque ad dominicam in Albis inclusivè, quocumque festo duplici vel semiduplici adveniente, quia tunc festum transfertur (ut in rubrica de translatione festorum dicetur), nisi illud festum sit de principali titulo, vel patrono alicujus ecclesiæ, vel loci, aut dedicatione propriæ ecclesiæ, quia tunc de hujusmodi festo fit tantum in ecclesia, vel loco, cujus est titulus, vel patronus, vel dedicatio, cum commemoratione dominicæ; quibusdam dominicis exceptis, ut dicetur in rubrica de commemorationibus. In aliis dominicis per annum fit de dominica, quando in eis non occurrit festum duplex, quia tunc fit de duplici cum commemoratione dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus, et ad Matutinum legitur nona lectio de homilia dominicæ, ut dicetur in rubrica de

commemorationibus. Si semiduplex eodem die occurrat, transfertur, ut dicetur in rubrica de translatione festorum.

2. De dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et corporis Christi occurrentibus, officium fit sicut infra octavam, et in proprio de tempore, cum commemoratione octavæ, et sine precibus et suffragiis Sanctorum. In dominicis verò, quæ occurrunt infra alias octavas, totum officium fit de dominica, ut in psalterio, et in proprio de tempore, cum commemoratione octavæ, omissis etiam dictis precibus et suffragiis, ut supra. De dominica occurrente in die octava fit commemoratio, sicut dictum est, quando in ea fit de festo duplici, præterquam in die octava Epiphaniæ, in qua nihil fit de dominica, quia ejus officium ponitur in sabbato præcedenti.

3. Positum est autem officium sex dominicarum post Epiphaniam, et viginti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta dominicarum, quæ esse possunt ab Epiphania usque ad septuagesimam, et à Pentecoste usque ad adventum; ne ulla ex his dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio. Nam quæ aliquando supersunt post Epiphaniam ante septuagesimam, ponuntur post xxij. à Pentecoste, hoc ordine.

4. Si dominicæ post Pentecosten fuerint xxv., dominica xxiv. post Pentecosten erit quæ est vj. post Epiphaniam. Si fuerint xxvj., dominica xxiv. erit quæ est v., et xxv. quæ est vj. Si fuerint xxvij., dominica xxiv. erit quæ est iv., et xxv. quæ est v., et xxvj. erit vj. Si fuerint xxviii., dominica xxiv. erit iij., et xxv. erit iv., et xxvi. erit v., et xxvii. erit vj., et ultimo loco semper ponitur, quæ in ordine est xxiv. post Pentecosten, etiamsi post Pen-

tecosten aliquando non sint nisi xxiiij. dominicæ. Tunc enim xxiv. ponitur loco xxiiij., et officium xxiiij. ponitur in præcedenti sabbato, quod non sit impeditum festo novem lectionum: alioquin in alia præcedenti die similiter non impedita, in qua fiat officium de feria, cum commemoratione festi simplicis, si occurrat; et in ea leguntur tres lectiones de homilia dominicæ, omissis lectionibus Scripturæ illius ferix, et in Laudibus dicatur antiphona ad Benedictus, et oratio de dominica xxiiij. Quòd si tota hebdomada impedita sit festis novem lectionum, etiam translatis, vel aliquà octavà, tunc in sabbato legatur nona lectio de homilia dominicæ xxiiij, et de ea fiat commemoratio in Laudibus tantum cum antiphona et oratione propria.

5. Cùm verò interdum contingat, ut dominica ij. vel iv. vel v. vel vj. post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post xxiiij. à Pentecoste, tunc de ea fit officium in sabbato ante dominicam septuagesimæ, ut dictum est suprà numero præcedenti.

6. De dominica ij. post Epiphaniam, quando septuagesima venerit immediatè post octavam Epiphaniæ, quomodo agendum sit officium, habetur in propria rubrica ante dominicam j. post Epiphaniam.

7. Cùm autem in proprio de tempore dicitur aliquà dominica esse prima mensis, in qua primò ponitur initium libri de Scriptura cum sua historia, id est, cum responsoriis, animadvertendum est, eam dici primam dominicam mensis, quæ venit in Kalendis illius mensis, vel est proximior Kalendis, hoc modo: Si Kalendæ venerint in ij. et ij. et iv. feria, dominica prima mensis erit quæ præcedit Kalendas, licèt veniat in præcedenti mense: si autem Kalendæ venerint in v. et vj. feria et sabbato, prima dominica erit quæ sequitur post ipsas

Kalendas. Dominica autem prima adventûs non sumitur ea, quæ est proximior Kalendis Decembris, sed festo S. Andreae; vel quæ venerit in ipso festo.

8. Officium dominicæ fit semiduplex et incipit à primis Vesperis in sabbato, et habet totum officium integrum usque ad Completorium dominicæ inclusivè, nisi cum aliquo concurrat, ut dicitur in rubrica de concurrentia officii.

9. Ad Matutinum dicuntur tres nocturni cum psalmis, ut in psalterio; et leguntur novem lectiones, ut in proprio de tempore.

10. Quomodo autem sit ordinandum ejus officium, insuper et de lectionibus, responsoriis, et aliis, et quomodo initia librorum Scripturæ cum sua historia sint ponenda, habentur de singulis inferiùs propriæ rubricæ.

### *De feriis. V.*

1. Officium feriale, hoc est simplex, de tempore occurrenti, prout in psalterio et proprio de tempore habetur, fit semper in feriis adventus, quadragesima, quatuor temporum, vigiliarum, et in feria secunda rogationum, quando infra hebdomadam non occurrit festum duplex, vel semiduplex, vel de octava; quia tunc de hujusmodi feriis fit commemoratio, ut dicitur in rubrica de commemorationibus. Si verò in eis occurrat festum simplex, de eo fit tantum commemoratio. Item per annum fit officium de feria illis diebus, quibus infra hebdomadam in calendario non ponitur aliquod festum duplex, semiduplex, vel simplex, et non occurrit aliqua octava, vel officium S. Mariæ in sabbato, vel aliquod festum solemne, aut consuetum in aliqua ecclesia

celebrari, quamvis in kalendario hujus breviarii non sit descriptum.

2. Officium feriæ in adventu, quadragesima, quatuor temporibus, vigiliis, et prima die rogationum, incipit à Matutino: in aliis verò feriis per annum, indè fit de feria ubi desinit officium præcedentis diei, ita ut si præcedenti die fuerit duplex, vel semiduplex, officium feriæ incipiat sequenti die à Matutino: si præcedenti die fuerit festum simplex, de feria fiat à Vesperis illius præcedentis diei inclusivè. Similiter et quando in feria iv. et vj. quatuor temporum Septembris, et in feria iv. cinerum, ac in vigiliis occurrit aliquod festum simplex, de quo fieri debet commemoratio, tunc præcedenti die (nisi fuerit festum novem lectionum) in Vesperis fit de feria, ut in psalterio, sine precibus; cum oratione dominicæ præcedentis, et cum commemoratione festi trium lectionum in sequenti feria occurrenti, ut dicetur infrà in rubrica de concurrentia. Terminatur autem officium de feria subsequente, duplici vel semiduplici, ad Nonam: subsequente verò simplici, de quo fieri debeat officium, ad capitulum Vesperarum, quia indè fit de festo simplici absque ulla deinceps commemoratione feriæ.

3. Ad Matutinum dicitur unum tantum nocturnum cum xij. psalmis, secundum ordinem feriarum in psalterio, et tribus lectionibus, ut in proprio de tempore.

4. Excipiuntur ab hoc ordinario officii ferialis tres feriæ majores hebdomadæ sanctæ, et feriæ octavarum Paschæ et Pentecostes, in quibus fit officium, ut in propriis locis ponitur.

5. Quomodo ordinandum sit officium de feria ad Matutinum et alias Horas, item de lectionibus et responsoriis, et quando dicendæ sint preces

feriales, ac de aliis quæ ad officium feriæ pertinent, habentur inferiùs de singulis propriæ rubricæ.

### De vigiliis. VI.

1. De vigilia fit officium in omnibus vigiliis per annum, quæ jejunantur ubi in calendario annotatur hæc vox *vigilia*, nisi in die vigiliæ occurrat festum novem lectionum, vel octava: tunc enim in officio novem lectionum legitur nona lectio de homilia vigiliæ, et fit commemoratio de ea ad Laudes tantùm, cum antiphona ad Benedictus, et y. feriæ occurrentis de psalterio, et oratione vigiliæ, præterquam in illis festis majoribus, quæ inferiùs excipiuntur.

2. Si vigilia occurrat in dominica, de ea fit officium in sabbato, quod non sit impeditum officio novem lectionum, quia tunc de vigilia fit tantùm commemoratio, ut dictum est. Excipitur ab hac regula vigilia Nativitatis, et Epiphaniæ Domini; quæ si venerint in dominica, fit de illis, ut in propriis rubricis dicitur. Si autem in vigilia occurrat festum solemne alicujus loci, vel ex solemnioribus infra annum, quæ inferiùs in rubrica de commemorationibus numerantur (veluti si in vigilia sancti Joannis Baptistæ venerit festum corporis Christi) nihil tunc prorsùs, nec commemoratio fit de vigilia, exceptâ vigiliâ Epiphaniæ. Idem servetur quando aliqua vigilia venerit in adventu, quadragesima, et quatuor temporibus: nulla enim in his feriis de vigilia fit commemoratio.

3. Officium vigiliæ incipit ad Matutinum, sicut dictum est in superiori rubrica de feriis: terminatur autem ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti festo.

4. Officium vigiliæ totum fit de feria occurrenti, ut in psalterio, et tres lectiones leguntur de homilia in evangelium vigiliæ, ut in propriis locis assignatur, cum tribus responsoriis de feria occurrenti, ordine in rubrica de responsoriis descripto. Dicuntur preces feriales et commemorationes communes, aliaque omnia sicut in feriis adventûs, quadragesimæ, et quatuor temporum, de quibus et de aliis circa ordinandum ejus officium habentur inferiùs propriæ rubricæ.

5. Excipitur ab hoc ordinario vigiliarum quæ jejunantur, vigilia Pentecostes, quæ cum tribus nocturnis sub officio semiduplici celebratur, ut ibi, et vigilia Nativitatis Domini, quæ, nocturno feriæ excepto, in Laudibus et Horis habet reliquum officium duplex. In vigiliis verò Epiphaniæ et Ascensionis, quæ non jejunantur, fit officium ut in propriis locis notatur.

### De octavis. VII.

1. De octava fit officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo festo, vel dominicâ impeditur) per octo dies continuos. Fit de octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in festo corporis Christi, in festis, quibus in kalendario apponitur *octava*, et item in festo dedicationis propriæ ecclesiæ, et in festo principalis patroni, et titularis loci, vel ecclesiæ, et in festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam ecclesias, congregationes et religiones consueverunt solemniter cum octavis celebrari, nisi illa festa venerint in quadragesima: quo tempore omittitur officium cujuscumque octavæ. Quòd si aliquod festum, quod celebrari solet cum octava, paulò ante quadragesimam venerit, et jam per aliquot dies factum sit officium de ejus octava,



adveniente quadragesima, nihil ampliùs fit de ea, nec commemoratio. Et idem servetur de octavis nondum absolutis, quando supervenit festum Pentecostes, et dies 17 Decembris.

2. In Pascha Resurrectionis, et Pentecostes, officium octavæ terminatur in sabbato sequenti ad Nonam.

5. Infra octavas fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus, ac etiam translatis, ut dicetur infra de translatione festorum, num. 5 cum commemoratione octavæ: nisi illa festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti rubrica de commemorationibus, in quibus nulla fit commemoratio de octava; exceptis octavis Nativitatis, Epiphaniæ et corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque festo in illis occurrente. Infra octavas autem Paschæ et Pentecostes non fit de festo aliquo, etiam principali patrono, vel titulari Ecclesiæ, vel dedicatione ejusdem, sed transfertur post octavam. Infra octavam Epiphaniæ fit tantum de patrono, vel titulari ecclesiæ, et de dedicatione ejusdem (non tamen in die octava) cum commemoratione octavæ. Infra octavam corporis Christi fit tantum de duplicibus, non tamen de translatis, cum commemoratione octavæ: de semiduplicibus verò infra eam non fit, sed transferuntur post octavam, ut dicitur in rubrica de translatione festorum. De simplicibus infra quascumque octavas occurrentibus fit tantum commemoratio, præterquam in duobus diebus post Pascha et Pentecosten, ut dicitur in sequenti rubrica de commemorationibus. De dominicis infra octavas occurrentibus fit officium, ut dictum est supra in rubrica de dominicis. Si duæ octavæ simul occurrant (ut octava sancti Joannis Baptistæ, et octava corporis Christi, vel octava patroni, vel titularis eccle-

siæ cum alia octava) quando non erunt celebranda festa novem lectionum, vel dies dominicus, fiet officium de digniori, cum commemoratione alterius. De die autem octava cujuscumque festi fit totum officium duplex, cum commemoratione diei infra aliam octavam. De festis occurrentibus in die octava; servetur quod dicitur in rubrica de translatione festorum.

4. Officium de octava fit cum tribus nocturnis, novem scilicet psalmis, et novem lectionibus (exceptis octavis Paschæ et Pentecostes, in quibus fit cum uno nocturno, ut suis locis ponitur) et omnia dicuntur sicut in die festi, præter lectiones, quarum primæ tres semper sunt de Scriptura occurrente in officio de tempore, præterquam infra octavam Assumptionis beatæ Mariæ, in qua singulis diebus positæ sunt lectiones propriæ de Canticis Canticorum: aliæ lectiones secundi et tertii nocturni dicuntur quæ infra octavam positæ sunt. Infra octavam verò patroni vel titularis ecclesiæ, aut alterius festi, quod in aliquibus ecclesiis consuevit cum octava celebrari, si apud illas ecclesias non habentur propriæ et approbatæ lectiones pro secundo et tertio nocturno infra octavam, repetantur lectiones positæ in communi Sanctorum, si de Sanctis fiat octava, alioquin lectiones diei festi.

5. Infra octavam officium fit semiduplex, in die octava duplex; in Vesperis infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis festi; et in primis Vesperis diei octavæ omnia sicut in primis Vesperis festi, nisi aliter in propriis locis notetur.

6. Infra octavas non fiunt suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur preces ad Primam et Completorium, etiamsi fiat officium de dominica, vel festo semiduplici. In aliis, quomodo sit ordi-

nandum officium de octava, habentur inferius propriæ rubricæ.

*De officio S. Mariæ in sabbato. VIII.*

1. In omnibus sabbatis per annum extra adventum et quadragesimam, ac nisi quatuor tempora aut vigiliæ occurrant, vel nisi fieri debeat de feria propter officium alicujus dominicæ aliquando infra hebdomadam ponendum, ut in rubrica de dominicis dictum est; et nisi fiat officium novem lectionum, vel de octava Paschæ et Pentecostes, semper fit officium de sancta Maria, eo modo quo fit de festo simplici, quemadmodum circa finem breviarii disponitur. De festo autem simplici in sabbato occurrente fit tantum commemoratio.

2. Cum verò supradictis diebus fieri non potest officium de S. Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter sabbatum, sed tantum in semiduplicibus (quando ejus officium parvum non dicitur) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis suffragiis positis in psalterio post Vesperas sabbati.

3. Ejus officium in sabbato incipit feria vj. ad modum festi simplicis, à capitulo, et terminatur ad Nonam sabbati. Si autem feria vj. occurrat officium novem lectionum, in Vesperis fit tantum commemoratio de S. Maria cum antiphona, versu et oratione, quæ habentur in officio ejus in sabbato, nisi illud officium novem lectionem fit de eadem beata Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est.

4. Ad Matutinum post invitatorium et hymnum de S. Maria, dicitur unum nocturnum cum duodecim psalmis ferialibus, ut in psalterio. Versus de S. Maria, prima et secunda lectio ex Scriptura

de tempore occurrente, tertia lectio, et alia omnia tam in Matutino, quàm in Laudibus et Horis, ut in officio sanctæ Mariæ in sabbato assignantur.

5. Dicuntur preces dominicales ad Primam et Completorium, et fiunt suffragia consueta de apostolis et de pace, et tempore Paschli sola commemoratio de cruce, ut in secunda feria post octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis suffragiis, quando dicenda sunt in officio de dominica.

#### *De commemorationibus. IX.*

1. Commemorationes fiunt de festis simplicibus, quando in eorum diebus incidit festum novem lectionum etiam translatum, vel dominica, vel octava, vel sabbatum, et quando fieri debet de feria, ut ponatur officium alicujus dominicæ, quæ eo anno supersit.

2. De feriis adventûs, quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum et secunda rogationum, fit commemoratio, quando festum novem lectionum in illis feriis occurrit. Si simplex festum in iisdem feriis occurrat, officium fit de feria, et commemoratio de festo simplici.

3. Præterea fit commemoratio de dominica à Pentecoste usque ad adventum, et ab Epiphania usque ad septuagesimam, et à dominica in Albis usque ad Pentecosten exclusivè, quando festo duplici impediuntur. De aliis dominicis nulla fit commemoratio occurrente festo duplici, quia festum in illis occurrens transfertur: nisi illud festum fuerit principalis patroni, vel tituli, aut dedicationis ipsius ecclesiæ, non autem alicujus capellæ, vel altaris ejusdem ecclesiæ; et tunc de hujusmodi principali festo fit tantum in

eo loco, vel ecclesia, cujus est Patronus, vel titulus, aut dedicatio, cum commemoratione dominicæ, exceptâ dominicâ 1 adventûs, dominicâ 4 quadragesimæ, dominicâ passionis, dominicâ Palmarum, dominicâ Paschæ, dominicâ in Albis, ac dominicâ Pentecostes et SS. Trinitatis, in quibus hujusmodi occurrens festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam; dummodò non fuerit infra majorem hebdomadam, et per octavam Paschæ et Pentecostes: quibus diebus non fit de aliquo festo duplici occurrente.

4. De octava etiam, quando festo novem lectionum, vel dominicâ impeditur, fit commemoratio, nisi illud festum novem lectionum fuerit solemne principale alicujus loci, ut suprâ. Nam in primis Vesperis et Laudibus hujusmodi festi, nulla fit commemoratio festi simplicis occurrentis, nec alicujus vigiliæ (exceptâ vigiliâ Epiphaniæ), nec alicujus diei infra octavam, nec alicujus præcedentis festi novem lectionum (nisi id festum fuerit ex iis quæ infrâ in hac eadem rubrica enumerantur), nec diei octavæ, nec dominicæ, si festum illud solemne celebretur feriâ secundâ: exceptis dominicis adventûs, et dominicis à septuagesima usque ad octavam Paschæ inclusivè: de quibus dominicis, sicut etiam de feriis adventûs, quadragesimæ, quatuor temporum, et secundæ rogationum semper fit commemoratio quocumque festo adveniente. Quòd si hujusmodi festum solemne venerit in quacumque dominica, fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis et Laudibus. Et similiter, si occurrat in die octava alicujus festi habentis octavam, de ea fiet commemoratio etiam in utrisque Vesperis et Laudibus. In secundis autem Vesperis festi prædicti

fit commemoratio de duplici, semiduplici, et dominica sequentibus, et non de aliis.

5. Idem servatur in quibusdam festis majoribus per annum, scilicet in Nativitate Domini (in cujus officio nulla fit commemoratio de sancta Anastasia, sed in secunda tantum missa), in Epiphania, in Pascha Resurrectionis, cum tribus proximè antecedentibus, et duobus sequentibus diebus, in Ascensione Domini, in Pentecoste, cum duobus sequentibus diebus, in festo corporis Christi, in festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et Assumptionis beatæ Mariæ, in festo omnium Sanctorum et in festo dedicationis propriæ ecclesiæ, in quibus festis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum est suprâ de festo solemni alicujus loci.

6. In festis autem secundi ordinis, videlicet Circumcisionis, SS. Trinitatis, Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis beatæ Mariæ, in natalitiis xij apostolorum et evangelistarum, in festo sancti Joseph, in festo inventionis sanctæ crucis et in festo sancti Laurentii et dedicationis sancti Michaëlis archangeli, in primis Vesperis fit commemoratio festi duplicis eo die celebrati, nisi aliter in propriis locis notetur: de dominica verò, de die infra octavam, et de festis semiduplicibus non fit commemoratio eo modo, quo nec in festo solemni alicujus loci, ut dictum est suprâ. De simplicibus et vigiliis in his festis occurrentibus, legitur nona lectio et fit commemoratio in Laudibus tantum. In secundis autem Vesperis, fit commemoratio de quocumque sequenti festo, etiam simplici, et de die infra octavam, si de ea fieri debeat officium die sequenti. De octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et corporis Christi, semper fit commemoratio in utrisque Vesperis et

Laudibus, quodcumque contigerit infra illas de aliquo alio festo officium celebrari juxta rubricam de octavis, num. 3.

7. De dominicis et feriis adventûs et quadragesimæ commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus. De feriis quatuor temporum, vigiliarum et secunda rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet, fit in Laudibus tantum. De festis autem simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant), commemoratio fit in primis Vesperis et Laudibus eo die quo in calendario assignantur. De aliis verò dominicis per annum et octavis, commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus, nisi concurrant cum suprâ enumeratis festis.

8. Commemorationes fiunt hoc modo. Post orationem diei, in primis Vesperis dicitur antiphona quæ posita est ad Magnificat, et in Laudibus quæ posita est ad Benedictus in communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus officio, cujus fit commemoratio. Post antiphonam dicitur versus, indè sumendus, undè sumpta est antiphona, scilicet post hymnum Vesperarum et Laudum: deindè dicitur oratio. Si antiphona et versus festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent de eodem communi, undè sumpta sunt in officio diei, in festo commemorationis variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus; et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem communis, nisi aliter signetur. Et similiter si in secundis Vesperis sanctæ Agathæ, aut alterius Sanctæ, novem lectionum fieri debeat commemoratio beatæ Mariæ pro ejus officio in sequenti sabbato celebrando, ne repetatur *ÿ. Diffusa est gratia*, dicatur *ÿ. Benedicta tu*, ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit oratio festi, de quo fit officium, et ejus de quo fit commemoratio,

mutetur oratio pro commemoratione in aliam de communi. Si de tempore fiat commemoratio, de dominica scilicet vel feria, antiphona et versus ante orationem eodem modo sumantur ex proprio de tempore, si habuerit proprium, alioquin de psalterio: oratio verò ex proprio de tempore.

9. Quando fit commemoratio de dominica, vel feria, quæ habent propriam homiliam, nona lectio in officio diei novem lectionum legitur de homilia dominicæ, vel feriæ, quæ erit vel prima de homilia vel tres simul in una lectione conjunctæ.

10. Si in die, in quo fit officium novem lectionum, fiat commemoratio de festo trium lectionum, nona lectio legitur de festo trium lectionum, si propriam habuerit: si duas, ex duabus fiat una lectio, quæ sit nona in officio novem lectionum. Quæ lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in dominicis, quæ habent nonum responsorium, nec quando nona lectio legenda est de homilia dominicæ vel feriæ, ut supra; nec in feriis et aliis diebus, quando in officio diei leguntur tantum tres lectiones; nec etiam nona lectio legitur de die infra octavam, quando de eo fit commemoratio in dominica, vel aliquo festo, licet habeat evangelium proprium et homiliam.

11. Quando contingit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo: De duplici fiat ante dominicam, de dominica ante festum semiduplex, de semiduplex ante diem infra octavam, de die infra octavam ante ferias adventus, quatuor temporum, vigiliarum, et rogationum, et de dictis feriis ante festum simplex. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis festi novem lectionum, quod feria vj. celebratum sit, de ea fieri debet commemoratio pro officio sequentis sab-



bati) fiat ante festum simplex in sabbato occurrens. De festo simplici fit commemoratio ante suffragia, seu communes commemorationes de cruce, sancta Maria, apostolis et pace, et ante commemorationem cujuscumque tituli, vel patroni ecclesiae, quae etiam pro sui dignitate aliis suffragiis praedictis praeponeatur. De quibus suffragiis quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria rubrica.

*De translatione festorum. X.*

1. Si aliquod festum duplex occurrat in dominicis adventus, et in dominicis à septuagesima usque ad dominicam in Albis inclusivè, in vigilia Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in tota octava Epiphaniae, in feria iv. cinerum, in tota majori hebdomada, et infra octavam Paschae, in Ascensione Domini, in diebus à vigilia Pentecostes, usque ad festum SS. Trinitatis inclusivè, in festo corporis Christi et ejus die octava, in festo Assumptionis beatæ Virginis et omnium Sanctorum, transfertur in primam diem festo duplici vel semiduplici non impeditam: exceptis tamen festis Nativitatis sancti Joannis Baptistæ et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quæ in die octava corporis Christi celebrantur, excepto quoque festo quocumque solemnè alicujus loci, quod in propria tantum ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in dominicis ij. iij. et iv. adventus et quadragesimæ, dominica septuagesimæ, sexagesimæ, et quinquagesimæ et diebus infra octavam Epiphaniae (ut in rubrica de commemorationibus dictum est) celebratur. Si autem festum Purificationis beatæ Mariæ venerit in aliqua dominica ij. classis, transfertur in feriam

ij. sequentem, quamvis impeditam. Idemque est de Annuntiatione beatæ Mariæ. Si festum natiuitatis S. Joannis Baptistæ venerit in die corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione octavæ, et in secundis Vesperis corporis Christi fit tantum commemoratio sancti Joannis: sequentibus autem diebus fit officium de eadem octava corporis Christi, cum commemoratione octavæ sancti Joannis. Dies autem octava sancti Joannis tunc veniens in die octava corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei octavæ corporis Christi: et id semper servetur, quando festum habens octavam transfertur; ut non ideò dies octava transferatur, sed ipsâ die de ea fiat commemoratio, quæ aliàs erat octava, si festum non fuisset translatum. Quòd si festum post totam suam octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine octava, nisi titularis ecclesiæ privilegio aliter fieri oporteat.

2. Si in die octava alicujus festi habentis octavam, occurrat aliquod festum duplex ex majoribus supra in rubrica de Commemorationibus enumeratis, fiat de festo cum commemoratione diei octavæ: excepta die octava Natiuitatis Domini et Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem similiter non impeditam. Si autem non fuerit ex prædictis festis, fiat de octava, et festum transferatur ut supra.

3. Si aliquod festum duplex infra octavam occurrens, alio majori festo duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam, et in eo fiat commemoratio de octava.

4. Si in aliis dominicis per annum à supradictis occurrat festum duplex, non transfertur, ut dictum est in rubrica de commemorationibus.

5. Festum semiduplex occurrens diebus supradictis, et infra octavam corporis Christi, et aliis dominicis per annum, transfertur in primam diem similiter non impeditam; occurrens verò in dominicis infra illas octavas, in quibus fit de festis occurrentibus (ut dictum est in rubrica de octavis) transfertur in sequentem diem cum commemoratione octavæ: quæ si fuerit alio festo duplici vel semiduplici impedita, prædictum festum semiduplex veniens in dominica, transfertur post octavam; ita ut festum semiduplex infra octavam non transferatur, nisi in proximè sequentem diem.

6. Si duo vel plura festa novem lectionum simul eodem die veniant, fiat officium de majori, id est, de duplici, et semiduplicia transferantur. At si omnia fuerint duplicia, vel omnia semiduplicia, fiat de digniori seu solemniori, et quæ minoris solemnitatis sunt, transferantur.

7. Si plura festa novem lectionum transferenda sint, prius transferatur duplex quàm semiduplex, et inter plura duplicia, quod est magis solemne, semper prius transferatur et prius celebretur; alioquin si sint æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.

8. Festum simplex numquam transfertur, sed si de eo fieri non potest officium, fiat commemoratio ut dictum est in rubrica de commemorationibus. Si autem venerit in illis diebus, in quibus de simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius.

9. Si aliquod festum novem lectionum, in quo annotatum est fieri commemoratio alicujus Sancti, transferatur propter advenientem dominicam, vel aliud festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in

eo assignata, sed dicta commemoratio fit die suo in dominica, vel alio festo, in quo fieri possit, cum nona lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit: festum verò novem lectionum transfertur sine ulla amplius commemoratione festi simplicis prædicti. Quod etiam servatur in commemorationibus occurrentibus in vigiliis, cum de vigilia veniente in dominica fit in sabbato præcedenti: tunc enim commemoratio festi simplicis non fit in officio vigiliæ, sed in dominica.

*De concurrentia officii. XI.*

1. Concurrentia officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis.

2. Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti duplici in primis, si utraque sint ejusdem solemnitatis, regulariter à capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, nisi aliter in propriis locis annotetur. Si verò non sint ejusdem solemnitatis, servetur differentia in rubricis de commemorationibus et translatione festorum assignata; ut scilicet festa majora habeant primas et secundas Vesperas integras, cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet. Si autem post aliquod festum ex iis, quæ in secundo ordine posita sunt in rubricis de commemor. sequatur immediatè aliud ex solemnibus majoribus, Vesperæ erunt de sequenti, cum commemoratione præcedentis. Inter festa æqualis solemnitatis servetur hic ordo, ut festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras; sicuti festa B. Mariæ, festis Sanctorum: item festa

Angolorum et apostolorum, cæteris aliis : et festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel ecclesiis solemniter celebrantur, aliis in kalendario descriptis.

3. Duplici verò concurrente cum festo semiduplici, cum dominica, cum die infra octavam, cum festo simplici, et cum officio B. Mariæ in sabbato, omnia in secundis Vesperis de duplici, cum commemoratione illorum : nisi illud duplex fuerit de iis quæ excipiuntur in rubrica de commemorationibus, in quibus aliquæ commemorationes omittuntur. Duplici etiam, et quocumque officio novem lectionum concurrente cum feria, vel potius sequente feria, omnia de duplici, et nihil de feria sequente. Sed si festum celebretur in adventu et quadragesima, fit semper commemoratio de feria, ut infra dicitur. Idem dicendum de festis simplicibus venientibus cum sequenti festo novem lectionum, de quibus etiam commemoratio fit, non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in rubrica de commemorationibus.

4. Semiduplici festo, dominicâ, et die infra octavam, concurrentibus cum sequenti duplici, omnia de duplici cum commemoratione illorum, nisi duplex fuerit ex numero majorum, quæ supra in rubrica de commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici festo concurrente cum sequenti alio semiduplici, cum dominica, vel cum die infra octavam, à capitulo fit de sequenti, et commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur : semiduplici autem concurrente cum sequente festo simplici, vel cum officio B. Mariæ in sabbato, omnia de semiduplici, cum commemoratione sequentis.

5. Dominica concurrente cum sequente festo semiduplici, et cum die infra octavam, vel cum

festo simplici, omnia de dominica, cum commemoratione sequentis.

6. Die infra octavam concurrente cum sequente dominica, vel semiduplici, à capitulo fit de sequenti, cum commemoratione octavæ. Dies infra octavam cum simplici propriè non habet concursum, quia in sequenti die infra octavam non fit de simplici, nisi commemoratio, quæ et eâdem ratione in præcedenti die infra octavam fieri debet.

7. Die octava concurrente cum alia die octava, à capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, exceptâ octavâ corporis Christi concurrente cum octava S. Joannis Baptistæ, in qua de sequenti fit tantùm commemoratio et quando aliter in propriis locis notatur. Die octava concurrente cum sequenti duplici minori, etiam translato, à capitulo fit de sequenti, cum commemoratione octavæ (exceptis diebus octavis festivitatum B. M. V. etiam particularibus alicujus religionis, in quibus de sequenti fit tantùm commemoratio); concurrente verò cum sequenti duplici majori, etiam translato, totum officium fit de sequenti, cum commemoratione octavæ: excepta die octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantùm commemoratio. Si autem sequens festum etiam translatum fuerit ex solemnioribus suprâ enumeratis in rubrica de commemorationibus in secundo ordine num. 6, totum officium fit de sequenti, cum commemoratione octavæ.

8. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licèt cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed ejus officium terminatur ad Nonam, et deinceps nihil fit de eo, nec commemoratio. Si sequatur aliud simplex, psalmi

erunt de feria occurrente in psalterio ad Vesperas : et à capitulo fit de sequenti simplici sine ulla commemoratione præcedentis. Si sequatur officium novem lectionum, Vesperæ totæ erunt de eo sine ulla similiter commemoratione simplicis præcedentis. Si nullum festum sequatur, subintrat officium de tempore, et Vesperæ totæ erunt de feria.

9. Feria non potest concurrere cum alio officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis, quia ejus officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud officium. Quamvis propriè (si ei dandum est principium) sequenti feria post aliam feriam ejus officium incipiat à Matutino, et terminetur sequente alia feria ad Completorium : et ideò si feria sequatur aliam feriam, in Vesperis præcedentis feriæ nihil fit de sequenti, quoad ea quæ in sequenti feria sunt propria. Verbi gratiâ, si in Vesperis feriæ iij. ante feriam iv. cinerum fiat de feria, dicitur oratio dominicæ præcedentis, non autem ea, quæ est propria in sequenti feria iv. cinerum, nec ante orationem dicuntur preces, quæ dicendæ sunt in dicta feria iv. cinerum. Quod etiam fit quando feria per annum præcedit feriam quatuor temporum, vel vigiliarum. Hac etiam ratione superius dictum est in concurrentia aliorum officiorum, cum feria nullum officium concurrere, et nihil fieri de feria præcedenti, adveniente alio officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo die, quo officium feriarum adventus et quadragesimæ impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex præcepto Ecclesiæ prætermitti non debet.

10. Cùm verò occurrit, ut festum simplex

veniat in feriam iv. et vj. quatuor temporum, in feria iv. cinerum, et in vigiliis quæ jejunantur, Vesperæ antecedentes (nisi eâ die celebratum sit festum novem lectionum) erunt de feria communi per annum, non autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione festi simplicis in sequenti feria occurrentis. Quod ideò non fit, quia sequens feria habet primas Vesperas: sed quia, cum festum simplex in sequenti die non habeat officium propter feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eâdem ratione, si festum simplex occurrat feria v. in cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis feriæ iv. præcedentis.

*De ordinando officio ex prædictis rubricis. XII.*

1. Si quis velit ex supradictis rubricis ordinare officium occurrentis diei, videat in kalendario, et in tabula festorum mobilium, de quo fiat officium sequenti die; et ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis et aliis Horis nocturnis et diurnis.

2. Si ordinandum sit officium de tempore, id est, de dominica, vel feria, recurrendum est semper ad psalterium, ubi ordinatè ponitur quod est commune officii de tempore, cum distributione psalmorum; et ad proprium de tempore, ubi lectiones et responsoria, quædam antiphonæ et orationes ponuntur, quæ desunt in psalterio. Invitatorium, hymni, capitula, versus, responsoria brevia et antiphonæ, quæ diversis temporibus ponuntur in proprio, dicuntur loco eorum, quæ sunt in psalterio: cum verò propria non fuerint, dicuntur ut in psalterio.



3. Si officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad commune Sanctorum (nisi proprium habeat in proprio Sanctorum), ubi, pro qualitate [festi, si novem lectionum, id est, duplex, vel semiduplex fuerit, omnia ordinatè ponuntur, illis exceptis, quæ propria suis locis habentur. Si festum fuerit trium lectionum (nocturno feriæ et lectionibus exceptis) omnia sumuntur de eodem communi. Tres lectiones primi nocturni in officio novem lectionum, et prima et secunda lectio, vel prima tantum in festis trium lectionum sumuntur de Scriptura in officio de tempore, nisi aliæ in propriis locis ponantur.

4. In majoribus solemnitatibus et festis per annum, totum officium ordinatur, ut in propriis locis ponitur.

5. In festis B. Mariæ (omissis iis quæ propria in illis habentur) hymni, novem psalmi, et alia quædam requirenda sunt ex communi ejus officio parvo, circa finem breviarii.

6. Modus inchoandi officium, dicendi invitatorium, hymnos, antiphonas et versus, habetur in principio psalterii. Cum verò antiphonæ duplicandæ sunt, dicuntur integræ ante psalmos, sicut in fine psalmodum.

7. Modus dicendi absolutiones et benedictiones ante lectiones, legendi et terminandi lectiones, dicendi responsoria post lectiones, ac responsoria brevia post capitula, habetur in prima dominica de adventu.

8. Quomodo sit inchoandum, et terminandum officium per Horas, habetur in psalterio: quomodo terminandum per antiphonas beatæ Mariæ, habetur in fine Completorii.

9. Sed ut hæc omnia faciliùs habeantur, positæ sunt sequentes rubricæ de singulis Horis, earumque partibus distinctè cognoscendis.

## De Matutino. XIII.

1. Ad Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur, secundùm diversitatem officii, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur, *Pater Noster*, *Ave Maria*, *Credo*, omnia secretò : deindè clarâ voce hebdomadarius dicit : *Domine labia mea*, etc. pollice signando sibi os signo crucis : *Deus in adiutorium*, etc. manu extensâ signando se signo crucis à fronte ad pectus, et à sinistro humero usque ad dextrum (quod servatur in principio omnium Horarum, cùm dicitur *Deus in adiutorium*) cum *Gloria Patri*, et aliis, ut in principio psalterii. Deindè dicitur invitatorium conveniens officio de tempore, vel Sancto, quod dicitur cum psalmo *Venite, exultemus*, eo modo quo in principio psalterii describitur. Dicto psalmo et repetito invitatorio, dicitur hymnus, qui officio de tempore, vel de Sancto convenit.

2. Postea in duplicibus et semiduplicibus dicuntur novem psalmi (sed in dominicis plures, ut in psalterio) cum suis antiphonis et versibus, quæ tempori vel festo conveniunt, et totidem lectiones cum octo responsoriis, aliquando cum novem, ut suis locis ponitur per tres nocturnos distinctos, hoc modo :

3. In primo nocturno dicuntur tres psalmi cum tribus antiphonis, post singulos psalmos una antiphona : sed tempore Paschali, id est, à dominica in Albis usque ad Pentecosten (præterquam in officio Ascensionis Domini), tres psalmi cujusque nocturni dicuntur sub una antiphona : et in fine psalmorum post ultimam antiphonam cujusque nocturni dicitur versus : postea *Pater noster*, et *ne nos*, absolutio, *exaudi*, benedictio, *benedictione perpetua* : et aliæ ad singulas lectiones, ut in prima

dominica de adventu ordinantur. Deindè leguntur tres lectiones de Scriptura, quæ per ordinem in officio de tempore occurrunt (nisi aliæ assignentur) et ad singulas lectiones dicitur unum responsorium conveniens officio: si de tempore, ut in proprio temporis; si de Sancto, ut in proprio Sanctorum; alioquin ut in communi, etiam si lectiones primi nocturni sint de Scriptura officii de tempore.

4. In fine ultimi responsorii cujusque nocturni, dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis responsorii eo modo quo notatur in tertio responsorio primæ dominicæ de adventu, nisi aliter in propriis locis signetur.

5. In secundo nocturno dicuntur alii tres psalmi, antiphonæ, versus, *Pater noster*, absolutio, *ipsius pietas*, et ei consequentes benedictiones, ut in dicta dominica prima de adventu: tres lectiones de aliquo sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit officium, et ad quamlibet lectionem unum responsorium.

6. In tertio nocturno alii tres psalmi cum antiphonis, ut suprâ: post tertiam antiphonam, versus, *Pater noster*, absolutio, *à vinculis*, et benedictiones consequentes ad singulas lectiones, quæ erunt de homilia evangelii de tempore, vel de festo, secundum qualitatem officii, ut in eadem prima dominica de adventu ponuntur. Post vij. et viij. lectionem dicitur responsorium officio conveniens, id est, post quamlibet unum: aliquando autem dicitur etiam post nonam lectionem, ut suis locis notatur: et in fine ultimi responsorii, aut octavi, aut noni, dicitur *Gloria Patri*, ut suprâ, nisi aliter signetur. Si non dicitur responsorium, post ultimam lectionem dicitur hymnus *Te Deum*.

7. In officio trium lectionum, ad Matutinum,

*Pater noster, Ave Maria, Credo, Domine labia,* etc. Invitatorium et hymnus in feriali officio de feria, si non sint in proprio de tempore, dicuntur ut in psalterio; in festis de festo, ut in communi Sanctorum, deinde nocturnum feriæ, ut in psalterio, id est, duodecim psalmi cum sex antiphonis, et tempore Paschali cum una antiphona *alleluia*: qui dicuntur tam in officio feriali, quam in festis simplicibus.

8. Post psalmos et antiphonas dicitur versus, in feriali officio, ut in psalterio; in festis ut in communi Sanctorum: qui in festis sumitur secundum ferias ex nocturno communis, undè sumuntur responsoria, ut dicetur infra in rubricis de versibus et responsoriis. Post versum dicitur *Pater noster*, absolutio et benedictiones, ut habetur infra in rubrica de absolutionibus et benedictionibus. Tres lectiones (si non adsit homilia) singulæ in officio feriali dicuntur de Scriptura, quæ eo die occurrit in proprio de tempore: si adsit homilia, singulæ tres de homilia. In festis, prima et secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliquæ de Sancto.

9. Post singulas lectiones in feriis extra tempus Paschale, dicitur unum responsorium, ita ut dicantur tria responsoria: tempore verò Paschali, et in festis, duo tantum responsoria dicuntur, scilicet post primam et secundam lectionem tantum. In fine ultimi responsorii, secundi scilicet, aut tertii, dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis responsorii, nisi aliud notetur. Quæ responsoria in officio de Sanctis sumuntur ex communi Sanctorum; in feriali officio ex dominicis, quando propria per ferias non distribuuntur, ordine descripto in rubrica de responsoriis. Quando non dicitur tertium responsorium,

post tertiam lectionem dicitur hymnus *Te Deum laudamus*.

#### *De Laudibus. XIV.*

1. Ad Laudes, dicto hymno *Te Deum* vel ultimo responsorio, hebdomadarius absolutè dicit: *Deus in adiutorium*, etc. ut suprà, et dicuntur psalmi, et canticum *benedicite* vel aliud, ut habetur in feriali officio extra tempus Paschale, cum antiphonis officio convenientibus. Qui psalmi et canticum in dominicis per annum (exceptis dominicis à septuagesima usque ad dominicam Palmarum inclusivè) et in feriali officio temporis paschalis, ac in festis tam novem quàm trium lectionum, dicuntur de dominica, ut in psalterio. In prædictis verò dominicis à septuagesima usque ad dominicam Palmarum inclusivè, dicuntur ut suis locis ponitur. In feriali officio per annum, extra tempus Paschale dicuntur ut in psalterio.

2. Antiphonæ in dominicis, quando propriæ non assignantur, dicuntur ut in psalterio. In festis novem et trium lectionum, si non adsint propriæ dicuntur de communi. Post psalmos dicitur capitulum, hymnus, versus, antiphona ad canticum Benedictus, cum eodem cantico, et oratio: omnia pro qualitate officii de tempore, vel de festo.

3. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam orationem. Commemorationes verò de cruce, de sancta Maria, de apostolis, de patrono et de pace, similiter quando dicendæ sunt, dicuntur post orationem: nisi alia commemoratio festi simplicis occurrat, quæ semper prædictas commemorationes præcedit, de quibus in propriis rubricis dicitur,

4. Ante orationem, dicitur *Dominus vobiscum* et *oremus*; post ultimam orationem repetitur, *Dominus vobiscum*, deindè *benedicamus Domino* et versus *fidelium animæ*, *Pater noster*, *Dominus det nobis suam pacem*, et antiphona B. Mariæ, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit à choro: alioquin in fine ultimæ Horæ, nisi sequatur missa, vel officium defunctorum, vel psalmi pœnitentiales, aut litanias, ut in propria rubrica dicitur.

### De Prima. XV.

1. Ad Primam, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, secretò, *Deus in adiutorium*, etc. hymnus *Jam lucis orto sidere*, deindè inchoatur antiphona quæ convenit. Sumuntur autem antiphonæ in festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quartâ prætermissâ, ut dicitur infrà in rubrica de antiphonis. Postea dicuntur psalmi qui in dominicis et feriis dicuntur ut in psalterio. In festis autem, et tempore Paschali, tres tantùm, ut etiam ibi annotatur.

2. Post antiphonam dicitur capitulum *regi sæculorum*. In feriali officio extra tempus Paschale dicitur capitulum *Pacem*, deindè responsorium breve, *Christe Fili Dei vivi*, etc. Post r. breve in officio duplici, et infra octavas, statim dicitur oratio, *Domine Deus omnipotens*. In alio officio dicitur *kyrie eleison* cum reliquis precibus: omnia ut in psalterio. Ad y. autem *adiutorium*, hebdomadarius signat se signo crucis à fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat officium, semel tantùm dicit, *confiteor*, omissis illis verbis: *tibi pater* vel, *vobis fratres*, et, *te pater*, et *vos fratres*, et similiter dicit: *misereatur nostri*, *peccatis nostris*, *perducat nos*, quod etiam servatur ad Completo-

rium. In feriali officio, quandò dictæ sunt preces ad Laudes, adduntur aliæ preces ut ibidem in psalterio.

5. Post orationem Primæ, vel si dicatur officium B. Mariæ, post illius orationem, dicto *benedicamus*, in choro legitur martyrologium, deindè dicitur *pretiosa*, cum reliquis: quæ etiam dicuntur ab iis qui extra chorum non legerint martyrologium. In fine absolutionem capituli, in festis et aliquibus diebus pro lectione brevi dicitur capitulum Nonæ, sit adsit proprium, alioquin de communi: alio tempore, tam in dominicis quàm feriis, lectio brevis officio illius temporis in psalterio assignata.

*De Horis, Tertia, Sexta et Nona. XVI.*

1. Ad Tertiam, Sextam et Nonam, ante singulas Horas dicitur *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adjutorium*, hymnus et psalmi, ut in psalterio; antiphonæ secundùm officii qualitatem, ordine quo suprâ. Dictis psalmis et antiphonis, dicitur capitulum et responsorium breve pro qualitate officii: quæ in dominicis et feriis, quando non habentur propria in proprio de tempore, dicuntur ut in psalterio. In festis, si in proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de communi. Post responsorium breve, dicitur *Dominus vobiscum* et oratio quæ habetur in proprio de tempore: si autem fit de Sancto, ut in proprio Sanctorum, alioquin ut in communi.

2. Post orationem, repetitur *Dominus vobiscum* et dicitur *benedicamus domino*, *fidelium animæ* et *Pater noster*, secretò, ut infrâ in rubrica de oratione dominica explicatur.

*De Vesperis. XVII.*

1. Ad Vesperas, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adjutorium*, etc. Deindè dicuntur quinque psalmi, cum quinque antiphonis, ut in proprio aut communi Sanctorum signantur. In dominicis autem et feriis, antiphonæ et psalmi dicuntur ut in psalterio (ubi etiam tempore Paschali psalmi dicuntur sub una antiphona *alleluia*), nisi aliæ propriæ antiphonæ, vel psalmi (ut in dominicis adventûs et triduo ante Pascha) assignentur.

2. Post psalmos et antiphonas, dicitur capitulum, hymnus, versus, antiphona ad Magnificat, cum eodem cantico, et oratio; omnia de tempore vel de Sancto, pro qualitate officii.

3. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante orationem: commemorationes verò de cruce, de S. Maria, apostolis, patrono et pace, post orationem, ut in propriis rubricis habetur. Terminatur autem officium Vesperarum ut in aliis Horis.

*De Completorio. XVIII.*

1. Ad Completorium absolutè dicitur lectio brevis, ut in psalterio, deindè *Pater noster*, *confiteor*, *misereatur*, *indulgentiam*, *converte*, *Deus in adjutorium*, antiphona, psalmi, hymnus, capitulum, responsorium breve, canticum cum antiphona, omnia ut in fine psalterii; et post antiphonam in duplicibus et infra octavas, dicitur oratio: in alio autem officio ante orationem dicitur *kyrie eleison*, cum reliquis precibus, ut ibidem in psalterio.

2. Post versum *benedicat et custodiat nos*, etc. dicitur una ex antiphonis B. Mariæ, cum versiculo et oratione, ut ibidem, et dicto versu, *Divinum*



*auxilium*, dicitur secretò *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*.

### *De invitatorio. XIX.*

1. Invitatorium semper dicitur in omni officio ad Matutinum, cum psalmo *Venite exultemus*, ordine in principio psalterii descripto; sed variatur pro officii qualitate, ut in psalterio et proprio de tempore, ac in proprio et communi Sanctorum.

2. Non dicitur in die Epiphaniæ, nec in triduo ante Pascha, ut suis locis notatur, nec in officio defunctorum per annum, excepto die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac in die obitus, seu depositionis defuncti; et quodcumque dicuntur tres nocturni.

### *De hymnis. XX.*

1. Hymni semper dicuntur in qualibet Hora, præterquam à triduo ante Pascha, usque ad Vesperas sabbati in Albis exclusivè, et præterquam in officio defunctorum.

2. Ad Matutinum, hymnus dicitur post psalmum *Venite*, repetito invitatorio, præterquam in die Epiphaniæ. Ad Laudes et Vesperas, dicitur post capitulum; ad Horas, ante psalmos; ad Completorium, post psalmos et antiphonam.

3. Dicuntur autem in officio de tempore, ut in psalterio, quando proprii hymni in proprio de tempore non adsunt: qui hymni de psalterio in dominicis et feriis assignati, dicuntur ab octava Pentecostes usque ad adventum (dominicâ infra octavam corporis Christi exceptâ) et ab octava Epiphaniæ usque ad dominicam primam quadragesimæ exclusivè. In officio de Sanctis dicun-

tur ut in communi Sanctorum, nisi proprii in proprio Sanctorum habeantur.

4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in festo corporis Christi et per octavam, et quandocumque sit officium B. Mariæ, tam novem quam trium lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium hymnorum (præterquam in fine hymni *Ave maris stella*, et hymni ad Laudes in festo corporis Christi, qui habent ultimum versum proprium) dicitur, *Jesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*, etc. ut in ejus officio parvo, etiamsi dicantur hymni de Sanctis, qui infra octavas prædictas celebrantur, dummodò hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut hymnus sanctæ crucis ad Vesperas, et plurimorum martyrum ad Matutinum.

5. In Epiphania Domini, et per octavam, in fine omnium hymnorum, dicitur *Jesu tibi sit gloria, Qui apparuisti Gentibus*.

6. A dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste et per octavam in fine omnium hymnorum dicitur *Deo Patri sit gloria, et Filio qui à mortuis*; etiam in festis Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium, dummodò hymni sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, qui non mutatur, ut supra.

7. In Ascensione autem usque ad Pentecosten (præterquam in hymno *Salutis humanæ Sator*) dicitur *Jesu, tibi sit gloria, Qui victor in cælum redis*: similiter etiam in festis tunc occurrentibus.

8. In Transfiguratione Domini dicitur *Jesu tibi sit gloria, Qui te revelas parvulis*. Aliis temporibus terminantur hymni ut suis locis ponitur.

*De antiphonis. XXI.*

1. Ad omnes Horas nocturnas et diurnas, semper cum psalmis dicuntur antiphonæ, vel una, vel plures, pro diversitate officii et Horarum.

2. Si de tempore fiat officium, id est, de dominica aut feria, dicuntur antiphonæ ut in psalterio, quæ cum psalmis positæ in Vesperis dominicæ et feriarum, in Completorio et in nocturnis (etiam quando fit officium de festo trium lectionum, id est, simplici) numquam mutantur, nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum antiphona, *alleluia*: excepto etiam tempore adventûs, in quo ad Vesperas et nocturnos dominicæ ponuntur antiphonæ propriæ. In Laudibus et aliis Horis mutantur pro diversitate temporum, ut in proprio de tempore habentur: cum verò non assignantur propriæ, semper dicuntur quæ positæ sunt in psalterio.

3. Antiphonæ, quæ in proprio de tempore in sabbatis ponuntur ad Magnificat pro prima dominica alicujus mensis, sumendæ sunt ex ea dominica, quæ est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis, ut dictum est suprâ in rubrica de dominicis, ac etiam in rubrica mensis Augusti: et semper in sabbato ponitur antiphona ad Magnificat, quæ contigua est libro Scripturæ in dominica ponendo.

4. In festis novem lectionum, ad Vesperas dicuntur antiphonæ de Laudibus, nisi propriæ in Vesperis assignentur. Ad Horas similiter, tam in officio de tempore, quàm de Sanctis, quando habentur propriæ in Laudibus, et aliæ propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus, quartâ prætermissâ, hoc ordine: Ad primam, prima: ad Tertiam, secunda: ad Sextam, tertia: ad Nonam, quinta.

5. In feriis adventûs, quæ non habent in Laudibus antiphonas proprias, sumuntur ad Horas ex Laudibus dominicæ præcedentis. Ubi verò in Laudibus feriarum fuerint propriæ, sumuntur ex ipsis Laudibus.

6. Tempore Paschali, in officio tam novem, quàm trium lectionum, psalmi cujuslibet nocturni dicuntur sub unica antiphona, quæ officio convenit, ut suis locis ponitur: et in fine omnium antiphonarum additur *alleluia*, quando in illis non habetur. A septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur *alleluia*, tacetur, neque aliud ejus loco dicitur.

7. In duplicibus ad Vesperas, Matutinum et Laudes tantùm, antiphonæ dicuntur ante psalmos vel cantica integræ, et post psalmos vel cantica integræ repetuntur; in aliis Horis, et in officio non duplici, in principio psalmi vel cantici, inchoatur tantùm antiphona, deindè in fine integra dicitur; et quando antiphona sumitur ex principio psalmi vel cantici, et incipit sicut psalmus vel canticum, post antiphonam non repetitur principium psalmi vel cantici, sed continuatur quod sequitur in psalmo vel cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit antiphona, nisi discontinuetur per *alleluia*.

8. Antiphonis propriis, tam in officio de tempore, quàm de Sanctis, semper cedunt quæ habentur in psalterio et in communi Sanctorum.

9. Quando fit aliqua commemoratio, semper dicitur antiphona ante orationem cum versu, quæ sumitur ex officio quod convenit ei, de quo fit commemoratio: ita ut in Vesperis sumatur antiphona quæ assignatur ad Magnificat, in Laudibus quæ ad Benedictus, cum versibus qui habentur post hymnum.

10. Antiphonæ S. Mariæ, positæ in fine com-

pletorii, dicuntur ut inferius in propria rubrica disponitur.

*De psalmis. XXII.*

1. Psalmi, in officio de tempore per omnes Horas in dominicis et feriis, dicuntur eo modo, quo distributi sunt in psalterio, nisi aliquando aliter in proprio de tempore signentur. In festis autem dicuntur ut in propriis locis signantur: alioquin ut in communi Sanctorum.

2. Psalmi ad Laudes de dominica, cum cantico *Benedicite*, dicuntur in omnibus festis per annum, et in feriis temporis Paschalis.

3. Psalmus *confitemini*, dicitur ad primam cum aliis psalmis in psalterio assignatis, in omnibus dominicis (quando officium fit de dominica, ut in psalterio; etiam in dominicis quæ occurrunt infra octavas Sanctorum) à tertia dominica post Pentecosten inclusivè, usque ad Nativitatem Domini exclusivè, et à secunda dominica post Epiphaniam inclusivè, usque ad septuagesimam exclusivè: à septuagesima autem usque ad Pascha, ejus loco dicitur psalmus *Dominus regnavit*, quia psalmus *confitemini*, tunc dicitur ad Laudes post psalmum *miserere*, ut suo loco ponitur. In dominicis verò temporis Paschalis, à dominica in Albis inclusivè, usque ad Ascensionem exclusivè, dicuntur tantum tres psalmi sicut in festis, addito symbolo sancti Athanasii. Alii psalmi per singulas ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco psalmi *confitemini*, in feriali tantum officio, quando de feria agitur extra tempus Paschale. In feriis verò temporis Paschalis, in festis per annum et in sabbato, sive de S. Maria, sive de feria fiat officium, dicuntur tantum tres psalmi, scilicet, *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati*,

et *Retribue*, etiamsi festum duplex celebretur in dominica.

4. In dominicis autem, quando officium fit de dominica, ut in psalterio, post psalmos additur semper symbolum sancti Athanasii, *quicumque*, ut infra in propria rubrica dicitur.

5. Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam et Nonam, et ad Completorium, numquam mutantur, ut in psalterio, sive de Sanctis, sive de tempore fiat officium.

6. Psalmi de dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis festorum, excepto ultimo, qui mutatur: cum verò aliter fieri debet, suis locis notatur. In Vesperis infra octavam dicuntur psalmi ut in secundis Vesperis festi: sed in primis Vesperis diei octavæ dicuntur ut in primis Vesperis festi, nisi aliter notetur.

7. In fine psalmodiarum semper dicitur *Gloria Patri*, præterquam in psalmo *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, et in psalmo *laudate Dominum de cælis*, qui conjunguntur cum aliis psalmis; et in fine ultimi tantum dicitur *Gloria*, ut suis locis notatur. Præterea non dicitur in triduo majoris hebdomadæ ante Pascha, nec in officio defunctorum, cujus loco pro defunctis dicitur: *requiem æternam dona eis Domine*, etiamsi fiat officium pro uno tantum.

8. Ut sacræ vulgatæ editionis puritas inconcussa et illibata servetur, etiam quoad interpunctiones, et distinctiones in sacris bibliis appositæ, additus est asteriscus \*, ut sit nota musicæ partitionis in medio versûs.

### *De canticis. XXIII.*

1. Cantica dicuntur in officio de tempore, tam de dominicis, quàm feriis ad Laudes, Vesperas et Completorium, ut in psalterio distribuuntur.

2. In festis et tempore Paschali ad Laudes, semper dicitur canticum *Benedicite*, ut in dominica: et in fine ejus non dicitur *Gloria Patri*, sicut in aliis canticis dicitur, nec respondetur, *amen*. Alia cantica ferialia, ut in psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit officium de feria extra tempus Paschale.

3. Cantica, *benedictus*, *magnificat*, et *nunc dimittis*, semper dicuntur suo loco, ut in psalterio.

### De versibus. XXIV.

1. Versus semper dicuntur ad Matutinum post ultimum psalmum et antiphonam nocturnorum, sive in officio dicantur tres nocturni, sive unus. Ad Laudes et Vesperas versus dicitur post hymnum: ad Horas dicitur in responsorio brevi post repetitionem partis responsorii, dicto *Gloria Patri*.

2. In Pascha Resurrectionis et per octavam usque ad Vesperas sabbati in Albis exclusivè, in nocturno tantum dicitur versus; in aliis Horis non dicitur, ut ibidem.

3. Quando fit aliqua commemoratio semper post antiphonam ejus, de quo fit commemoratio, dicitur versus, qui in ejus officio ponitur post hymnum Vesperarum et Laudum, nisi aliter notetur.

4. Versibus prædictis tempore Paschali semper additur *alleluia*; non autem versibus precum, nec in *pretiosa*, ad Primam, neque in versibus responsiorum Matutini.

5. In officio festi trium lectionum post omnes psalmos feriales cum antiphonis, dicitur versus de communi Sanctorum, hoc ordine; feriâ ij. et v. versus primi nocturni: feriâ iij. et vj. versus secundi nocturni; feriâ iv. versus tertii nocturni.

6. Versus positi in psalterio ad Laudes et Vesperas, semper dicuntur, quando alii proprii non assignantur in proprio de tempore.

*De absolutionibus et benedictionibus ante lectiones. XXV.*

1. Absolutiones et benedictiones dicuntur per ordinem in officio novem lectionum ante lectiones ut in prima dominica de adventu ponuntur scilicet post versum dicto *Pater noster*, et *ne nos*, dicitur absolutio et benedictiones, ut ibi, præterquam in Matutinis tenebrarum majoris hebdomadæ, et in officio defunctorum, in quibus absolutio et benedictiones non dicuntur.

2. Si fiat officium trium lectionum, et fit de feria in qua singulæ tres lectiones sunt de Scriptura, absolutio et benedictiones sumuntur ex prima dominica de adventu, hoc ordine: feriâ ij. et v. dicuntur absolutio et benedictiones primi nocturni: feriâ iij. et vj. secundi nocturni: feriâ iv. et sabbato, tertii nocturni.

3. Si autem singulæ tres lectiones sint de homilia super evangelium, absolutio dicitur secundum ferias, ut suprâ; benedictiones verò semper dicuntur ut in tertio nocturno, scilicet, prima benedictio erit *evangelica lectio*; secunda, *divinum auxilium*: tertia, *ad societatem*. Si fit de Sancto trium lectionum, absolutio dicitur secundum ferias, ut suprâ: benedictiones verò semper dicuntur in tertio nocturno, hoc modo: prima, *ille nos benedicat*: secunda, *cujus vel quorum vel quarum festum colimus*: tertia, *ad societatem*.

4. Quando fit officium S. Mariæ in sabbato, absolutio et benedictiones dicuntur, ut habentur in ejus officio parvo circa finem breviarii.



*De lectionibus. XXVI.*

1. Lectiones leguntur ad Matutinum dictis psalmis nocturnorum cum antiphonis, versibus, absolutionibus quoque, et benedictionibus ut supra. In duplicibus et semiduplicibus dicuntur novem lectiones, id est, in quolibet nocturno tres; in feriis et festis simplicibus leguntur tantum tres lectiones.

2. In officio novem lectionum dicuntur hoc modo: In primo nocturno semper leguntur tres lectiones de Scriptura, quæ, quando suis locis propriæ aut de communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur ut in officio de tempore, quæ sua quaque die occurrunt legendæ: In secundo nocturno, si fit de Sancto, tres lectiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo sermone aut tractatu, qui ei convenit; quæ si non adsint propriæ, leguntur ex communi Sanctorum. Ex quo etiam communi completur numerus trium lectionum, quando officium fit novem lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas lectiones proprias. Si fit de dominica, vel de alio officio novem lectionum per annum, etiam de octava, leguntur tres lectiones de sermone aut tractatu, qui in illis ponitur. In tertio nocturno semper leguntur tres lectiones de homilia in evangelium, positæ in proprio aut ex communi assignatæ: et primæ lectioni de homilia semper præponitur principium evangelii, de quo est homilia, etiam infra octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario lectionum, Matutina tenebrarum ante Pascha, et defunctorum, ut in suis officiis ponitur.

3. Si in officio novem lectionum, in quo non dicitur nonum responsorium, contingat fieri com-

memorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet lectionem, nona lectio legitur de Sancto: si habuerit duas lectiones, ex duabus fiat una lectio; omissâ nonâ lectione in dicto officio novem lectionum, vel octavæ lectioni adjuncta. Quòd si eodem die occurrat dominica, vel feria quæ habeat homiliam, nona lectio Sancti omittitur, et ejus loco legitur homilia dominicæ, vel feriæ, scilicet vel prima lectio de homilia, vel tres simul in unam lectionem conjunctæ.

4. In officio trium lectionum, si fit de feria, tres lectiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de homilia, quia tunc omissis lectionibus de Scriptura, leguntur de homilia. Si fit de Sancto qui habet duas lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una: secunda et tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto: quod etiam servatur in officio B. Mariæ in sabbato.

5. Lectiones autem de Scriptura in officio de tempore sic distributæ sunt per annum, ut quotidie aliquid ex ea legatur, etiam in officio de Sanctis, quando aliæ (ut dictum est) non assignantur.

6. Initia librorum sacræ Scripturæ (qui ferè semper in dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiamsi fiat officium de Sancto: nisi in festo aliæ propriæ lectiones Scripturæ vel de communi assignentur; tunc enim initium lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, et lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatæ vel cum superioribus lectionibus legantur, vel omittantur: ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ legantur,

quæ sua quaque die occurrunt, aut cum eisdem jungantur. Quod semper servetur, quando lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omituntur.

7. Cùm autem initium alicujus epistolæ catholice tempore Paschali, aut alicujus prophetæ minoris mense Novembri, infra hebdomadam illorum temporum impeditur aliquo festo novem lectionum habente proprias lectiones de Scriptura, dictum initium epistolæ et prophetæ, quoad commodè fieri poterit, ponatur in sequenti feria, alio simili initio Scripturæ ponendo, vel festo non impedita, alioquin in præcedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiamsi plura initia eodem die poni oporteat.

8. De Scriptura quoque tantùm est positum, quantum satis videtur pro numero hebdomadarum quæ esse possunt et inter Epiphaniam et septuagesimam, et inter Pentecosten et adventum. Ubi verò contingit minui numerum dominicarum et hebdomadarum post Epiphaniam adveniente dominicâ septuagesimæ, quod superest de epistolis beati Pauli, quæ distributæ sunt pro numero dictarum dominicarum et hebdomadarum, eo anno omittitur quamvis de aliquibus epistolis nihil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura ex libris regum (de quibus legitur ab octava Pentecostes usque ad dominicam primam Augusti) cùm non expletur numerus dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti, quia tunc lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura quæ ponitur mense Augusti. Quòd si fiat de aliqua dominica post Epiphaniam anticipatè in feria, eo modo quo dictum est de dominicis numero 4 et 5, tunc post officium dominicæ anticipatæ, in sequentibus diebus legatur de epistolis sancti Pauli assignatis dominicæ anticipatæ,

et sequentibus feriis, omissis aliis quæ sunt assignatæ præcedenti hebdomadæ. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque dominicæ assignantur, non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur.

9. Lectiones de Scriptura positæ in communi Sanctorum, leguntur in festis, ubi assignantur in proprio Sanctorum per annum. Rursus quando aliquod festum in propria ecclesia solemniter celebratur; item quando aliquod festum novem lectionum occurrit in quadragesima et quatuor temporibus, in secunda feria rogationum, et in vigilia Ascensionis, in quibus feriis in officio de tempore non assignantur lectiones de Scriptura, sed de homilia; tunc enim in festis recurrendum est ad lectiones de Scriptura positas in communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis feriis occurrat dies octava alicujus festi habentis octavam, tunc in primo nocturno diei octavæ repetantur lectiones, quæ in primo nocturno festi lectæ fuerunt: si verò occurrat dies infra octavam, tunc sumantur de communi. Aliæ lectiones secundi et tertii nocturni positæ in communi Sanctorum similiter leguntur, quando in proprio Sanctorum assignantur, et quando in aliqua ecclesia aliquod festum celebratur cum novem lectionibus, quia in ea est solemne, aut consuetum in ea celebrari, quod proprias et approbatas de festo lectiones non habuerit.

10. Lectiones primi nocturni leguntur cum titulo libri, ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur; lectiones etiam secundi nocturni, quando sunt ex aliquo sermone, vel tractatu, leguntur cum titulo et nomine auctoris; aliàs minimè. Et similiter in tertio nocturno præponitur titulus auctoris, cujus est homilia.

11. In fine cujusque lectionis dicitur: *Tu autem*

*Domine miserere nobis*, et respondetur, *Deo gratias*. Quod etiam fit in lectionibus brevibus in principio Completorii, et in fine Primæ post *pretiosa*, præterquam in triduo majoris hebdomadæ ante Pascha, et in officio defunctorum, ut suis locis ponitur.

*De responsoriis post lectiones. XXVII.*

1. Responsoria dicuntur ad Matutinum post lectiones: id est, post quamlibet lectionem dicitur unum responsorium, ut infra.

2. In festis novem lectionum (præterquam in festo SS. Innocentium, quando non venerit in dominica) et in dominicis ab octava Paschæ inclusivè, usque ad adventum exclusivè, et à dominica infra octavam Nativitatis inclusivè usque ad septuagesimam exclusivè, dicuntur octo tantum responsoria. Et in fine tertii, et sexti, et octavi, dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis responsorii: quod regulare est in fine ultimi responsorii cujuslibet nocturni, tam in officio novem, quam trium lectionum: excepto tempore passionis, quo tempore, loco *Gloria Patri*, repetitur responsorium à principio: excepto etiam officio defunctorum, cujus loco dicitur *Requiem æternam*, etc. Qui versus, *Gloria Patri*, quibusdam diebus dicitur in primo responsorio, ut in propriis locis annotatur. Post nonam lectionem prædictis diebus, quando octo tantum dicuntur responsoria, immediatè dicitur hymnus *Te Deum*.

3. In dominicis adventus, et in dominicis à septuagesima usque ad dominicam Palmarum inclusivè, et in triduo ante Pascha, dicuntur novem responsoria, quia tunc non dicitur *Te Deum*.

4. In officio autem trium lectionum quando fit de festo, et in feriis temporis Paschalis, quod

est inter dominicam in Albis et Ascensionem (exceptâ feriâ ij. rogationum, in qua ponitur tertium responsorium) dicuntur duo responsoria, quia post tertiam lectionem dicitur *Te Deum*. Quæ responsoria in festis sumuntur de communi Sanctorum; et in dictis feriis temporis Paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de dominica, in qua primò sunt posita, hoc ordine: secundâ et v. feriâ primum et secundum responsorium primi nocturni: feriâ iij. et vj. primum et secundum responsorium secundi nocturni: feriâ iv. primum et secundum responsorium tertii nocturni.

5. In aliis feriis extra tempus Paschale dicuntur tria responsoria (quia in illis non dicitur *Te Deum*) hoc ordine: feriâ ij. et v. tria responsoria primi nocturni: feriâ iij. et vj. tria responsoria secundi nocturni: feriâ iv. et sabbato, quando in eo fit de feria, tria responsoria tertii nocturni dominicæ præcedentis, in qua primò sunt posita. Verùm quia in tertio nocturno Dominicarum à tertia post Pentecosten inclusivè, usque ad adventum exclusivè, non habetur nisi unum responsorium dicendum infra hebdomadam, quod est septimum in dominica; propterea quòd responsorium *duo Seraphim*, non dicitur nisi in prædictis dominicis; ideò feriâ iv. et sabbato, quando responsoria sumenda erunt ex tertio nocturno, primum responsorium erit quod est vij. dominicæ: secundo et tertio loco dicitur ij. et iij. sequentis feriæ, id est, post secundam et tertiam lectionem dicitur secundum et tertium responsorium, quod est ij. et iij. secundæ sequentis feriæ, si propria responsoria habuerit; alioquin si non habuerit propria, dicitur secundum et tertium responsorium primi nocturni ejusdem dominicæ. Ab octava Epiphaniæ usque ad septuagesimam habentur respon-

soria, propria in singulis feriis, excepto sabbato, in quo, quando fit de feria, dicuntur responsoria feriæ iv.

6. Sumuntur autem responsoria ex eo loco, ubi primò sunt posita, in principio mensis, vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur, vel donec de illo libro legitur, undè sumpta sunt responsoria. Quæ autem in prima hebdomada mensis posita sunt per ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem feriis per sequentes hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi verò non adsunt propria, semper ex nocturnis dominicæ sumuntur dicto ordine.

7. Si responsoria primi nocturni ejus dominicæ, in qua primò ponuntur, propter festum duplex in ea occurrens; in ipsa dominica poni non possint, ponantur primâ die ejus hebdomadæ, in qua occurrit fieri de feria, et omittantur alia, quæ fortè in illa feria propria haberentur. Si verò in tota hebdomada non occurrat dies in quo fiat de feria, illa responsoria ponantur in sequenti hebdomada, vel dominica similiter non impedita, et dummodò in ea alia responsoria non sint primò ponenda, alioquin eo anno omittantur. Responsoria etiam, quæ in aliquibus feriis per hebdomadam habentur, si eo die, quo posita sunt, non possunt dici propter festum occurrens, non sunt transferranda in aliam diem, sed omittuntur.

8. Tempore Paschali in fine responsorii anteversum additur *alleluia*.

#### *De responsoriis brevibus Horarum. XXVIII.*

1. Responsoria brevia dicuntur post capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam, et ad Completorium, præterquam in triduo ante Pascha

usque ad Nonam sabbati in Albis inclusivè, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam et Completorium semper dicuntur eodem modo, ut in psalterio. In aliis Horis, quando fit officium de dominica, vel feria per annum, dicuntur ut habentur in psalterio. In adventu autem, quadragesima, tempore passionis et Paschali, ut suis locis habentur propria. In festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in communi Sanctorum.

2. In fine responsorii brevis, dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione responsorii, eo modo quo ordinatur ad Primam in psalterio, præterquam tempore passionis: tunc enim non dicitur *Gloria Patri* in officio de tempore, sed solum repetitur responsorium breve à principio.

3. In responsorio brevi ad Primam, loco versûs *Qui sedes*, etc., in adventu dicitur, *Qui venturus es in mundum*, tam in dominicis et feriis, quàm in festis, excepto festo Conceptionis B. Mariæ et per octavam. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in festis occurrentibus; in festo corporis Christi et per octavam, et in omni officio B. Mariæ, tam novem quàm trium lectionum, etiamsi infra ejusdem octavas fit de festo vel de dominica, dicitur *Qui natus es de Maria virgine*. In Epiphania et per octavam, et in festo Transfigurationis, dicitur *Qui apparuisti hodie*. A dominica in Albis inclusivè, usque ad Ascensionem exclusivè, tam in officio de tempore, quàm de Sanctis (excepto officio S. Mariæ) semper dicitur *Qui surrexisti à mortuis*. In Ascensione usque ad Pentecosten exclusivè, dicitur *Qui scandis super sidera*. In Pentecoste et reliquo anni tempore, tam in officio de tempore, quàm de Sanctis, dicitur *Qui sedes ad dexteram Patris*, ut in psalterio.

4. Responsoria brevia aliarum Horarum, quæ  
Tom. V.



ponuntur in prima dominica de adventu, dicuntur per totum adventum, quando fit officium de tempore. Similiter quæ ponuntur in prima dominica quadragesimæ, dicuntur usque ad dominicam passionis exclusivè. Et quæ ponuntur in dominica passionis, dicuntur usque ad feriam v. in cœna Domini exclusivè. Item quæ ponuntur in dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusivè. Quæ verò ponuntur in aliquo festo habente octavam, dicuntur per totam octavam, quando fit de octava. In officio autem B. Mariæ, tam novem quàm trium lectionum (excepto festo Assumptionis ejusdem), dicuntur semper responsoria brevia de communi Virginum.

5. Tempore Paschali, à dominica in octava Paschæ usque ad sabbatum post Pentecosten inclusivè, in fine responsorii brevis ante primum versum dicuntur duo *alleluia*, quæ etiam post dictum primum versum repetuntur pro parte responsorii; et in fine secundi versûs unum tantùm *alleluia*, tam in officio de tempore, quàm de Sanctis, ut dicitur in rubrica quæ est in sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus festis ad Tertiam, Sextam et Nonam, responsoriis brevibus addantur *alleluia*, non ideò adduntur ad Primam et Completorium.

### De capitulis. XXIX.

1. Capitula semper dicuntur (præterquam à feria v. in cœna Domini, usque ad Vesperas sabbati in Albis inclusivè, et præterquam in officio defunctorum) ad Vesperas, Laudes et alias Horas, dictis psalmis et antiphonis; ad Completorium verò dicto etiam hymno.

2. Capitula dominicalia posita in psalterio, in primis et secundis Vesperis, in Laudibus et Horis, dicuntur à tertia dominica post Pentecosten

usque ad adventum, et à secunda post Epiphaniam usque ad septuagesimam. Capitula autem ferialia dicuntur post octavam Pentecostes usque ad adventum, et ab octava Epiphaniæ usque ad dominicam primam quadragesimæ. Aliis temporibus dicuntur ut in proprio de tempore: si fit de Sanctis, ut in proprio de Sanctis, cum propria adsunt, alioquin de communi Sanctorum. Capitulum Primæ et Completorii (quando capitula dicuntur) numquam mutatur, ut in psalterio.

3. In dominicis ab adventu usque ad octavam Epiphaniæ, et à septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, et in feriis temporis Paschalis, et in omnibus festis, regulariter capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus, ad Tertiam, et in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.

4. In feriis tempore Paschali, ad Primam dicitur capitulum *Regi Sæculorum*, sicut in dominicis et festis. Post capitulum semper respondetur *Deo gratias*.

### De oratione. XXX.

1. Oratio in Vesperis et Laudibus dicitur post antiphonas ad Magnificat et Benedictus immediate, nisi quando dicendæ sunt preces, quæ dicuntur post antiphonam, et in fine illarum oratio. Ad Primam et alias Horas oratio dicitur post responsorium breve, nisi dicendæ sint preces: tunc enim oratio dicitur post preces. Ad completorium oratio dicitur post antiphonam *salva nos*, nisi dicendæ sint preces, et tunc dicitur post illas.

2. Ad Primam et Completorium nunquam mutantur orationes quæ habentur in psalterio, præterquam in triduo ante Pascha, in quo triduo ad

omnes Horas usque ad Nonam sabbati sancti inclusivè post psalmum *miserere*, dicitur oratio diei, ùt suo loco ponitur. In aliis Horis regulariter dicitur oratio, quæ dicta est in primis Vesperis. In quadragesima autem, quatuor temporibus, vigiliis et feria ij. rogationum, oratio quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam et Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fit de feria, dicitur vel alia propria, ùt in quadragesimâ, vel dominicæ præcedentis, ùt in aliis feriis. Quæ oratio præcedentis dominicæ semper dicitur in feriali officio per hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra octavas dicitur oratio ùt in die festi; similiter et in die octava, nisi alia propria assignetur.

5. Ante orationem, etiam quando aliquis solus recitat officium, semper dicitur versus *Dominus vobiscum*, respondetur *et cum spiritu tuo*. Qui versus non dicitur ab eo qui non est saltem in ordine diaconatûs, nec à diacono præsentate sacerdote, nisi de illius licentia. Si quis autem ad diaconatûs ordinem non pervenerit, ejus loco dicat: *Domine exaudi orationem meam*, respondetur: *et clamor meus ad te veniat*. Deindè dicitur *oremus*, postea oratio: quæ si unica tantùm dicatur, versus *Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi*, repetitur finitâ oratione, postquam fuerit responsum *amen*. Sin autem plures orationes dicendæ sint; ante quamlibet orationem dicitur antiphona et versus, deindè *oremus*, et post ultimam orationem repetitur *Dominus vobiscum*: postea dicitur *benedicamus Domino*, respondetur *Deo gratias*. Deindè dicitur *fidelium animæ*, qui versus non dicitur post *benedicamus Domino*, ad Primam ante *pretiosa*, etc., neque ad Completorium ante verbum *benedicat*, etc. nec quando post aliquam Horam immediatè sequitur officium

parvum B. Mariæ, vel officium defunctorum, aut septem psalmi pœnitentiales, vel solæ litanïæ.

4. Si oratio dirigatur ad Patrem, concluditur, *per Dominum*: si ad Filium, *Qui vivis et regnas*: si in principio orationis fiat mentio Filii, dicatur *per eundem*: si in fine orationis, dicatur *Qui tecum vivit et regnat*. Si fiat mentio Spiritûs sancti, dicatur *in unitate ejusdem Spiritûs sancti*, etc.

5. Quando plures orationes dicuntur, prima tantùm dicitur sub una conclusione *per Dominum*, vel aliter, ùt suprâ: aliæ non concluduntur, nisi in ultima oratione; sed unicuique orationi semper præponitur *oremus*, præterquam in officio defunctorum, in quo alio modo, quàm ùt suprâ, orationes dicuntur: item in litanïis orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *oremus*, ùt suis locis habetur.

### *De hymno TE DEUM. XXXI.*

1. Hymnus *Te Deum*, dicitur in omnibus festis per annum, tam trium, quàm novem lectionum, et per eorum octavas, excepto festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in dominica; dicitur tamen in ejus die octava. Dicitur etiam in omnibus dominicis, à Pascha Resurrectionis inclusivè, usque ad adventum exclusivè, et à Nativitate Domini inclusivè, usque ad septuagesimam exclusivè; et in omnibus feriis temporis Paschalis, scilicet à dominica in albis usque ad Ascensionem, exceptâ feriâ ij. rogationum, in qua non dicitur.

2. Non dicitur autem in dominicis adventûs, et à septuagesima usque ad dominicam palmarum inclusivè, neque in feriis extra tempus Paschale.

3. Cùm dicitur, omittitur semper nonum, vel tertium responsorium, et statim dicitur post ultimam lectionem.

4. Cùm non dicitur, ejus loco ponitur nonum vel tertium responsorium : quo dicto statim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur *Te Deum*, eo hymno dicto statim inchoantur Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Domini ; quia tunc dicitur oratio, postea celebratur missa ; ùt suo loco notatur.

*De oratione dominica et salutatione angelica. XXXII.*

1. Oratio dominica *Pater noster*, et salutatio angelica *Ave Maria*, semper dicitur secretò ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio post lectionem brevem *fratres, sobrii*, dicto versu *adjutorium nostrum*, dicitur tantùm *Pater noster*, secretò : et in fine Completorii, statim post orationem B. Mariæ, dicitur *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*, totum similiter secretò. Finitis Horis, et dicto versu *fideliùm animæ*, dicitur similiter secretò *Pater noster*, tantùm, nisi sequatur officium B. Mariæ, quia tunc post illud dicitur *Pater noster*, ùt suprâ, et nisi alia Hora subsequatur : tunc enim dicitur semel tantùm *Pater noster*, cum *Ave Maria*, pro principio sequentis Horæ, quâ finitâ, dicitur *Pater noster*, ita ut semper dicatur in fine ultimæ Horæ. Si autem post Vesperas immediatè sequatur Completorium, dicto *fideliùm animæ*, incipitur versus *Jube domne*.

2. Quando in fine orationis dominicæ proferendum est clarâ voce, *et ne nos inducas*, semper in principio eâdem voce proferuntur hæc duo verba, *Pater noster*, ùt in precibus et similibus : aliàs numquam proferuntur, sed dicitur totum secretò. Ad Laudes verò et Vesperas, quando in feriali officio dicuntur preces, totum dicitur clarâ voce ab hebdomadario.

3. Salutatio angelica semper dicitur ante offi-

cium B. Mariæ, quando non conjungitur cum officio Domini, quia tunc sufficit dixisse eam in principio cum oratione dominica.

*De symbolo apostolorum et symbolo S. Athanasii.*

XXXIII.

1. Symbolum apostolorum semper dicitur ante Matutinum et Primam, et finito Completorio post orationem angelicam, totum secretò, etiamsi ad Primam et Completorium iterùm dicendum sit cum precibus. Quando verò dicitur cum precibus ad Primam et Completorium, clarâ voce profertur *Credo in Deum*, et in fine *carnis resurrectionem*; reliquum dicitur secretò: aliàs totum secretò dicitur ùt suprâ.

2. Symbolum S. Athanasii dicitur ad Primam post psalmum *retribue*, in omnibus dominicis per annum, quando officium fit de dominica, exceptis dominicis infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et corporis Christi, ac dominicâ Resurrectionis et Pentecostes, in quibus dicuntur tantùm tres psalmi consueti, ùt in festis. In dominicis infra alias octavas, et in dominica SS. Trinitatis dicitur, aliàs numquam, neque si aliquod festum duplex celebretur in dominica. Et in fine illius dicitur *Gloria Patri*.

*De precibus.* XXXIV.

1. Preces sunt aliquot versus qui aliquando dicuntur ante orationem, incipientes à *kyrie eleïson*, vel à *Pater noster*.

2. Preces dominicales ad Primam et Completorium ùt in psalterio, non dicuntur in duplicibus, nec infra octavas, nec in vigilia Epiphaniæ et feria vj. et sabbato post octavam Ascensionis, etiamsi infra octavam fiat officium de dominica,

vel alio festo semiduplici, quia tunc ratione octavæ non dicuntur: aliàs autem semper dicuntur.

3. Preces feriales ad Laudes et per Horas distinctæ, ut in psalterio, dicuntur tantùm in feriis adventûs, quadragesimæ, quatuor temporum et vigiliarum quæ jejunantur (exceptis vigiliâ Nativitatis Domini, ac vigiliâ et quatuor temporibus Pentecostes) et tunc dicuntur flexis genibus. In aliis feriis per annum numquam dicuntur nisi dominicales, et in illis non flectuntur genua.

4. In feriis adventûs, quadragesimæ et quatuor temporum, dicuntur preces feriales etiam ad Vesperas, si non sequatur festum: ad Completorium dicuntur consuetæ de dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem preces flexis genibus ab hebdomadario usque ad versum *Domini vobiscum*, ante primam orationem: à circumstantibus autem usque ad versum *benedicamus Domino*, post ultimam orationem.

5. In vigiliis preces feriales dicuntur tantùm ad Matutinum, et per Horas: ad Vesperas verò sequentes non dicuntur, quia indè fit de festo. Quòd si post vigiliam S. Matthiæ sequatur primus dies quadragesimæ, in Vesperis dicuntur preces feriales, quamvis dicenda sit oratio dominicæ præcedentis, et non vigiliæ. Quod etiam servatur, quando in feria vj. et sabbato quatuor temporum Septembris fit officium de feria, cùm in eis non occurrat festum novem lectionum: tunc enim in Vesperis feriæ vj. dicuntur preces, quamvis dicenda sit oratio dominicæ præcedentis, non autem feriæ quatuor temporum.

6. Psalmus *miserere* dicitur cum precibus ad Vesperas tantùm, et psalmus *de profundis*, ad Laudes. In officio defunctorum dicuntur psalmi, qui in eo officio designantur.

*De commemorationibus communibus, seu suffragiis  
Sanctorum. XXXV.*

1. Commemorationes communes, seu suffragia de Sanctis, quæ habentur in psalterio post Vesperas sabbati, dicuntur in fine Vesperarum et Laudum, ab octava Epiphaniæ usque ad dominicam passionis exclusivè, et ab octava Pentecostes usque ad adventum exclusivè, in dominicis, feriis et festis (nisi officium sit duplex, vel infra octavas, etiamsi de dominica, vel semiduplici infra eas fiat), et illis adjungitur commemoratio de patrono, vel titulo ecclesiæ, ante vel post commemorationem de S. Maria et de apostolis, pro dignitate illius, ita tamen, ut semper ultimo loco ponatur commemoratio de pace. Et ante illas in feriali officio fit commemoratio de cruce, quæ habetur in psalterio post Laudes feriæ secundæ.

2. Tempore Paschali fit alia commemoratio de cruce, ut ibi ponitur in Laudibus feriæ ij. post dominicam in Albis, et ea solùm tunc dicitur; non tamen in duplicibus, neque infra octavas.

3. Si facienda sit commemoratio alicujus festi occurrentis, semper fit ante ipsa suffragia consueta, etiam ante commemorationem de cruce.

4. Commemoratio de S. Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus officium parvum, nec quandocumque fit officium de ea.

*De antiphonis B. Mariæ in fine officii. XXXVI.*

1. Antiphonæ B. Mariæ positæ in fine psalterii post Completorium, singulæ dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris hebdomadæ ante Pascha.

2. Dicuntur autem extra chorum, tantùm in fine Completorii et in fine Matutini, dictis Laudibus,



si tunc terminandum sit officium; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ. In choro autem semper dicuntur, quodcumque terminatâ aliquâ Horâ discedendum est à Choro.

3. Nunquam verò dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum officio diei officium defunctorum, vel septem psalmi pœnitentiales, aut litanïæ, præterquam post Completorium, in quo semper dicuntur, etiamsi prædicta subsequantur, neque etiam dicuntur quando post aliquam Horam immediatè subsequitur missa. Dicuntur autem flexis genibus (præterquam in diebus dominicis, à primis Vesperis sabbati, et toto tempore Paschali), hebdomadario tamen ad orationem surgente.

*De officio parvo B. Mariæ et aliis. XXXVII.*

1. De officio parvo B. Mariæ, et officio defunctorum, de septem psalmis pœnitentialibus, et litanïis, et de psalmis gradualibus, quando quomodò, tam in choro, quàm extra chorum dicenda sint, habentur suis locis propriæ rubricæ, circa finem breviarii.

2. Tempore Paschali, in officio parvo B. Mariæ, quod dicitur in choro, non additur *alleluia* antiphonis, neque versibus, neque responsoriis.

## RUBRICÆ GENERALES

### MISSALIS.

---

MISSA quotidie dicitur secundum ordinem officii : de festo duplici, vel semiduplici, vel simplici, de dominica, vel feria, vel vigilia, vel octava ; et extra ordinem officii, votiva, vel pro defunctis.

#### *De duplici. I.*

MISSA dicitur de duplici illis diebus, quibus in Kalendario ponitur hæc nota, *duplex*, et in festis mobilibus quandocumque officium est duplex. In duplicibus dicitur una tantum oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, ut in propriis missis assignatum est. Quando dici debeat *Gloria in excelsis* et *Credo*, inferius ponitur in propriis rubricis.

#### *De semiduplici et simplici. II.*

MISSA de semiduplici dicitur, quando in Kalendario ponitur hæc vox, *semiduplex*. Præterea in dominicis et diebus infra octavas, in semiduplicibus tam festis, quam dominicis et infra octavas, dicuntur plures orationes, ut infra dicetur in rubrica de orationibus. Infra octavam dicitur missa sicut in die festi, nisi propriam missam habuerit : in dominicis verò sicut in propriis locis assignatur. De simplici dicitur missa sicut de semiduplici, ut suis locis ponitur.

#### *De feria et vigilia. III.*

I. MISSA de feria dicitur, quando non occurrit festum, vel octava, vel sabbatum, in quo fiat officium B. M. In feriis tamen quadragesimæ, quatuor

temporum, rogationum et vigiliarum, etiamsi duplex, vel semiduplex festum vel octava occurrat, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantantur duæ missæ, una de festo post Tertiam, alia de feria post Nonam.

2. In vigiliis autem (et feriis quatuor temporum, vel feria secunda rogationum), quæ veniunt infra octavam, missa dicitur de vigilia (vel feriis supradictis, cum commemoratione octavæ, *præterquam infra* octavam corporis Christi, in qua in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantantur duæ missæ, una de octava post Tertiam, alia de vigilia post Nonam: in missis autem privatis dicitur missa de octava, cum commemoratione vigiliæ). Si autem in die vigiliæ, vel prædictis feriis fiat officium de aliquo festo, tunc dicitur missa de festo, cum commemoratione octavæ, et vigiliæ (vel feriarum prædictarum). Quòd si vigilia occurrat in die alicujus festi ex majoribus primæ classis, in missa non fit commemoratio de ea, sicut nec in officio.

3. Si festum habens vigiliam celebretur feriâ secundâ missa vigiliæ dicitur in sabbato, sicut etiam de ea fit officium, exceptâ vigiliâ Nativitatis Domini et Epiphaniæ.

4. Missa vigiliæ in adventu occurrentis, dicitur cum commemoratione feriæ adventûs, licet de ea non sit factum officium, vigiliâ Nativitatis exceptâ.

5. Si in quadragesima et quatuor temporibus occurrat vigilia, dicatur missa de feria cum commemoratione vigiliæ.

6. Tempore Paschali non dicitur missa de vigilia, nisi in vigilia Ascensionis, quæ tamen non jejunatur, sicut nec vigilia Epiphaniæ.

*De missis votivis S. Mariæ et aliis. IV.*

I. In sabbatis non impeditis festo duplici, semiduplici, octavâ, vigiliâ, feriâ quadragesimæ, vel quatuor temporum, vel officio alicujus dominicæ, quæ

supersit, in præcedens sabbatum translato, dicitur missa de S. Maria secundum varietatem temporum, ut in fine missalis ponitur.

2. In adventu autem licet officium non fiat de S. Maria in sabbato, dicitur tamen missa principalis de ea cum commemoratione de adventu, nisi fuerint quatuor tempora, vel vigilia, ut supra.

3. Aliis diebus infra hebdomadam, quando officium fit de feria, et non est resumenda missa dominicæ præcedentis quæ fuerit impedita (exceptis feriis adventûs, quadragesimæ, quatuor temporum, rogationum et vigiliarum), dici potes aliqua ex missis votivis, etiam in principali missa quæ vocatur conventualis, secundum ordinem dierum in fine missalis assignatum, cum commemoratione feriæ, de qua factum est officium. Quæ tamen missæ, et omnes aliæ votivæ, in missis privatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum, quocumque die officium non est duplex (aut dominica), cum commemoratione ejus, de quo factum est officium, et commemoratione item festi simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in officio. Id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa: et quoad fieri potest, missa cum officio conveniat.

#### *De missis defunctorum. V.*

1. Primâ die cujusque mensis (extra adventum, quadragesimam et tempus Paschale) non impeditâ officio duplici vel semiduplici, dicitur missa principalis generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis. Si verò in ea fuerit festum simplex, vel feria quæ propriam habeat missam, aut resumenda sit missa dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies in quo resumî possit: in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicantur duæ missæ, una pro defunctis, alia de festo simplici, vel feria prædicta. Sed in ecclesiis non ca-

thedralibus nec collegiatis dicatur missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis.

2. Præterea feriâ secundâ cujusque hebdomadæ, in qua officium fit de feria, missa principalis dici potest pro defunctis. Si autem fuerit propria missa de feria, vel de festo simplici, vel resumenda sit missa dominicæ præcedentis, ut supra, in missa de die fiat commemoratio (ut dictum est) pro defunctis. Excipitur tamen quadragesima, et totum tempus Paschale, et quando per annum officium est duplex, vel semiduplex: quibus temporibus non dicitur missa conventualis pro defunctis (nisi in die depositionis defuncti, et in anniversario pro defunctis), neque pro eis fit commemoratio. Missæ autem privatæ pro defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in festis duplicibus et dominicis diebus.

3. In die commemorationis omnium defunctorum, et in die depositionis, et in anniversario defuncti, dicitur una tantum oratio, et similiter in die tertia, septima, trigesima, et quodcumque pro defunctis solemniter celebratur: in aliis missis plures, ut de feriis et simplicibus dicetur infra in rubrica de orationibus.

4. Sequentia pro defunctis dicitur in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et depositionis defuncti, et quodcumque in missa dicitur una tantum oratio: in aliis autem missis pro defunctis dicatur ad arbitrium sacerdotis.

#### *De translatione festorum. VI.*

In dicendis missis servetur ordo breviarii de translatione festorum duplicium et semiduplicium, quando majori aliquo festo, seu dominicâ impediuntur. In ecclesiis autem, ubi titulus est ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum quod transferri debet, possunt cantari duæ missæ, una de die, alia de festo: aut saltem commemoratio fieri de festo, si de eo non debeat celebrari officium illâ die (Exceptâ

dominicâ primâ adventûs, feriâ quartâ cinerum, dominicâ primâ quadragesimæ, dominicâ palmarum cum tota hebdomada majori, dominicâ Resurrectionis, et dominicâ Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et festo corporis Christi).

*De commemorationibus. VII.*

1. Commemorationes in missis fiunt sicut in officio. De festo simplici fit commemoratio in missis, quando de eo in officio facta est commemoratio in primis Vesperis. Quando autem de eo fit commemoratio tantum ad Laudes, in missa solemnium non fit commemoratio de eo, sed in missis tantum privatis. Excipitur dominica palmarum, et vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio, etiam in missis privatis, de festo simplici occurrente, licet facta sit in officio. De dominica fit commemoratio, quando in ea agitur de festo duplici. De octava fit commemoratio, quando infra octavam celebratur aliquod festum, nisi illud festum fuerit de exceptis in rubrica breviarii de commemorationibus. Item quando infra octavam fit de dominica.

2. De feria fit commemoratio in adventu, quadragesimâ, quatuor temporibus, rogationibus, et vigiliis, quando missa dicenda est de festo illis temporibus occurrente. Sed in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, ubi plures sacerdotes quotidie celebrant, in feriis, rogationibus et vigiliis prædictis, quæ habent missas proprias, dicuntur duæ missæ, una de festo, alia de feria, rogationibus, et vigilia absque ulla utrorumque commemoratione; in festis tamen majoribus primæ classis nihil fit de vigilia occurrente, ut dictum est supra.

3. Quando infra hebdomadam dicuntur missæ votivæ, post primam orationem semper dicatur oratio ejus de quo fit officium, ut supra explicatum est in propria rubrica.

4. Quando fit commemoratio de feria quatuor temporum, pro feriæ commemoratione dicitur prima oratio, quæ concordat cum officio.

5. In faciendis commemorationibus servetur ordo ut in breviario : de dominica, ante diem infra octavam : de die infra octavam, ante ferias prædictas : de feriis prædictis, ante festum simplex : de festo simplici, ante orationes quæ secundo vel tertio loco dicendæ assignantur, et hæ dicantur ante orationes votivas : in quibus votivis servetur deindè dignitas orationum, ut de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de SS. Sacramento, de sancta cruce ante votivam de beata Maria, et de Angelis, et de sancto Joanne Baptista ante apostolos et similiter in aliis.

6. Si facienda sit commemoratio pro defunctis, semper ponitur penultimo loco. In missis autem defunctorum nulla fit commemoratio pro vivis, etiamsi oratio esset communis pro vivis et defunctis.

7. Quando dicuntur plures orationes, prima tantum et ultima cum sua conclusione terminantur, et ante primam et secundam orationem tantum dicitur *oremus*; ante primam etiam dicitur *Dominus vobiscum*.

8. Cùm verò dicuntur plures orationes, et una oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, oratio hujusmodi, illa scilicet quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de communi, vel proprio, quæ sit diversa. Idem servetur de secretis, et orationibus post communionem.

*De introïtu, kyrie eleïson et Gloria in excelsis. VIII.*

1. *Introïtus* semper eodem modo dicitur cum *Gloria Patri*, ut in ordinario, præterquam tempore passionis, et in missis defunctorum, ut etiam ibi annotatum est.

2. *Kyrie eleïson* dicitur novies post introïtum, alternatim cum ministro, id est, ter *kyrie eleïson*, ter *Christe eleïson*, ter *kyrie eleïson*.

3. *Gloria in excelsis* dicitur quodcumque in Matutino dictus est hymnus *Te Deum*, præterquàm in missa feriæ v. in cœna Domini, et Sabbati sancti, in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, quamvis in officio non sit dictum *Te Deum*.

4. In missis votivis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra octavas, nisi in missa B. Mariæ in sabbato, et Angelorum: et nisi missa votiva solemniter dicenda sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa (dummodò non dicatur missa cum paramentis violaceis). Neque dicitur in missis defunctorum.

#### *De orationibus. IX.*

1. In festis duplicibus dicitur una tantùm oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio, ut dictum est suprâ.

2. In festis semiduplicibus occurrentibus ab octava Pentecostes usque ad adventum, et à purificatione usque ad quadragesimam, dicitur secunda oratio à *cunctis*; tertia ad libitum.

3. In festis semiduplicibus occurrentibus ab octava Epiphaniæ usque ad purificationem, dicitur secunda oratio *Deus, qui salutis*; tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa, *Deus omnium fidelium*.

4. In festis semiduplicibus à feria iv. cinerum usque ad dominicam passionis, secunda oratio de feria; tertia à *cunctis*.

5. In semiduplicibus, à dominica passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda oratio de feria; tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

6. In festis semiduplicibus, ab octava Paschæ usque ad Ascensionem, secunda oratio de S. Maria, *concede nos*; tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

7. In festis semiduplicibus infra octavas occurrentibus, secunda oratio dicitur de octava, tertia quæ secundo loco infra octavam ponitur.



8. Infra octavas Paschæ et Pentecostes, in missa de octava dicuntur duæ tantum orationes, una de die, alia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

9. Infra alias octavas, et in vigiliis quæ jejunantur (exceptâ vigiliâ Nativitatis Domini et Pentecostes) dicuntur tres; una de die; secunda de S. Maria; tertia *Ecclesiæ*; vel pro Papa. Sed infra octavas S. Mariæ, et in vigilia et infra octavam omnium Sanctorum, secunda oratio dicitur de Spiritu sancto, *Deus qui corda*; tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

10. In dominicis infra octavas occurrentibus, dicuntur duæ orationes, una de dominica, secunda de octava et in die octava dicitur una tantum oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio.

11. In dominicis dicuntur tres, ut in ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis etiam locis notatur.

12. In festis simplicibus, et feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum.

13. In feriis quatuor temporum, et ubi plures leguntur lectiones, hujusmodi plures orationes dicuntur post ultimam orationem ante epistolam, ut suis locis in proprio missarum de tempore.

14. In missis votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dicitur una tantum oratio; sed in missa pro gratiarum actione, additur alia oratio, ut in proprio loco notatur. In aliis autem dicuntur plures, ut in festis simplicibus.

15. In votivis B. Mariæ, secunda oratio dicitur de officio illius diei, et tertia de Spiritu sancto: sed in sabbato, quando de ea factum est officium, secunda oratio erit de Spiritu sancto; tertia *Ecclesiæ tuæ*, vel pro Papa. In votivis de apostolis, quando ponitur oratio à *cunctis*, ejus loco dicitur oratio de sancta Maria, *concede nos famulos*.

16. Si, cùm plures dicuntur orationes, occurrat fieri commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur secundo loco, et tertia oratio dicitur, quæ aliàs secundo loco dicenda erat.

17. In conclusione orationum hic modus servatur. Si oratio dirigatur ad Patrem, concluditur *per Dominum nostrum*, etc. Si ad Filium, *Qui vivis et regnas cum Deo Patre*. Si in principio orationis fiat mentio Filii, concluditur *per eundem Dominum nostrum*. Si in fine orationis ejus fiat mentio, *Qui tecum vivit*. Si facta sit mentio Spiritûs sancti, in conclusione dicitur: *in unitate ejusdem Spiritûs Sancti*, etc. Alia quoque in dicendis orationibus servantur, quæ superiùs in rubrica de commemorationibus dicta sunt.

*De epistola, graduale, alleluia, et tractu, ac de evangelio. X.*

1. Post ultimam orationem dicitur *epistola*. Quâ finitâ, à ministris respondetur: *Deo gratias*. Et similiter quando leguntur plures lectiones, post singulas dicitur *Deo gratias*, præterquam in fine quintæ lectionis Daniëlis in sabbatis quatuor temporum, et in fine lectionum feriæ sextæ in Parasceve et Sabbati sancti.

2. Post epistolam dicitur *graduale*, quod semper dicitur, præterquam tempore Paschali, cujus loco tunc dicuntur duo versus, ùt habetur in rubrica in sabbato in Albis.

3. Post *graduale* dicuntur duo *alleluia*, deindè versus, et post versum, unum *alleluia*. Tempore Paschali, quando non dicitur *graduale*, dicitur aliud *alleluia* post secundum versum; et quando dicitur *sequentia*, non dicitur post ultimum versum, sed post *sequentiam*.

4. A septuagesima usque ad sabbatum sanctum non dicitur *alleluia*, neque dicitur in missis de feria in adventu, quatuor temporibus, et vigiliis quæ jejuntur, exceptis vigiliâ Nativitatis Domini, si venerit

in dominica, et vigiliâ Paschæ et Pentecostes, ac quatuor temporibus Pentecostes. Nec dicitur in festo SS. Innocentium, nisi venerit in dominica.

5. A septuagesima usque ad Pascha, ejus loco dicitur *tractus*, qui tractus prædicto tempore in aliquibus feriis non dicitur, ut suis locis ponitur: nec dicitur in feriis à septuagesima usque ad quadragesimam, quando repetitur missa dominicæ.

6. Dicto graduali, seu alleluia, seu tractu, dicitur *evangelium*, et in principio evangelii dicitur *Domine vobiscum*, R. *Et cum spiritu tuo*, deindè *sequentia sancti Evangelii secundum N. R. Gloria tibi Domine*. In fine evangelii à ministris respondetur *Laus tibi Christe*, quod etiam dicitur in fine illius partis passionis, quæ legitur in tono evangelii, præterquam in Parasceve. Postea, si dicendum est, dicitur *Credo*.

#### *De symbolo. XI.*

Symbolum dicitur post evangelium in omnibus dominicis per annum, etiamsi in illis fiat de festo, in quo aliàs non diceretur (vel dominica vacet). In tribus missis de Nativitate Domini, et deinceps usque ad octavam beati Joannis Apostoli inclusivè. In Epiphania et per octavam (In festo SS. Nominis Jesu). Feriâ quintâ in cœna Domini. In Paschate Resurrectionis, et per octavam. In Ascensione Domini, et per octavam. In festo Pentecostes, et per octavam. In festo corporis Christi, et per octavam. In omnibus festis B. Mariæ, et per octavas (In festo septem dolorum B. Mariæ). In festis duodecim apostolorum, et evangelistarum, et per octavas. In utraque cathedra S. Petri, et in festo S. Petri ad Vincula. In festis conversionis et commemorationis S. Pauli apostoli. In festo S. Joannis ante portam Latinam. In festo S. Barnabæ apostoli. In festis inventionis et exaltationis S. Crucis. In transfiguratione Domini. In festis Angelorum. In festo S. Mariæ Magdalenæ. In festis

quatuor doctorum, videlicet, Gregorii, Ambrosii, Augustini, et Hieronymi, additis festis S. Thomæ de Aquino, et S. Bonaventuræ. Item, in festis doctorum, Athanasii, Basilii, Gregorii, Nazianzeni, Joannis Chrysostomi, Isidori, Anselmi, Petri Chrysologi, et S. Leonis. In die octavarum S. Joannis Baptistæ, et S. Laurentii. In festo omnium Sanctorum, et per octavam. In dedicationibus S. Salvatoris, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli. In anniversario dedicationis propriæ ecclesiæ, et per octavam. In die consecrationis ecclesiæ, vel altaris. In festis SS. quibus dedicata est ecclesia, et ubi habetur corpus, vel insignis reliquia Sancti, de quo agitur. In die creationis et coronationis Summi Pontificis, et in anniversario ejusdem diei. In die et in anniversario electionis et consecrationis episcopi. Item in omnibus festis, quæ in dominicis et infra octavas celebrantur: in quibus ratione dominicæ et octavæ dici debet. Item in festo patroni alicujus loci, vel tituli ecclesiæ (non autem alicujus capellæ vel altaris) et in festis principalibus ordinum, et per eorum octavas, in ecclesiis tantum illius ordinis. Item dicitur *Credo* in missis votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in dominica.

*De offertorio, secretis, præfationibus et canonis. XII.*

1. Post symbolum, vel si non sit dicendum, post evangelium dicitur *Dominus vobiscum*, *Oremus*, deindè *offertorium*: postea fit oblatio cum orationibus, ut in ordine missæ. Quâ oblatione factâ, dicuntur *orationes secretæ* secundum numerum orationum, quæ clarâ voce in principio dictæ sunt; sed ante primam orationem non dicitur *Dominus vobiscum*, nec aliquid aliud, sed dicto *suscipiat Dominus sacrificium* absolutè dicuntur, neque etiam ante secundam orationem dicitur *Oremus*. Terminatur autem prima et ultima oratio, ut dictum est suprâ in

rubrica de orationibus; et secretò dicuntur usque ad illa verba, in conclusione, *per omnia sæcula sæculorum*, quæ clarâ voce proferuntur, et incipitur *præfatio*.

2. Præfationes autem dicuntur ut in ordine missæ annotatum est: et quæ in quadragesima, tempore passionis, et Paschali, et infra octavas propriæ assignantur, dicuntur etiam in dominicis et festis quæ illis temporibus celebrantur, nisi illa festa propriam præfationem habeant.

3. Si infra octavam alicujus festi, quod habet præfationem propriam, occurrat festum ex majoribus non habens propriam præfationem, dicitur præfatio de octava, quamvis de ea nulla fiat commemoratio in missa.

4. In missis votivis dicitur etiam præfatio propria, si propriam habeant, si verò non habuerint, dicitur præfatio de tempore, vel octava, infra quam contigerit hujusmodi missas celebrari, alioquin præfatio communis. Et quando aliqua missa votiva pro causa publica solemniter celebratur, dicitur in cantu solemni ut in duplicibus. In missis defunctorum quocumque tempore semper dicitur præfatio communis.

5. Post præfationem incipitur *canon missæ*, secretò, in quo servantur omnia ut in ordine missæ. Ubi verò infra actionem, *communicantes*, et *hanc igitur*, vel alia variari contingit, suo loco in propriis missis annotatur.

*De communionem, orationibus post communionem, ite missa est, vel benedicamus Domino, de benedictione, et evangelio S. Joannis. XIII.*

1. Expleto canone, et aliis omnibus usque ad communionem, eâ peractâ, dicitur *communio* et *orationes post communionem*, eodem modo et ordine ut in principio missæ; et repetito *Dominus vobiscum*, dicitur *ite missa est*, vel *benedicamus Domino*, pro temporis ratione. *Ite missa est* dicitur quandocumque

dictum est *Gloria in excelsis*. Cùm non dicitur, ejus loco dicitur *benedicamus Domino*. *By. Deo gratias*. In missis defunctorum dicitur *requiescant in pace*. *By. Amen*.

2. Dicto *placeat*, datur *benedictio*, quæ à celebrante semper datur in missa, præterquam in missis defunctorum. Deindè legitur evangelium sancti Joannis, *in principio*, præmisso *Dominus vobiscum*; et *initium* ut moris est, quod evangelium numquam prætermittitur in missa, nisi quando fit de festo in aliqua dominica, vel feria quæ habet evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Excipitur dominica quarta adventûs, cujus evangelium non legitur in fine missæ, quando in ea occurrit vigilia Nativitatis Domini, quia nec in officio lectum est. In tertia missa de die Nativitatis Domini legitur in fine evangelium de Epiphania, *cùm natus esset Jesus*. Et in dominica Palmarum in missis privatis legitur evangelium quod ponitur in benedictione palmarum, quod etiam lectum est in officio. In vigiliis quæ occurrunt in quadragesima, vel quatuor temporibus, non legitur evangelium vigiliæ in fine missæ. Et similiter in missis votivis nunquam legitur in fine aliud evangelium, nisi sancti Joannis.

*De ordinanda missa ex supradictis rubricis. XIV.*

Supradictis rubricis cognitis, si quis velit ordinare missam diei, recurrat ad ordinarium missarum de tempore, vel de Sanctis, secundùm qualitatem officii. Si proprium non habeat, recurrat ad commune Sanctorum. Si de feria agendum sit, et propria missa non fuerit de feria, dicatur missa præcedentis dominicæ, omissis *Gloria in excelsis* et *symbolo*, præterquam tempore Paschali, in quo semper dicitur *Gloria in excelsis*, ut supra, exceptâ missâ rogationum: et in adventu prætermittitur *alleluia* post *graduale*, cum suo versu. Si dicenda sit missa votiva, requiratur post commune Sanctorum suo loco. Si

plures orationes dicendæ sint, requirantur post missas votivas, suo loco de singulis rebus singulæ. Si pro defunctis dicenda sit missa, habetur post missas votivas cum collectis diversis circa finem missalis. Ordo totius missæ, cum præfationibus, canone et aliis dicendis, habetur suo loco, cum proprio missarum de tempore.

*De hora celebrandi missam. XV.*

1. Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quâcumque horâ ab aurora usque ad meridiem dici potest.

2. Missa autem conventualis et solemnis sequenti ordine dici debet: in festis duplicibus, et semiduplicibus, in dominicis et infra octavas, dictâ in choro Horâ Tertiâ: in festis simplicibus et feriis per annum, dictâ Sextâ: in adventu, quadragesimâ, quatuor temporibus, etiam infra octavam Pentecostes, et vigiliis quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, missa de tempore debet cantari post Nonam.

3. Missa autem defunctorum dici debet post Primam diei: ubi verò dicuntur eorum vigiliæ manè post Matutinum diei, dictis hujusmodi vigiliis cum Laudibus, immediatè dici potest missa pro defunctis. Sed in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, missa conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die etiam depositionis defuncti, vel tertio, septimo, trigesimo, aut anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.

4. Excipiuntur ab hoc ordine dicendi missam conventualem, missæ in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus*, in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Primâ; tertia verò in die post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione apostolica disponatur.

5. Missæ votivæ, quia non correspondent officio, si solemniter celebrantur pro re gravi, vel publica

Ecclesiæ causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam.

*De his quæ clarâ voce aut secretò dicenda sunt in missa. XVI.*

1. In missa privata clarâ voce dicuntur *antiphona* et *psalmus ad introitum*, *confessio*, et quæ sequuntur, exceptâ oratione *aufer à nobis*, et *oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum*, etc. Item *introitus*, *kyrie eleison*, *gloria in excelsis*, *Dominus vobiscum*, *oremus*, *flectamus genua*, *levate*, *oratio*, vel *orationes*, *prophetiæ*, *epistola*, *graduale*, *versus: tractus*, *sequentia*, *evangelium*, *credo*, *offertorium*, *orate fratres*, solùm hæc duo verba. *Præfatio*, *nobis quoque peccatoribus*, solùm hæc tria verba. Item *per omnia sæcula sæculorum*, etc., cum *Pater noster*, *pax Domini*, *agnus Dei*, *Domine non sum dignus*, hæc quatuor verba tantùm, *communio*, *oratio*, vel *orationes post communionem*, *humiliate capita vestra Deo*, *ite missa est*, vel *benedicamus Domino*, vel *requiescant in pace*, *benedictio*, et *evangelium in principio*, vel aliud *evangelium*. Alia omnia dicuntur secretò.

2. Sacerdos autem maximè curare debet, ut ea quæ clarâ voce dicenda sunt, distinctè et appositè proferat: non admodùm festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elatâ, ne perturbet alios, qui fortassè in eadem ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissâ, ut à circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quæ et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ verò secretò dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et à circumstantibus non audiatur.

3. In missa solemni clarâ voce à celebrante dicuntur *Gloria in excelsis* et *Credo*, quando intonantur *Dominus vobiscum*, et orationes ante epistolam, *Do-*



*minus, vobiscum; oremus, ante orationes et ante offertorium, præfatio, per omnia sæcula sæculorum, cum Pater noster, per omnia sæcula sæculorum, cum pax Domini, et orationes post communionem. Alia quæ in missa privata dicuntur clarâ voce, in missa solemnî à celebrante dicuntur submissâ voce.*

*De ordine genuflectendi, sedendi et standi in missa privata et solemnî. XVII.*

1. In missa privata sacerdos genuflectit quando legit evangelium sancti Joannis *in principio*, ad illa verba: *et Verbum caro factum est*. Et in evangelio Epiphaniæ *cùm natus esset Jesus*, ad illa verba, *et procidentes adoraverunt eum*. Item in evangelio feriæ quartæ post dominicam quartam quadragesimæ, ad illa verba in fine, *et procidens adoravit eum*. Item genuflectit dominicâ Palmarum, et in missis de cruce, ad illa verba in epistola, *in nomine Jesu omne genu flectatur, etc.*, et quando legitur passio, ad illa verba, *expiravit, vel emisit spiritum*, ut suis locis notatur. Item genuflectit cùm dicit *flectamus genua*. Item quando in quadragesima dicit in tractu  $\psi$ . *Adjuva nos Deus*, etc., et in omnibus missis de Spiritu sancto, cùm dicit  $\psi$ . *Veni sancte Spiritus, reple*, etc. Item quando Sacramentum in altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio altaris; et quodcumque in ordine missæ, et in ritu servando in celebratione missæ notatur quòd debeat genuflectere.

2. Circumstantes autem in missis privatis semper genuflectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur evangelium.

3. In missa solemnî, celebrans genuflectit ad omnia supradicta, præterquam ad *flectamus genua*, et tunc ipse solus stat, diaconus verò, et subdiaconus, et omnes alii genuflectunt. Ad versum verò, *adjuva nos Deus*, etc. et ad versum *Veni sancte Spiritus*, etc. genuflectit usque ad finem. Item genuflectit in die

Annuntiationis B. Mariæ, et in tribus missis Nativitatis Domini, quando cantatur in choro, *et incarnatus est*, etc. Aliis diebus, si sedeat cùm cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantùm profundè inclinat apertum: si non sedet, genuflectit.

4. Ministri semper genuflectunt cum celebrante, præterquam subdiaconus tenens librum ad evangelium, et acolythi tenentes candelabra qui tunc non genuflectunt. Et cùm diaconus cantat illa verba ad quæ est genuflectendum, ipse versùs librum, celebrans et omnes alii versùs altare genuflectunt.

5. In choro genuflectitur ab iis qui non sunt Prælati, ad confessionem cum suo psalmo. In missis autem feriarum adventûs, quadragesimæ, quatuor temporum, et vigiliarum quæ jejunantur, ac in missis defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad orationes, et dicto per celebrantem, *sanctus*, usque ad *pax Domini*, et ad *orationes post communionem*, et *super populum*, exceptâ vigiliâ Paschæ et Pentecostes ac Nativitatis Domini (et quatuor temporibus Pentecostes). Et similiter ab omnibus genuflectitur quando elevatur Sacramentum.

6. In missa item solemni, celebrans medius inter diaconum et subdiaconum sedere potest à cornu epistolæ juxta altare cùm cantantur *kyrie eleïson*, *Gloria in excelsis* et *Credo*, aliq̄ tempore stat ad altare vel genuflectit, ùt suprâ.

7. In choro non sedent qui actu cantant; reliqui autem possunt sedere quando celebrans sedet, et præterea dum cantatur *epistola* et *prophetiæ*, *graduale*, *tractus* vel *alleluia*, cum *versu*, *sequentia*, et ab *offertorio* usque ad incensationem chori, et si non incensatur, usque ad *præfationem*, et ad *antiphonam*, quæ dicitur *communio*. Ad alia stant, vel genuflectunt, ùt suprâ.

#### De coloribus paramentorum. XVIII.

1. Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum,

debent esse coloris convenientis officio et missæ diei, secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit, albo, rubeo, viridi, violaceo et nigro.

2. Albo colore utitur à Vesperis vigiliæ Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniæ inclusivè, exceptis festis martyrum, quæ infra eam veniunt; feriâ quintâ in cœna Domini, et sabbato sancto in officio missæ, et ab illo die usque ad sabbatum in vigilia Pentecostes ad Nonam, in officio de tempore, præterquam in missa litaniarum et rogationum. In festo SS. Trinitatis. In festo corporis Christi. In festo transfigurationis Domini (In festo nominis Jesu). In festis B. Mariæ Virginis, præterquam in benedictione candelarum, et processione quæ fit in festo Purificationis ejusdem. In festis Angelorum. In Nativitate sancti Joannis Baptistæ. In principali festo sancti Joannis evangelistæ, quod celebratur infra octavam Nativitatis Domini. In utraque cathedra sancti Petri. In festo sancti Petri ad Vincula. In conversione sancti Pauli (In festo sacrorum stigmatum sancti Francisci). In festo omnium Sanctorum. In festis confessorum Pontificum, et non Pontificum, et doctorum. In festis sanctarum virginum non martyrum, et nec virginum nec martyrum. In dedicatione et consecratione ecclesiæ vel altaris, ac in consecratione Summi Pontificis, et in anniversario creationis et coronationis ejusdem, et electionis et consecrationis episcopi. Item per octavas prædictorum festorum, quæ octavas habent, quando dicitur missa de octava, et in dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit officium de dominica, præterquam in illis dominicis, quibus tributus est color violaceus. In missis votivis supradictorum festorum, quocumque tempore dicantur: et in missa pro sponso et sponsa.

3. Rubeo colore utitur à vigilia Pentecostes in missa usque ad sabbatum sequens finitâ Nonâ et missâ. In festis sanctæ crucis. In decollatione sancti

Joannis Baptistæ. In natali apostolorum Petri et Pauli, et in festis aliorum apostolorum (exceptis festo principali sancti Joannis Evangelistæ post nativitatem, et festis conversionis sancti Pauli, et cathedræ sancti Petri et ejus vinculorum). In festo sancti Joannis ante portam Latinam. In commemoratione sancti Pauli apostoli. In festis martyrum, excepto festo sanctorum Innocentium, quando non venerit in dominica: si autem in dominica venerit, utitur rubeo; in ejus verò die octava semper utitur rubeo, quocumque die occurrat. In festis sanctarum virginum martyrum et martyrum non virginum. Item per octavas prædictorum festorum, quæ octavas habent, quando fit de octava, et in dominicis infra eas octavas occurrentibus, eodem modo ut dictum est suprâ de colore albo. Item in missis votivis supradictorum festorum, et in missa pro eligendo Summo Pontifice.

4. Viridi colore utitur ab octava Epiphaniæ usque ad septuagesimam, et ab octava Pentecostes usque ad adventum exclusivè, in officio de tempore, exceptâ dominicâ SS. Trinitatis, ut suprâ; ac exceptis dominicis infra octavas occurrentibus, in quibus color octavarum servatur, exceptis etiam vigiliis et quatuor temporibus, ut infra.

5. Violaceo colore utitur à prima dominica adventûs in primis Vesperis, usque ad missam vigiliæ Nativitatis Domini inclusivè, et à septuagesima usque ad sabbatum sanctum ante missam inclusivè, in officio de tempore, exceptâ feriâ quintâ in cœna Domini, in qua utitur albo, et feriâ sextâ in Parasceve, in qua utitur nigro, ut infra: et benedictione cerei in sabbato sancto, in qua diaconus, illius præfationem dicens, solus utitur albo; eâ autem finitâ, violaceo ut priùs. Item in vigilia Pentecostes ante missam, à prima prophetia usque ad benedictionem fontis inclusivè. In quatuor temporibus, et vigiliis quæ jejunantur, exceptis vigiliâ et quatuor tempo-

ribus Pentecostes. In missa litaniarum in die sancti Marci evangelistæ, et rogationum, et in processionibus quæ his diebus fiunt. In festo SS. Innocentium, quando non venerit in dominica. In benedictione candelarum in die purificationis B. Mariæ, et in benedictione cinerum, ac palmarum, et ipsâ dominicâ in palmis, et in eorundem, ac generaliter in omnibus processionibus: exceptis processionibus SS. Sacramenti, et quæ fiunt in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione. In missis de passione Domini pro quacumque necessitate, pro peccatis, ad postulandam gratiam benè moriendi, ad tollendum schisma, contra Paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, et pro infirmis.

6. Nigro colore utitur feriâ sextâ in Parasceve, et in omnibus officiis et missis defunctorum.

*De qualitate paramentorum. XIX.*

1. In officio missæ celebrans semper utitur planetâ super albam.

2. Si autem sit episcopus, et solemniter celebret, super dalmaticam et tunicellam.

3. Pluviali utitur in processionibus, et benedictionibus, quæ fiunt in altari. Item in officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur assistens celebranti in missa Pontificali. Item quando celebrans post missam defunctorum facit in fine absolutionem.

4. Cùm celebrans utitur pluviali, semper deponit manipulum; et ubi pluviale haberi non potest, in benedictionibus quæ fiunt in altari, celebrans stat sine planeta cum alba et stola.

5. Dalmaticâ et tunicellâ utuntur diaconus et subdiaconus in missa solemni, et processionibus, et benedictionibus, quando sacerdoti ministrant.

6. In diebus verò jejuniorum (præterquam in vigiliis Sanctorum) et in dominicis et feriis adventûs

et quadragesimæ, ac in vigilia Pentecostes ante missam (exceptis dominicâ *gaudete*, etiamsi ejus missa infra hebdomadam repetatur, et dominicâ *letare*, vigiliâ Nativitatis Domini, sabbato sancto in benedictione cerei, et in missa, ac quatuor temporibus Pentecostes), item in benedictione candelarum, et processione in die purificationis B. Mariæ, et in benedictione cinerum ac benedictione palmarum, et processione in cathedralibus et præcipuis ecclesiis utuntur planetis plicatis ante pectus: quam planetam diaconus dimittit cùm lecturus est evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur: aut ponitur aliud genus stolæ latioris in modum planetæ plicatæ; et factâ communionem, resumit planetam, ut prius. Similiter subdiaconus dimittit eam cùm lecturus est epistolam, quam legit in alba; et eâ finitâ, osculatâque celebrantis manu, planetam resumit ut prius.

7. In minoribus autem ecclesiis, prædictis diebus jejuniorum albâ tantum amicti ministrant: subdiaconus cum manipulo, diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.

*De præparatione altaris et ornamentorum ejus. XX.*

Altare, in quo sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab episcopo consecratum; vel saltem ara lapidea, similiter ab episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut hostiam, et majorem partem calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblongâ, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis. Super altare collocetur crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere. Ad crucis pedem ponatur tabella secretarum

appellata. In cornu epistolæ cussinus supponendus missali : et ab eadem parte epistolæ paretur cereus, ad elevationem sacramenti accendendus, parva campanula, ampullæ vitreæ vini et aquæ, cum pelvicula et manutergio mundo, in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata. Super altare nihil omninò ponatur, quod ad missæ sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat.

## RITUS SERVANDUS

### IN CELEBRATIONE MISSÆ.

#### *De præparatione Sacerdotis celebraturi. I.*

I. SACERDOS celebraturus missam, præviâ confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, et orationes in missali positas pro temporis opportunitate dicat. Deindè accedit ad locum in sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque celebrationem necessaria habentur: accipit missale, perquirat missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea quæ dicturus est. Postea lavat manus, dicens orationem in eodem missali positam. Deindè præparat calicem, qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata, ab episcopo consecratus, super ejus os ponit purificatorium mundum, et super illud patenam cum hostia integra; quam leviter extergit, si opus est, à fragmentis, et eam tegit parvâ pallâ lineâ, tum velorum, intus habentem corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab episcopo,

vel alio habente facultatem , simul cum palla benedictum.

2. Quibus ita dispositis accedit ad paramenta , quæ non debent esse lacera aut scissa , sed integra , et decenter munda ac pulchra , et ab episcopo itidem , vel alio facultatem habente , benedicta : ubi calceatus pedibus , et indutus vestibus sibi convenientibus , quarum exterior saltem talum pedis attingat , induit se , si sit prælatus sæcularis , suprâ rochetum ; si sit prælatus regularis , vel alius sacerdos sæcularis , supra superpelliceum , si commodè haberi possit , alioquin sine eo supra vestes communes , dicens ad singula singulas orationes , in missali positas.

3. Ac primùm accipiens amictum circa extremitates et chordulas , osculatur illud in medio , ubi est crux , et ponit super caput , et mox declinat ad collum , et eo vestium collaria circumtegens , ducit chordulas sub brachiis , et circumducens per dorsum ante pectus reducit et ligat. Tum albâ induitur , caput submittens , deindè manicam dexteram brachio dextro , sinistram sinistro imponens. Albam ipsam corpori adaptat , elevat antè , et à lateribus hinc indè , et cingulo per ministrum à tergo sibi porrecto , se cingit. Minister elevat albam super cingulum circumcircà , ut honestè dependeat , et tegat vestes , ac ejus fimbrias diligenter aptat , ut ad latitudinem digiti vel circiter super terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit manipulum , osculatur crucem in medio , et imponit brachio sinistro. Deindè ambabus manibus accipiens stolam , simili modo deosculatur , et imponit medium ejus collo , ac transversando eam ante pectus in modum crucis , ducit partem à sinistro humero pendentem ad dexteram , et partem à dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem stolæ extremitatibus cinguli hinc indè ipsi cingulo conjungit.

4. Si celebrans sit episcopus , non ducit stolam



ante pectus in modum crucis, sed sinit hinc indè utrasque extremitates pendere; et antequam accipiat stolam, accipit parvam crucem pectoralem, quam osculatur, et collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante stolam, nisi in missis defunctorum, sed accipit ad altare, cùm in confessione dicit *indulgentiam*, illudque prius osculatur.

5. Postremò sacerdos accipit planetam. Si sit episcopus et solemniter celebret, accipit paramenta, et alia ùt in cæremoniali.

### *De ingressu sacerdotis ad altare. II.*

1. Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistrâ calicem ùt suprâ præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextrâ super calicem tenens, et factâ reverentiâ cruci, vel imagini illi quæ in sacristia erit, capite cooperto accedit ad altare, ministro cum missali et aliis ad celebrandum necessariis (nisi antè fuerint præparata) præcedente superpelliceo induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si verò contigerit eum transire ante altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam: si ante locum Sacramenti, genuflectat: si ante altare ubi celebretur missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et delecto capite illud adoret, nec antè surgat, quàm celebrans deposuerit calicem super corporale.

2. Cùm pervenerit ad altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, birretum ministro porrigit, et altari, seu imagini crucifixi desuper positæ profundè inclinatur. Si autem in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tum ascendit ad medium altaris: ibi ad cornu evangelii sistit calicem, extrahit corporale de bursa, quod extendit in medio altaris, et

super illud calicem velo coopertum collocat, bursam autem ad cornu evangelii. Si in altari paramenta accipit, hoc idem facit antequam descendat ab altari ut missam inchoet.

3. Si est consecraturus plures hostias pro communione facienda, quæ ob quantitatem super patena manere non possunt, locat eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato, vel vase mundo benedicto, ponit eas retrò post calicem, et aliâ patenâ seu pallâ cooperit.

4. Collocato calice in altari, accedit ad cornu epistolæ, missale super cussino aperit, reperit missam, et signacula suis locis accommodat. Deindè rediens ad medium altaris, factâ primùm cruci reverentiâ, vertens se ad cornu epistolæ, descendit post infimum gradum altaris, ut ibi faciat confessionem.

5. In missa solemni missale apertum super altare, calix verò et alia necessaria præparentur in credentia cooperta linteo, antequam sacerdos veniat ad altare. Ipse autem procedit cum diacono et subdiacono, qui capite cooperto simul cum eo tenent manus junctas ante pectus; acolythi verò ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super credentia: et cùm pervenerit ante infimum gradum altaris, ibi medius inter diaconum à dextris, et subdiaconum à sinistris, antequam ascendat ad altare, facit cum ipsis (ut infrà) confessionem.

6. In missa pontificali omnia servantur, ut in pontificali et cæremoniali ordinatur; cujus ordinem episcopus nunquam prætermittat, quodcumque cum diacono et subdiacono paratis celebrat.

*De principio missæ, et confessione facienda. III.*

I. Sacerdos cùm primùm descenderit sub infimum gradum altaris, convertit se ad ipsum altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis

et junctis pariter digitis, et pollice dextro super sinistrum posito in modum crucis (quod semper servatur quando junguntur manus, præterquam post consecrationem), detecto capite, factâ prius cruci vel altari profundâ reverentiâ, vel, si in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti, factâ genuflexione, erectus incipit missam.

2. Si celebraturus sit coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum altaris à cornu evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus expectat: acceptâ benedictione erigit se, et stans aliquantulum versus ad altare, incipit missam. Si autem sit coram cardinali, legato Sedis apostolicæ, aut patriarcha, archiepiscopo et episcopo in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum à cornu evangelii, ùt suprâ, expectat; dato signo facit profundam reverentiam prælato, et versus ad altare incipit missam.

3. Si autem solemniter celebrat coram Summo Pontifice, aut alio ex prælatis prædictis in ecclesiis eorum jurisdictionis, stans à sinistris prælati, facit cum eo confessionem, et alia servat, ùt in pontificali et cæremoniali ordinatur.

4. Stans igitur celebrans ante infimum gradum altaris ùt suprâ, producens manu dexterâ à fronte ad pectus signum crucis, dicit intelligibili voce: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, amen.* Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuatè prosegui missam suam usque ad finem. *Quod item observatur in missa solemnî, et simul etiam à ministris.*

5. Cùm seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus: in aliis benedictionibus cùm est ad altare, et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manûs dextræ, et omni-

bus illius digitis junctis et extensis , à fronte ad pectus , et ab humero sinistro ad dextrum , signum crucis format. Si verò alios, vel rem aliquam benedicit , parvum digitum vertit ei cui benedicit , ac benedicendo , totam manum dextram extendit; omnibus illius digitis pariter junctis et extensis : quod in omni benedictione observatur.

6. Postquam dixerit : *In nomine Patris* , etc. ut suprâ , jungens iterum manus ante pectus , pronuntiat clarâ voce antiphonam *introibo ad altare Dei*. Minister verò post eum ad sinistram genuflexus , (et in missa solemnî ministri hinc inde stantes prosequuntur) *Ad Deum qui lætificat juventutem meam*. Deindè sacerdos eodem modo stans incipit , et prosequitur cum ministro vel ministris alternatim psalmum *judica me Deus* , usque ad finem cum *Gloria Patri*. Quo finito , repetit antiphonam *introibo* , cum ministris ut suprâ. Qui psalmus numquam præmittitur , nisi in missis defunctorum , et in missis de tempore à dominica passionis inclusivè usque ad sabbatum sanctum exclusivè , in quibus semel tantum dictâ antiphonâ *introibo* , cum ministris ut suprâ , sacerdos statim subjungit *ÿ. Adjutorium nostrum* , etc. ut infrâ. Cùm in fine psalmi dicit *Gloria Patri* , etc. , caput cruci inclinât.

7. Repetitâ antiphonâ *introibo* , dextrâ manu producens signum crucis à fronte ad pectus , dicit *ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini* , *R. Qui fecit cælum et terram*. Deindè altari se profundè inclinans , junctis manibus dicit : *Confiteor Deo* , ut in ordine missæ , et prosequitur eodem modo stans inclinatus , donec à ministro vel ministris dictum sit *misereatur*. Cùm incipitur à ministris *confiteor* , se erigit. Cùm dicit *meâ culpâ* , ter pectus dexterâ manu percutit , sinistrâ infrâ pectus positâ.

8. Si est coram Pontifice , cardinali , legato Sedis apostolicæ , vel patriarcha , archiepiscopo et epi-

scopo, in eorum provincia, civitate, vel diœcesi constitutis ubi dicit: *vobis fratres*, dicat: *tibi pater*. Similiter in fine; ubi dicit: *vos fratres*, dicat: *te pater*; quod dicens Summo Pontifici genuflectit, aliis prælatis profundè se inclinât.

9. Cùm minister, et qui intersunt (etiãsi ibi fuerit Summus Pontifex) respondent: *confiteor*, dicunt *tibi pater*, et, *te pater*, aliquantulum conversi ad celebrantem.

10. Factâ à circumstantibus confessione, celebrans respondet *misereatur vestri*, etc. Deindè producens manu dextrâ à fronte ad pectus signum crucis, dicit *indulgentiam*, etc., et si est episcopus, accipit manipulum osculando illum in medio. Et stans inclinatus junctis manibus prosequitur: *Deus tu conversus*, et quæ sequuntur in ordine missæ clarâ voce usque ad orationem *aufer à nobis*, etc. Et cùm dicit *oremus*, extendit et jungit manus.

11. Et tunc si coram Summo Pontifice, aut aliis prælatis, ùt suprâ, celebret, factâ Summo Pontifici genuflexione, aliis prælatis profundâ reverentiâ, accedit ad medium altaris ante infimum gradum, et ibi incipit secretò: *aufer à nobis*, etc.; ùt in ordine missæ.

*De introïtu, kyrie eleïson et Gloria in excelsis.* IV.

1. Dùm dicit *aufer à nobis*, etc. Celebrans junctis manibus ascendit ad medium altaris, et ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulæ seu mensæ altaris tangant: residuo manuum inter altare et se retento, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito (quæ omnia semper observantur cùm manus junctæ super altare ponuntur), secretò dicit *oramus te, Domine*, etc.; et cùm dicit *quorum reliquiæ hîc sunt*, osculatur altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc indè

super eo positis, quod semper servatur quando osculatur altare; sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur in omni etiam deosculatione sive altaris, sive libri, vel alterius rei, non producit signum crucis pollice vel manu super id quod osculandum est.

2. Osculato altari accedit ad cornu ejus sinistrum, id est epistolæ, ubi stans versus altare, et producens à fronte ad pectus signum crucis, incipit intelligibili voce *introïtum* missæ, et prosequitur junctis manibus. Cùm dicit *gloria Patri*, tenens junctas manus, caput inclinatur versùs crucem. Cùm repetit *introïtum*, non signat se ùt priùs; et eo repetito, junctis manibus ante pectus, accedit ad medium altaris, ubi stans versus illud similiter manibus junctis, dicit eadem voce ter *kyrie eleïson*, ter *Christe eleïson*, et iterùm ter *kyrie eleïson*, alternatim cum ministro. Si minister, vel qui intersunt, celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.

3. Dicto ultimo *kyrie eleïson*, sacerdos stans in medio altaris, et manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur), voce prædictâ incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis*. Cùm dicit *Deo*, jungens manus, caput cruci inclinatur, quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cùm dicit *adoramus te: gratias agimus tibi, Jesu Christe: suscipe deprecationem nostram*, et iterùm *Jesu Christe*, caput cruci inclinatur. Cùm dicit in fine *cum Sancto Spiritu*, seipsum à fronte ad pectus signat, interim absolvens *in gloria Dei Patris, Amen*.

4. In missa solemni, sacerdos factâ confessione, ascendit cum ministris ad medium altaris, ubi dicto *oramus te, Domine*, et osculato altari, ponit incensum in thuribulum, ministrante diacono naviculam, et thuriferario thuribulum, diaconus parùm inclinatus versùs celebrantem, dicit: *benedicite, pater*

*reverende*, et osculatur cochlear et manum celebrantis antè et post. Celebrans ter incensum ponit in thuribulum, dicens interim: *ab illo benedicaris*, et deposito cochleari, producens manu dextrâ signum crucis super thus in thuribulo, illud benedicit. Postea diaconus dimissâ naviculâ, accipit thuribulum, et dat celebranti, osculatâ priùs catenularum summitate, et manu illius dextrâ, qui factâ cruci profundâ reverentiâ; eam ter incensat, nihil dicens: et factâ iterùm cruci reverentiâ, incensat altare, ter ducens thuribulum æquali distantîâ prout distribuuntur candelabra, à medio ejus usque ad cornu epistolæ, ubi demissâ manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto thuribulo: et conversus ad altare, elevans manum, incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium; ubi factâ cruci reverentiâ, procedendo thurificat aliud latus altaris triplici ductu usque ad cornu evangelii: et pariter incensatâ inferiori et superiori parte ipsius cornu evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulæ partem versùs medium altaris, ut fecit in cornu epistolæ; deindè manu aliquantum demissâ, incensat anteriorem ejus partem seu frontem, ter ducens thuribulum dum procedit à cornu evangelii usque ad medium altaris; et factâ cruci reverentiâ, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu epistolæ, ubi reddito thuribulo ipsi diacono, ab eo ipse solus incensatur.

5. Si verò in altari fuerint reliquiæ, seu imagines Sanctorum, incensatâ cruce, et factâ ei reverentiâ, antequam discedat à medio altaris, primùm incensat eas quæ à dextris sunt, id est à parte evangelii, prope crucem, bis ducens thuribulum, et iterùm factâ cruci reverentiâ, similiter incensat bis alias, quæ sunt à sinistris, hoc est à parte epistolæ: deindè prosequi-

tur incensationem altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures reliquiæ vel imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.

6. Si in altari fuerit tabernaculum SS. Sacramenti, accepto thuribulo antequam incipiat incensationem, genuflectit; quod item facit quotiescumque transit ante medium altaris.

7. Diaconus et subdiaconus hinc indè assistunt celebranti dum incensat, et cum transeunt ante crucem, semper genuflectunt. Deindè celebrans, diacono à dextris ejus, subdiacono à dextris diaconi stantibus in cornu epistolæ, legit *introïtum* et *kyrie eleïson*. Cum verò intonat hymnum *Gloria in excelsis Deo*, diaconus et subdiaconus, unus post alium, stant à tergo celebrantis: postea ascendunt ad altare, et hinc indè, diaconus à dextris; subdiaconus à sinistris, cum celebrante hymnum submissâ voce prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur cum dicitur *Credo*, et cum dicitur *Dominus vobiscum*, *oratio*, *præfatio* et *Pater noster*, diaconus et subdiaconus similiter stant unus post alterum à tergo celebrantis.

#### De oratione. V.

1. Dicto hymno *Gloria in excelsis*, vel, si non sit dicendus, eo omisso, celebrans osculatur altare in medio, manibus hinc indè super eo, ut supra, extensis, tum illis ante pectus junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se à sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu epistolæ, et extendens ac jungens manus ante pectus, ut priùs, dicit voce prædictâ: *Dominus vobiscum*, vel si sit episcopus, *pax vobis* (quod dicitur tantùm hoc loco, quando dictus est hymnus *Gloria in excelsis*), *R. et cum spiritu tuo*. Et junctis ut priùs manibus, revertitur per eandem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque



cruci inclinans, dicit *oremus*, tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manûs respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat; quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ùt suprâ, extensis manibus, dicit *orationem*. Cùm dicit *per Dominum nostrum*, jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur oratio *qui tecum*, vel *qui vivis*, cùm dicit *in unitate*, jungit manus.

2. Cùm nominatur nomen Jesus, caput versùs crucem inclinât; quod etiam facit cùm nominatur in epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen beatæ Mariæ vel Sanctorum, de quibus dicitur missa, vel fit commemoratio; item in oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinât, non tamen versùs crucem. Si plures orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod suprâ dictum est, observatur.

3. Si altare sit ad Orientem versùs populum, celebrans versâ facie ad populum, non vertit humeros ad altare, cùm dicturus est *Dominus vobiscum*, *orate fratres*, *ite Missa est*, vel daturus benedictionem; sed osculato altari in medio; ibi expansis et junctis manibus, ùt suprâ, salutât populum et dat benedictionem.

4. In quatuor temporibus, vel aliàs quando dicendæ sunt plures orationes cum prophetiis, dicto *kyrie eleïson*, in medio altaris, revertitur ad cornu epistolæ, ubi stans ante librum, extensis et junctis ante pectus manibus, et caput cruci inclinans, dicit *oremus*, *flectamus genua*, et illicò manibus super altare extensis, ut seipsum ad altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eâdem voce ministro respondente *levate*, manibus extensis dicit *orationem*, ùt suprâ, et in conclusione eas jungit. Dùm autem legit prophetias, tenet manus super librum vel altare positas, ùt mox dicetur de epistola.

5. In missa solemni, cùm dicitur *Dominus vobiscum* et oratio, diaconus et subdiaconus stant retrò post celebrantem. *Flectamus genua*, dicitur à diacono; à subdiacono verò, *levate*, illo primùm genuflectente, hoc primùm surgente; celebrans verò non genuflectit.

*De Epistola, graduali, et aliis usque ad  
offertorium. VI.*

1. Dictis orationibus, celebrans positus super librum vel super altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit *epistolam* intelligibili voce, et respondetur à ministro, *Deo gratias*, et similiter stans eodem modo, prosequitur *graduale*, *alleluia* et *tractum* ac *sequentiam* si dicenda sint. Quibus dictis, sacerdos si privatim celebret, ipsemet, seu minister portat librum missalis ad alteram partem altaris in cornu evangelii, et dum transit ante medium altaris, caput cruci inclinatur, et missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris, et non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.

2. Locato missali in altari, celebrans redit ad medium altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis, et statim demissis, tum profundè inclinatus, dicit secretò: *manda cor meum* et jube *Domine benedicere*, *Dominus sit in corde meo*, ut in ordinario. Quibus dictis vadit ad librum missalis, ubi stans versùs illum junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce: *Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo*. Deindè pollice dextræ manûs signo crucis signat primò librum super principio evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore et pectore, dicens, *sequentia* vel *initium evangelii*, etc. *R. Gloria tibi Domine*. Tum junctis iterùm manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur evangelium usque ad finem. Quo finito,

minister stans in cornu epistolæ post infimum gradum altaris respondet *laus tibi Christe*, et sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium evangelii, dicens: *per evangelica dicta*, etc., præterquam in missis defunctorum et nisi celebret coram Summo Pontifice, cardinali et legato Sedis apostolicæ vel patriarcha, archiepiscopo et episcopo, in eorum residentiis, quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, et celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit *per evangelica dicta*. Cùm autem nominatur Jesus, caput versùs librum inclinat, et eodem modo versùs librum genuflectit, cùm in evangelio est genuflectendum.

3. Dicto evangelio, stans in medio altaris versùs crucem, elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo*; cùm dicit *in unum Deum*, jungit manus, et caput cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut priùs, prosequitur usque in finem. Cùm dicit *Jesum Christum*, caput cruci inclinat. Cùm dicit *et incarnatus est*, usque ad *et homo factus est* inclusivè, genuflectit. Cùm dicit *simul adoratur*, caput cruci inclinat. Cùm dicit *et vitam venturi sæculi, amen*, producit sibi manu dexterâ signum crucis à fronte ad pectus.

4. In missa solemni subdiaconus circa finem ultimæ orationis accipit ambabus manibus librum epistolarum, deferens illum suprâ pectus, et factâ altari genuflexione in medio, vadit ad partem epistolæ contra altare, et cantat epistolam, quam etiam celebrans interim submissâ voce legit, assistente sibi diacono à dextris, et item graduale, tractum, etc., usque ad *munda cor meum*. Epistolâ cantatâ, subdiaconus facit iterùm genuflexionem altari in medio, ac redit ad celebrantem, et genuflectens osculatur ejus manum, et ab eo benedicitur, præterquam in missis defunctorum.

5. Postea idem subdiaconus accipit missale celebrantis, defert ad cornu evangelii in altari, et ibi

ministrat celebranti, qui in medio altaris submissâ voce dicto *munda cor meum*, etc., et deindè lecto evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per diaconum libro evangeliorum ad altare, imponit incensum in thuribulum. Postea diaconus genuflexus ante altare, dicit *munda cor meum*, et accipiens librum evangeliorum de altare, petit benedictionem à celebrante similiter genuflexus in superiori gradu altaris; et osculatâ illius manu, præcedentibus thuriferario et duobus acolythis cum candelabris accensis de credentia sumptis, vadit cum subdiacono à sinistris ad locum evangelii contra altare versùs populum, ibi subdiacono librum tenente, medio inter duos acolythos tenentes candelabra accensa, dicit: *Dominus vobiscum*, junctis manibus. Cùm dicit *sequentia*, etc., signat librum in principio evangelii, frontem, os et pectus: postea ter librum incensat, hoc est, in medio, à dextris et à sinistris, et prosequitur evangelium junctis manibus. Interim celebrans, post datam diacono benedictionem, retrahens se ad cornu epistolæ, ibi stat junctis manibus. Et cùm diaconus dicit *sequentia sancti evangelii*, sacerdos etiam signat se: et cùm nominatur Jesus, caput inclinatur versùs altare. Finito evangelio, sacerdos osculatur librum à subdiacono sibi delatum, dicens: *per evangelica dicta* etc., et à diacono ter incensatur. Si sit coram prælato in sua residentia, liber defertur ad prælatum, ut suprâ, et ille incensatur, ut in cæremoniali. Postea stans in medio altaris versus ad crucem, incipit si dicendum sit, *Credo*, stantibus post eum diacono et subdiacono; deindè ad altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad *Gloria in excelsis*.

6. Si autem sit prædicandum, concionator finito evangelio prædicet, et sermone sive concione expletâ, dicatur *Credo*, vel, si non sit dicendum, cantetur *offertorium*.

7. Cùm verò in symbolo cantatum fuerit *et incarnatus est*, diaconus acceptâ bursâ de credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium altaris, in quo explicat corporale et revertitur ad celebrantem. Cùm non dicitur *Credo*, subdiaconus defert bursam simul cum calice ut infrâ dicetur.

8. Si quandoque celebrans cantat missam sine diacono et subdiacono, *epistolam* cantat in loco consueto aliquis lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum celebrantis: *evangelium* autem cantat ipse celebrans ad cornu evangelii, qui et in fine missæ cantat *ite Missa est*, vel *benedicamus Domino*, aut *requiescant in pace*, pro temporis diversitate.

*De offertorio et aliis usque ad canonem.* VII.

1. Dicto *symbolo*, vel si non sit dicendum, post *evangelium* celebrans osculatur altare in medio, et junctis manibus ante pectus ibidem à manu sinistra ad dexteram (ut dictum est suprâ) vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus dicit *Dominus vobiscum*, et junctis manibus revertitur per eandem viam ad medium altaris, ubi extendens et jungens manus, caputque cruci inclinans, dicit *oremus*; tùm junctis ut priùs manibus, dicit *offertorium*; et omnia quæ usque ad finem missæ in medio altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad altare, nisi ubi aliter ordinatur.

2. Dicto *offertorio*, discooperit calicem, et ad cornu epistolæ sistit, et manu dextrâ amovet parvam pallam desuper hostiam, accipit patenam cum hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, et statim demissis, dicit *suscipe sancte Pater*, etc.

3. Si fuerint aliæ hostiæ non super patenam, sed super corporale, vel in alio calice seu vase pro comunione populi consecrandæ, calicem illum seu vase dextrâ discooperit, et intentionem suam etiam ad

illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit ut supra, *suscipe sancte Pater*, etc. ut in ordine missæ. Quo dicto, patenam utrâque manu tenens, cum ea facit signum crucis super corporale, et deponit hostiam circa medium anterioris partis corporalis ante se, et patenam ad manum dextram aliquantulum subtus corporale, quam exterso calice, ut dicitur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu calix cum aliis hostiis, ipsum cooperit aliâ patenâ, vel pallâ.

4. Deindè in cornu epistolæ accipit calicem, purificatorio extergit, et sinistrâ tenens illius medium, accipit ampullam vini de manu ministri, (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum celebrantis) et ponit vinum in calicem. Deindè eodem modo tenens calicem, producit signum crucis super ampullam aquæ; et dicit: *Deus, qui humanæ substantiæ*, et infundens parùm aquæ in calice, prosequitur, *da nobis per hujus aquæ et vini mysterium*, etc. Si verò celebrat pro defunctis, non facit signum crucis super aquam; sed imponit absque benedictione, dicens orationem, ut supra.

5. Impositâ aquâ in calice, et finitâ oratione prædictâ, accipit manu dextrâ calicem discoopertum, et stans ante medium altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextera autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis, offert, dicens: *offerimus tibi Domine*, etc.; quâ oratione dictâ, facit signum crucis cum calice super corporale, et ipsum in medio post hostiam collocat, et pallâ cooperit. Deindè junctis manibus super altare positis, aliquantulum inclinat, dicit secretò: *in spiritu humilitatis*, etc. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, et statim jungens ante pectus (quod semper facit quando aliquid est benedicturus) dicit: *Veni sanctificator*, etc. Cùm dicit *et benedic*, signat manu dextrâ communiter super hostiam et calicem, sinistrâ positâ super altare.

6. Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu epistolæ, ubi stans, ministro aquam fundente lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens psalmum *lavabo inter innocentes*, cum *Gloria Patri*, etc. qui versus *gloria Patri* prætermittitur in missis defunctorum et in missis de tempore, à dominica de passione usque ad sabbatum sanctum exclusivè.

7. Celebrans lotis manibus, eas tergit, et illis ante pectus junctis, revertitur ad medium altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super altare, aliquantulum inclinatus, dicit secretò orationem: *suscipe sancta Trinitas*, etc. Quâ dictâ, manibus hinc indè extensis, et super altare positis, osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, à sinistrâ manu ad dextram, vertit se ad populum, et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elatâ: *orate fratres*, et secretò prosequens *ut meum ac vestrum sacrificium*, etc., perficit circulum, revertens junctis manibus ante pectus à manu dextra ad medium altaris. Et responso à ministro vel à circumstantibus: *suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis*, etc. (alioquin per seipsum, dicens *sacrificium de manibus meis*), ipse celebrans submissâ voce dicit *amen*, et manibus ante pectus extensis, ut fit ad orationem, stans in medio altaris versus librum, dicit absolutè sine *oremus*, et sine alia interpositione, *orationem* vel *orationes secretas*. Cùm dicit: *per Dominum*, jungit manus, cùm dicit *Jesum Christum*, caput inclinat, quod facit in prima oratione et in ultima, si plures sint dicendæ.

8. Pervento autem in conclusione ultimæ secretæ ad verba illa *per omnia sæcula sæculorum* exclusivè, sacerdos stans in medio altaris, depositis super eo manibus hinc indè extensis, dicit convenienti et in-

telligibili voce *præfationem*. Cùm dicit *sursùm corda*, elevat manus hinc indè extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manûs respiciat alteram. Cùm dicit *gratias agamus Domino*, jungit manus: cùm dicit *Deo nostro*, oculos elevat, et statim cruci caput inclinât. Responso *dignum et justum est*, elevatis et extensis ut priùs manibus, prosequitur *præfationem* propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cùm dicit *sanctus*, junctis ante pectus manibus, et inclinatus, voce mediocri prosequitur; ministro interim parvam campanulam pulsante. Cùm dicit *benedictus qui venit in nomine Domini*, etc. erigit se, et signum crucis sibi producit à fronte ad pectus.

9. In missa solemni, dicto *oremus*, diaconus et subdiaconus accedunt ad altare in cornu epistolæ, diaconus amovet calicem, si est in altari, vel si est in credentia, ut magis decet, accipit eum de manu subdiaconi, qui illum cum patena et hostia, coopertum pallâ et velo à collo sibi pendente, manu sinistrâ tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de credentia detulit, comitatus ab acolytho, ampullas vini et aquæ portante; ipse diaconus calicem detigit, et dat patenam cum hostia celebranti, osculando ejus manum: subdiaconus extergit calicem purificatorio, diaconus acceptâ ampullâ vini de manu subdiaconi, imponit vinum in calice; subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens celebranti, dicit: *benedicite pater reverende*, qui facto versùs eam signo crucis, dicit orationem *Deus, qui humanæ*, etc. Interim subdiaconus infundit paululùm aquæ in calicem: diaconus illum celebranti dat, et pedem calicis tangens, seu brachium dextrum celebrantis sustentans, cum eo dicit: *offerimus tibi Domine*, etc., quem postea positum in altari ut suprâ, pallâ cooperit. Subdiacono deindè stanti in cornu epistolæ, ponit in dextra manu patenam, quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pen-



dentis, qui vadit post celebrantem ante medium altaris et factâ genuflexione, ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem orationis dominicæ, ùt dicitur. In missis autem defunctorum, et in feria sexta Parasceves, patena non tenetur à subdiacono.

10. Dicto *Veni sanctificator*, ùt suprâ, celebrans, ministrante diacono naviculam, et dicente *benedicite pater reverende*, ponit incensum in thuribulum, dicens *per intercessionem*, etc. ùt in ordine missæ. Deindè accepto thuribulo per manum diaconi, nullam tunc faciens cruci reverentiam, incensat oblata, ter ducens thuribulum super calicem et hostiam simul in modum crucis et ter circum calicem et hostiam, scilicet bis à dextra ad sinistram, et semel à sinistra ad dextram (diacono interim pedem calicis tenente manu dextrâ), dispensans verba quælibet in incensatione, hoc modo. In prima incensatione, *incensum istud*. In secunda, *à te benedictum*. In tertia, *ascendat ad te Domine*. In quarta, *et descendat super nos*. In quinta et sexta, *misericordia tua*. Deindè factâ reverentiâ, incensat crucem et altare, ùt dictum est suprâ, assistente eodem diacono, interim dicens : *dirigatur Domine oratio mea*, etc., et cùm incensatur crux, diaconus amovet calicem ad partem epistolæ, et incensatâ cruce, reponit in loco suo. Cùm reddit thuribulum diacono, dicit *accendat in nobis*, etc. et incensatur ab eo : deindè diaconus incensat chorum, et postremò subdiaconum tenentem patenam : et ipse diaconus incensatur à thuriferario, et thuriferarius postea incensat acolythos et populum. Celebrans, postquàm incensatus fuerit, lavat manus, ministrantibus acolythis ampullam aquæ cum pelvicula et manutergio.

11. Cùm dicitur *præfatio*, diaconus et subdiaconus stant retrò post celebrantem ; et paulò antequam dicitur *sanctus*, accedunt ad altare, ubi cum celebrante hinc indè dicunt *sanctus* et quæ sequuntur usque ad

*canonem*. Deindè diaconus accedit ad sinistram celebrantis, ei assistens dùm dicitur *canon*, nisi alius sacerdos assistat; quia tunc ipse staret ad dexteram aliquantùm post celebrantem. Subdiaconus verò tunc stat post celebrantem.

*De canone missæ usque ad consecrationem. VIII.*

1. Finitâ *præfatione*, ùt suprâ, sacerdos stans ante medium altaris, versus ad illud, aliquantulùm elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devotè demissis, ac manibus junctis, et super altare positis, profundè inclinatus, incipit canonem, secretò dicens: *te igitur*, etc. ùt in ordine missæ. Cùm dicit *utì accepta habeas et benedicas*, priùs osculatur altare in medio, deindè erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cùm dicit *Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sacrificia*, dexterâ manu signat ter communiter super hostiam et calicem. Deindè extensis manibus ante pectus, prosequitur: *in primis, quæ tibi offerimus*, etc.

2. Ubi dicit: *unà cum famulo tuo Papa nostro N.*, exprimit nomen Papæ: Sede autem vacante, verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur: *et antistite nostro N.*, specificatur nomen patriarchæ, archiepiscopi, vel episcopi ordinarii in propria diœcesi, et non alterius superioris, etiamsi celebrans sit omninò exemptus, vel sub alterius episcopi jurisdictione. Si verò episcopus ordinarius illius loci in quo missa celebratur, sit vitâ functus, prædicta verba omittuntur, quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant. Si celebrans est episcopus, archiepiscopus, vel patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit: *et me indigno servo tuo*. Summus autem Pontifex, cùm celebrat, omissis verbis: *unà cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N.*, dicit *unà cum me indigno famulo tuo; quem gregi tuo præesse voluisti*. Et continuant omnes ùt sequitur: *et omnibus orthodoxis*, etc.

3. Cùm dicit *memento Domine*, elevans et jungens manus usque ad faciem vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secretò commemoret; non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantùm eorum memoriam habeat. Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos quàm defunctos, pro quibus in ipsa missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante missam orare proposuit in missa.

4. Commemoratione vivorum factâ, demissis et extensis ut priùs manibus, continuat *et omnium circumstantium*, etc. Similiter stans prosequitur *communicantes*. Cùm dicit *Jesu Christi*, caput cruci inclinat: in conclusione quando dicit *per eundem*, jungit manus. Cùm dicit *hanc igitur oblationem*, expandit manus simul super oblata, ita ut palmæ sint apertæ versùs ac supra calicem et hostiam, quas sic tenet usque ad illa verba: *per Christum Dominum nostrum*. Tunc enim jungit manus, et sic prosequitur *quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus*, et cùm dicit *bene ✠ dictam, adscri ✠ ptam, ra ✠ tam*, communiter signat ter super hostiam et calicem simul: deindè cùm dicit *ut nobis cor ✠ pus*, separatim signat semel super hostiam tantùm: et cùm dicit *et san ✠ guis*, semel super calicem tantùm: deindè elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, et inclinans caput cruci, extergit, si opus fuerit, pollices et indices super corporale, et dicit secretò ut priùs: *qui pridie quàm pateretur*, et accipiens pollice et indice dextræ manûs hostiam, et eam cum illis ac indice et pollice sinistræ manûs

tenens, stans erectus ante medium altaris, dicit: *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, elevansque ad cœlum oculos, et statim demittens, dicit: *et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, caputque aliquantulum inclinans, dicit: *tibi gratias agens*, et tenens hostiam inter pollicem et indicem sinistræ manûs, dexterâ producit signum crucis super eam, dicens: *bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite et manducate ex hoc omnes.*

5. Si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis, antequam accipiat hostiam discooperit manu dextrâ calicem, seu vas aliarum hostiarum. Cùm autem finierit supradicta verba, cubitis super altare positus, stans capite inclinato, distinctè, reverenter et secretò profert verba consecrationis super hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ, et hostiam suam pollicibus et indicibus tantùm tenens, dicit: *hoc est enim corpus meum.* Quibus prolatis, celebrans tenens hostiam inter pollices et indices prædictos super altare, reliquis manuum digitis extensis et simul junctis (et hostiis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo à principio missæ positæ sunt super corporale, vel in alio vase aut calice dimissis), genuflexus eam adorat. Tunc se erigens, quantum commodè potest, elevat in altum Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione calicis facit) *populo reverenter ostendit adorandam: et mox solâ manu dextrâ ipsam reverenter reponit super corporale in eodem loco undè eam levavit, et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post communionem.*

6. Repositâ Hostiâ consecratâ super corporale, genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, patenâ vel pallâ cooperit ut suprâ. Interim dùm celebrans elevat Hostiam, accenso priùs

intorticio (quod non extinguitur nisi postquam sacerdos sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in missa), minister manu sinistrâ elevat fimbrias posteriores planetæ, ne ipsum celebrantem impediât in elevatione brachiorum, quod et facit in elevatione calicis: et manu dexterâ pulsât campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuatè, quousque sacerdos deponat Hostiam super corporale, et similiter postmodum ad elevationem calicis.

7. Celebrans adorato Sacramento surgit, et discooperit calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos; quod semper facit, si aliquod fragmentum digitis adhæreat: et stans erectus, dicit: *simili modo postquam cœnatum est*, et ambabus manibus accipiens calicem juxta nodum infra cuppam, et aliquantulum illum elevans, ac statim deponens, dicit: *accipiens et hunc præclarum calicem*, etc. Cùm dicit: *item tibi gratias agens*, caput inclinât. Cùm dicit: *bene* ✠ *dixit*, sinistrâ calicem infra cuppam tenens, dexterâ signat super eum, et prosequens, *deditque discipulis suis*, etc., et ambabus manibus tenens calicem videlicet sinistrâ pedem, dextrâ nodum infra cuppam, cubitis super altare positus, et capite inclinato, profert attentè, continuatè et secretò, ut suprâ, verba consecrationis sanguinis: *hic est enim calix*, etc. Quibus dictis, reponit calicem super corporale, et dicens secretò: *hæc quotiescumque feceritis*, etc., genuflexus sanguinem reverenter adorat. Tunc se erigit, et accipiens calicem discoopertum cum sanguine ambabus manibus, ut prius, elevat eum, et erectum, quantum commodè potest, ostendit populo adorandum: mox ipsum reverenter reponit super corporale in locum pristinum, et manu dexterâ pallâ cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.

8. In missa solemni ad finem præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab acolythis quæ extin-

guuntur post elevationem calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post communionem. In diebus etiam jejuniorum, et in missis pro defunctis, tenentur accensa usque ad communionem. Cùm autem celebrans dicit: *quam oblationem*, etc. diaconus accedit ad ejus dexteram, et ibi in superiori gradu altaris genuflexus, cùm Sacramentum elevatur, fimbrias planetæ elevat, et quando opus est, se erigens, calicem discooperit et cooperit, et cum celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in suo loco. Thuriferarius genuflexus in cornu epistolæ ter incensat Hostiam cùm elevatur, et similiter calicem, posito incenso in thuribulum absque benedictione. Reposito calice, diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Cæteri surgunt, et stant in locis suis.

*De canone post consecrationem usque ad orationem dominicam. IX.*

I. Reposito calice et adorato, sacerdos stans ante altare, extensis manibus ante pectus, dicit secretò: *undè et memores*, etc. Cùm dicit: *de tuis donis ac datis*, jungit manus ante pectus: et cùm dicit: *Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam*, manu sinistrâ positâ super altare intrâ corporale, dexterâ signat ter communiter super Hostiam et calicem, et semel super Hostiam tantùm, et semel super calicem tantùm, dicens: *Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, et calicem ✠ salutis perpetuæ*; deindè stans ut priùs, extensis manibus prosequitur *supra quæ propitio*, etc. Cùm dicit *supplices te rogamus*, etc., inclinatur se ad medium altaris, manibus junctis super illo positis. Cùm dicit: *ex hac altaris participatione*, osculatur altare, manibus hinc inde super corporale positis. Cùm dicit: *sacrosanctum Filii tui*, jungit manus, et dextrâ signans semel super Hostiam tantùm, et semel super calicem, sinistrâ super corporale positâ, dicit: *cor ✠ pus, et san ✠ guinem sumpserimus*; et cùm dicit: *omni benedictione*

✠ *cœlesti*, seipsum signat à fronte ad pectus signo crucis, sinistrâ positâ infra pectus, et prosequitur: *et gratiâ repleamur. Cùm dicit: per eundem*, jungit manus.

2. Cùm dicit: *memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, etc., extensis et junctis manibus ante pectus, et usque ad faciem elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super altare, facit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo ùt dictum est de commemoratione vivorum. Quâ commemoratione factâ, stans ùt priùs extensis manibus, prosequitur: *ipsis Domine, et omnibus in Christo*, etc., et in fine, ad *per eundem*, jungit manus et caput inclinat.

3. Cùm dicit: *nobis quoque peccatoribus*, vocem aliquantulùm elevat, et dextrâ manu pectus sibi percutit: sinistrâ positâ super corporale, et prosequitur secretò: *famulis tuis*, etc. stans manibus extensis ùt priùs. Cùm dicit: *per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, jungit manus ante pectus: deindè manu dextrâ ter signans communiter super Hostiam et calicem, dicit: *sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, et præstas nobis*. Postea discooperit manu dexterâ calicem, et genuflexus Sacramentum adorat, tum se erigit, et reverenter accipit Hostiam inter pollicem et indicem dexteræ manûs, et cum ea super calicem, quem manu sinistrâ tenet circa nodum infra cuppam, signat ter à labio ad labium, dicens: *per ip ✠ sum, et cum ip ✠ so, et in ip ✠ so*. Similiter cum Hostia signat bis inter calicem et pectus incipiens à labio calicis, et dicit: *est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti in unitate Spiritûs ✠ sancti*. Deindè tenens manu dexterâ Hostiam super calicem, sinistrâ calicem, elevat eum aliquantulùm simul cum Hostia, dicens *omnis honor et gloria*, et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super corporale, et si opus sit, digitos

extergit, ut suprâ, ac pollices et indices ut priùs jungens, calicem pallâ cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.

4. In missa solemnâ, cùm celebrans dicit : *per quem hæc omnia*, etc., diaconus factâ Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram celebrantis, et quando opus est, discooperit calicem, et cum celebrante adorat : similiter cooperit, et iterùm genuflectit. Cùm incipit *Pater noster*, idem vadit retrò post celebrantem, factâ priùs Sacramento genuflexione, ubi stat dùm dicitur oratio dominica.

*De oratione dominica, et aliis usque ad factam communionem. X.*

1. Celebrans cooperto calice, adoratoque Sacramento, erigit se, et manibus extensis hinc inde super altare intrâ corporale positus, dicit intelligibili voce : *per omnia sæcula sæculorum*, et cùm dicit : *oremus*, jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cùm incipit *Pater noster*, extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso à ministro *sed libera nos à malo*, et à celebrante submissâ voce, *amen*, manu dexterâ, pollice et indice non disjunctis, patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem et medium digitos, quam tenens super altare erectam, sinistrâ super corporale posita, dicit secretò : *libera nos quæsumus*, etc.

2. Antequam celebrans dicat : *da propitius pacem*, elevat manu dextrâ patenam de altari, et seipsum cum ea signat signo crucis à fronte ad pectus, dicens : *da propitius pacem in diebus nostris*. Cùm signat se manu, sinistram ponit infra pectus : deindè patenam ipsam osculatur et prosequens : *ut ope misericordie tuæ*, etc. submittit patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super patenam, discooperit calicem, et genuflexus Sacramentum adorat; tùm se erigens,



accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextræ manûs, et cum illis, ac pollice et indice sinistrae manûs eam super calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens: *per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextræ manûs tenet, ponit super patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dextræ manûs particulam, proseguens: *qui tecum vivit et regnat*, etc., et eam inter ipsos dextræ manûs pollicem et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super patenam positæ, interim dicens: *in unitate Spiritûs sancti Deus*, et particulam Hostiæ, quam in dextera manu retinuit, tenens super calicem, quem sinistra per nodum infra cûppam retinet, intelligibili voce dicit: *per omnia sæcula sæculorum. R. Amen*, et cum ipsa particula signans ter à labio ad labium calicis, dicit: *pax Domini sit semper vobiscum*. Responso per ministrum: *et cum spiritu tuo*, particulam, quam dextrâ manu tenet, immittit in calicem, dicens secretò: *hæc commixtio et consecratio corporis*, etc. Deindè pollices et indices super calicem aliquantulum tergit et jungit, calicem pallâ cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit, et stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato versùs Sacramentum, dicit intelligibili voce: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, et dextrâ percutiens sibi pectus, sinistra super corporale positâ, dicit: *miserere nobis*, et deindè non jungit manus, sed iterùm percutit sibi pectus, cùm dicit secundò: *miserere nobis*, quod et tertio facit, cùm dicit; *dona nobis pacem*.

3. Tunc manibus junctis super altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secretò: *Domine Jesu Christe*, etc. Quâ oratione finitâ, si est daturus pacem, osculatur altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum à mi-

nistro juxta ipsum, ad dexteram, hoc est, in cornu epistolæ genuflexo, et dicit: *pax tecum*. Minister respondet: *et cum spiritu tuo*. Si non adsit qui hujusmodi instrumento pacem recipiat à celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio missæ conveniat, nec osculatur altare; sed dictâ præmissâ oratione, statim subjungit alias orationes, ut in ordine missæ.

4. Si verò celebret pro defunctis, non percutit pectus *ad Agnus Dei*, quia dicit: *dona eis requiem*, nec dicit primam orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis*, etc., non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes orationes: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi*, et *perceptio corporis tui*. Quibus orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secretò: *panem cœlestem, accipiam*, etc., quo dicto, dexterâ manu accipit de patena reverenter ambas partes Hostiæ, et collocat inter pollicem et indicem sinistræ manûs, quibus patenam inter eundem indicem et medium digitos supponit, et eâdem manu sinistrâ tenens partes hujusmodi supra patenam inter pectus et calicem parùm inclinatus, dextrâ tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevatâ: *Domine, non sum dignus*, et secretò prosequitur: *ut intres*, etc. Quibus tertiò dictis, ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ inter pollicem et indicem dextræ manûs, et cum illa supra patenam signat seipsum signo crucis, ita tamen, ut Hostia non egrediatur limites patenæ, dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, amen*, et se inclinans, cubitis super altare positus, reverenter easdem ambas partes sumit, quibus sumptis, deponit patenam super corporale, et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit: et aliquantulum quiescit in meditatione SS. Sacramenti. Deindè depositis manibus, dicit secretò: *quid retribuam Domino pro*

*omnibus quæ retribuit mihi?* et interim discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ sunt in eo, patenam quoque diligenter cum pollice et indice dexteræ manûs super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

5. Si verò adsint Hostiæ consecratæ super corporale positæ pro alio tempore conservandæ, factâ priùs genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit ne aliquod fragmentum, quantumcumque mininum, remaneat super corporale; quod si fuerit, accuratè reponit in calicem. Post extersionem patenæ, junctis pollicibus et indicibus, calicem dexterâ manu infra nodum cuppæ accipit, sinistrâ patenam, dicens: *calicem salutaris accipiam*, etc., et signans se signo crucis cum calice, dicit: *sanguis Domini nostri*, etc., et manu sinistrâ supponens patenam calici, stans reverenter, sumit totum sanguinem cum particula in calice posita. Quibus sumptis, dicit secretò: *quod ore sumpsimus*, etc., et super altare porrigit calicem ministro in cornu epistolæ, quo vinum fundente, se purificat: deindè vino et aquâ abluit pollices et indices super calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi*, etc., ablutionem sumit, et extergit os et calicem purificatorio; quo facto, purificatorium extendit super calicem, et desuper patenam, ac super patenam parvam pallam, et plicato corporali, quod reponit in bursam, cooperit calicem velo, et bursam desuper ponit, et collocat in medio altaris, ùt in principio missæ.

6. Si qui sint communicandi in missa, sacerdos post sumptionem sanguinis, antequam se purificet, factâ genuflexione, ponat particulas consecratas in pyxide, vel, si pauci sint communicandi super patenam, nisi à principio positæ fuerint in pyxide, seu alio calice. Interim minister ante eos extendit

lintheum, seu velum album, et pro eis facit confessionem, dicens: *confiteor Deo*, etc. Tunc sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis vertens se ad populum in cornu evangelii, dicit: *misereatur vestri*, et *indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum*, etc., et manu dextrâ facit signum crucis super eos. Postea genuflectens, accipit manu sinistrâ pyxidem seu patenam cum Sacramento, dextrâ verò sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantum elevatam super pyxidem seu patenam, et conversus ad communicandos in medio altaris, dicit: *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Deindè dicit: *Domine, non sum dignus*. Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dexteram, hoc est, ad latus epistolæ, et unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum crucis super pyxidem vel patenam, et simul dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, amen*. Omnibus communicatis, revertitur ad altare, nihil dicens, et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine missæ. Si particulæ positæ erant super corporale, extergit illud cum patena, et si quæ in eo fuerint fragmenta, in calicem immittit. Deindè dicit secretò: *quod ore sumpsimus, Domine*, etc., et se purificat, dicens: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi*, et alia facit ut suprâ. Minister autem dextrâ manu tenens vas cum vino et aquâ, sinistrâ verò mappulam, aliquantò post sacerdotem eis porrigit purificationem, et mappulam ad eos abstergendum.

7. Si in altari remaneant particulæ in calice seu in alio vase usque ad finem missæ, serventur ea quæ in feria quinta cœnæ Domini præscribuntur circa finem missæ.

8. In missa solemni, diaconus stans retrò post celebrantem, cùm in oratione dominica dicitur: *et*

*dimitte nobis debita nostra*, factâ ibidem genuflexione, vadit ad dextram celebrantis, et subdiaconus, circa finem orationis dominicæ, factâ item genuflexione, revertitur ad altare, et stans in cornu epistolæ, porrigit patenam diacono, qui eam discooperit, et purificatorio abstergens, dat celebranti, illius manum osculando, et quando opus est, discooperit, et cooperit calicem, et cum celebrante adorat. Subdiaconus redditâ patenâ, et deposito velo quod ab humeris ejus pendeat, genuflectit, et descendit retrò post celebrantem, et cum dicitur: *pax Domini*, iterum genuflectens, accedit ad sinistrum celebrantis, et simul dicunt: *Agnus Dei*. Deindè factâ ibidem Sacramento genuflexione, redit post celebrantem. Diaconus verò à dextris genuflexus, expectat pacem: et cum celebrans osculatur altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra corporale, et à celebrante dicente: *pax tecum*, complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet; *et cum spiritu tuo*. Postea iterum Sacramento in altari adorato, vertit se ad subdiaconum retrò post celebrantem, et similiter dat ei pacem. Subdiaconus acceptâ pace à diacono, et factâ altari genuflexione, comitatus ab acolytho, vadit ad chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus priùs, deindè minùs dignis, et reversus ad altare, factâ genuflexione, dat pacem acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis acolythis circa altare dat pacem: deindè subdiaconus vadit ad dexteram celebrantis, et quando opus est, discooperit calicem; accipit ampullam vini, et infundit quando celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem subdiacono, vadit ad librum, et dum celebrans se communicat, stans ipse et subdiaconus profundè inclinati versùs altare.

9. In missa pontificali, assistens accipit et defert pacem: ut in cæremoniali et Pontificali habetur. Si

in missa solemnè fiat communio, omnia servantur ut suprâ, sed priùs communicet diaconum et subdiaconum, deindè alios per ordinem; et diaconus purificationem eis ministret. Interim à choro cantatur antiphona quæ dicitur *communio*.

*De communionem et orationibus post communionem dicendis. XI.*

1. Celebrante purificato, dùm calicem collocat in altari, liber missalis defertur per ministrum ad cornu epistolæ, et collocatur ut in introitu. Ipse autem minister genuflectit juxta cornu evangelii, ut in principio missæ. Deindè celebrans stans junctis manibus, legit *antiphonam*, quæ dicitur *communio*, quâ lectâ, junctis item manibus ante pectus, vadit ad medium altaris, et eo osculato vertit se ad populum à manu sinistra ad dexteram, et dicit: *Dominus vobiscum*, et per eandem viam redit ad librum, dicit *orationes post communionem* eisdem modo, numero et ordine, ut suprâ dictæ sunt collectæ. Quibus finitis, claudit librum, et jungens manus ante pectus, revertitur ad medium altaris, ubi eo osculato, vertit se ad populum et dicit ut suprâ: *Dominus vobiscum*. Quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versùs populum, dicit, si dicendum est: *ite, missa est*, et per eandem viam revertitur ad altare. Si verò non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur eodem modo per eandem viam ad medium altaris, ubi stans versus ad illud junctis ante pectus manibus, dicit: *benedicamus Domino*. In missis autem defunctorum, eodem modo stans versus altare dicit: *requiescant in pace*.

2. In quadragesima autem, à feria iv. cinerum usque ad feriam iv. majoris hebdomadæ, in feriali officio, postquam celebrans dixit orationes post communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat: *Dominus vobiscum*, stans in eodem loco ante librum, dicit: *oremus. Humiliate capita vestra Deo*,

caput inclinans, extensis manibus subjungit eâdem voce *orationem super populum* ibidem positam; quâ finitâ, osculatur altare, et vertens se ad populum, dicit: *Dominus vobiscum*, et alia ut suprâ.

3. In missa solemnî diaconus defert librum missalis ad cornu epistolæ, deindè vadit retrò post celebrantem: subdiaconus verò vadit ad cornu evangelii, ubi calicem mundat, aptat cum purificatorio, patenâ et pallâ cooperit, plicat corporale, reponit in bursam, et illam ponit super calicem cooperitum velo, quem collocat in altari, vel super credentia, ut priùs. Postea redit ad locum suum retrò post diaconum, qui cùm dicit: *ite, missa est*, cum celebrante vertit se ad populum; et in quadragésima, dicto per celebrantem: *oremus*, diaconus in cornu epistolæ vertens se ad populum, junctis manibus, dicit ut suprâ, *humiliate*, etc. Quo dicto, vertit se versùs altare à tergo celebrantis, et celebrans dicit *orationem super populum*.

*De benedictione in fine missæ, et evangelio*  
S. Joannis. XII.

1. Dicto *ite, missa est*, vel *benedicamus Domino*, ut suprâ, celebrans ante medium altaris stans junctis manibus super eo, et capite inclinato dicit secretò: *placeat tibi sancta Trinitas*, etc. quo dicto, extensis manibus hinc indè super altare positus, ipsum in medio osculatur; tùm erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad cælum oculos et manus, quas extendit et jungit, caputque cruci inclinans, dicit voce intelligibili: *benedicat vos omnipotens Deus*, et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum à sinistro latere ad dextrum, extensâ manu dextrâ, junctisque digitis, et manu sinistrâ infra pectus positâ, semel benedicit populo, dicens: *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. R. Amen*, circum perficiens accedit ad cornu evangelii, ubi dicto: *Dominus vobiscum*, et R. *Et cum spiritu tuo*,

pollice dextro signans primùm signo crucis altare seu librum in principio evangelii, deindè frontem, os et pectus, dicit: *initium sancti evangelii secundùm Joannem vel sequentia sancti evangelii*, ùt dictum est in rubricis generalibus, et R. *Gloria tibi Domine*, junctis manibus legit evangelium: *in principio*, vel aliud ùt convenit. Cùm dicit: *et Verbum caro factum est*, genuflectit versùs cornu evangelii, et surgens prosequitur ùt priùs; quo finito, minister stans à parte epistolæ repondit: *Deo gratias*.

2. Si celebrans in altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans ùt erat, benedicit populo, ùt suprà, in medio altaris: deindè accedit ad cornu evangelii, et dicit evangelium S. Joannis.

3. Si celebravit coram Summo Pontifice, cardinale et legato Sedis apostolicæ, vel patriarcha, archiepiscopo et episcopo in provincia, civitate, vel diœcesi sua existente, celebrans dicto: *placeat tibi, sancta Trinitas*, etc. dicit: *benedicat vos omnipotens Deus*, et convertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad cardinalem verò et legatum, vel alium ex suprädicitis prælatis, capite inclinato quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur: *Pater, et Filius*, ✠ *et Spiritus sanctus*, benedicens adstantes à parte ubi non adest Pontifex, cardinalis, legatus, aut prælatus prædicti. Si autem celebravit coram patriarcha, archiepiscopo et episcopo, extra eorum provinciam, civitatem, vel diœcesim constitutis, eis absque ullo respectu, ùt cæteris qui intersunt, more consueto benedicit.

4. Si autem celebravit pro defunctis, dicto *placeat tibi, sancta Trinitas* ùt suprà et osculato altari, accedit ad cornu evangelii, et dicit evangelium S. Joannis, prætermisâ benedictione, quæ in missis defunctorum non datur.

5. Finito evangelio, in fine missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, cardinale et legato Sedis



apostolicæ, vel patriarcha, archiepiscopo, et episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, et facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentiam prætermittit.

6. Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelæ; interim sacerdos cooperto capite accipit sinistrâ calicem, dexteram ponens super bursam ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinât (vel, si in eo est tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit) aperto adhuc capite, et factâ reverentiâ, accipit birretum à ministro, caput cooperit, et præcedente eodem ministro, eo modo quo venerat, redit ad sacristiam, interim dicens antiphonam *trium puerorum* et canticum *Benedicite*. Si verò sit dimissurus paramenta apud altare ubi celebravit, finito evangelio prædicto, ibidem illis se exiit, et dicit antiphonam *trium puerorum* cum cantico et aliis orationibus, ut suo loco ponuntur.

7. In missa solemnî celebrans eâdem voce et modo, quo in missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit episcopus, et dicto evangelio secundum Joannem, vel alio, ut supra, ministrante subdiacono librum, si opus est, discedit cum ministris ordine et modo quo venerat.

8. Episcopus autem ter benedicit populo etiam in missis privatis, ut in cæremoniali habetur.

*De his quæ omittuntur in missa pro defunctis. XIII.*

1. In missa pro defunctis ante confessionem non dicitur psalmus *judica me Deus*, sed pronunciatâ antiphonâ *introibo ad altare Dei*, et responso à ministro: *ad Deum qui lætificat*, etc. dicit *ŷ. Adjutorium nostrum et confessionem*, cum reliquis ut supra. Cùm celebrans ad altare incipit *introitum*, non signat se, sed manu dextrâ extensâ, facit signum cru-

cis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur *Gloria Patri*, sed post psalmum repetitur *requiem æternam*, nec dicitur *Gloria in excelsis*, nec *alleluia*, nec *jube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo*, nec osculatur librum in fine. Non dicitur *Credo*, non benedicitur aqua in calicem fundenda, dicitur tamen oratio: *Deus qui humanæ substantiæ*, etc. Cùm lavat manus, in fine psalmi *lavabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri*. Ad *Agnus Dei*, non dicitur *miserere nobis*, cujus loco dicitur: *dona eis requiem*, nec tertio: *dona nobis pacem*, cujus loco dicitur *dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus. Non dicitur prima oratio ante communionem, scilicet: *Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis*, etc., nec datur *pax*. In fine non dicitur: *ite, missa est*, nec *benedicamus Domino*, sed *requiescant in pace*. Et non datur benedictio, sed dicto: *placeat*, et osculato altari, dicitur ut supra: *in principio erat Verbum*, et alia omnia ut in aliis missis.

2. In missa solemni non incensatur altare ad introitum, et subdiaconus finitâ epistolâ non osculatur manum celebrantis, nec benedicitur: diaconus non petit benedictionem, nec osculatur celebrantis manum: non tenentur luminaria ad evangelium, nec portatur incensum; sed duo tantum acolythi sine candelabris stant unus à dextris et alter à sinistris subdiaconi tenentis librum evangeliorum: non incensatur liber, nec in fine celebrans; nec defertur liber evangeliorum osculandus, oblata et altare incensantur ut supra: incensatur solus celebrans, et non incensantur alii. Subdiaconus non tenet patenam post celebrantem; sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu epistolæ illud incensat. Ministri, cùm aliquid porrigunt celebranti, in hac missa non osculantur ejus manum, neque rem quæ porrigitur. Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post

epistolam, et accendantur ad evangelium; ad elevationem Sacramenti, et post missam, dum fit absolutio. Si habendus est sermo, habeatur finitâ missa ante absolutionem.

Finitâ missâ, si facienda est absolutio, celebrans retrahit se ad cornu epistolæ, ubi exuitur casulâ, et deposito manipulo, accipit pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos acolythos cum candelabris accensis, defert crucem sicut in processionibus, præcedentibus duobus aliis acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ et aspersionio: sequitur celebrans, factâ prius altari reverentiâ, et diaconus à sinistris ejus, subdiaconus cum cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra altare, medius inter dictos acolythos tenentes luminaria: celebrans verò ex alia parte in capite loci inter altare et tumulum, aliquantum versus cornu epistolæ, ita ut crucem subdiaconi respiciat, à sinistris ejus diaconus, et prope eum alii duo acolythi deferentes thuribulum et vas aquæ benedictæ. Interim cantatur *R. Libera me Domine*, et circa illius finem celebrans ponit incensum in thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante diacono naviculam; et finito *kyrie eleïson*, incipit intelligibili voce: *Pater noster*, et secretò proseguendo reliqua, accipit aspersionium de manu diaconi, et factâ altari reverentiâ, comitante eodem diacono, à dextris, et tenente fimbriam anteriorem pluvialis, circuiens tumulum, aspergit illum aquâ benedictâ, ter à parte dextra, et ter à sinistra. Cùm transit ante crucem, profundè inclinatur; diaconus vero genuflectit: postea de manu ejusdem diaconi accipit thuribulum; et eodem modo quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, diacono tenente librum junctis manibus, dicit:

ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

Ÿ. A porta inferi.

R. Erue, Domine, animam ejus.

Ÿ. Requiescat in pace.

R. Amen.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

### OREMUS.

ABSOLVE, quæsumus Domine, animam fumuli tui N. ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos et electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

*Deindè celebrans faciens crucem manu dexterâ super tumulum, dicit:*

Ÿ. Requiem æternam dona ei, Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei.

*Et dicto per cantores: requiescat in pace, et R. Amen, præcedente cruce redit cum aliis ad sacram.*

*Si officium fit pro pluribus defunctis, omnia dicantur in numero plurali.*

# INDEX

## ALPHABETICUS.

NUMERI IN EO INDICANT DECRETORUM ORDINEM.

### A

- Abbas* : an possit sacros lapides violatis altaribus  
apponere? n.° 594.
- Abbas* : translatus denuò non est benedicendus,  
n.° 29.
- Quoad benedictiones in viis, n.° 48.
- Quoad easdem in missa, n.° 78.
- Locus illius in processione publica, n.° 62, 373, 374.
- Non est associandus missam celebraturus, n.° 65.
- Illius limitatio quoad Pontificalia, n.° 97, 128, 129  
et seq. 140.
- Quoad indictionem collectæ, n.° 530.
- Quoad benedictionem paramentorum, n.° 566.
- Absolutio* : vide *depositio*, *exequiæ*, *missa defunctorum*.
- Alba* ex quo confici debeat, n.° 634.
- Altare fixum* : illius execratio, n.° 635.
- Reconciliatio n.° 639.
- Altare portatile* : vide *regulares*.
- Tolerandum, n.° 61.
- Quid si polluantur alteria per violationem reli-  
quiarum? n.° 598.
- Cadavera de sub altari tollenda, n.° 96.
- Privilegiatum, in eo, quæ missæ, n.° 168.
- Quibus Sanctis dicandum? n.° 250.
- Illius execratio, n.° 361.
- Anniversaria* : impedita quomodo transferenda? n.° 10.
- Anniversaria* pro omnibus canonicis, confratribus  
in genere, n.° 709, ad 5.

- Eorum nomine non veniunt missæ fundatæ die indeterminato. Vide *missa defunctorum*.
- Anniversarium* : consecrationis Episcopi, an in tota diœcesi cum missa celebrandum, n.º 599.
- Annulus* : illius usus sub missa prohibetur, n.º 580.
- Annuntiatio* : festum illius, officium et indulgentiæ, n.º 60, 364 et 435, 570. Confer decretum gen. n.º 688.
- Missæ illius cantari nequit in dominica Palmarum, n.º 125.
- Quid si cadat in sabbatum Sanctum? n.º 593.
- Antiphona finalis* B. M. V., n.º 709.
- Antiphonæ feriales* : sub Adventu, n.º 40.
- Antonius sanctus* : quæ esse debet illius imago? n.º 165.
- Aqua benedicta* : an sumenda à Celebrante ante Missam? n.º 529.
- Aspersio aquæ* : à quo fieri debet? n.º 105, 120.  
Quo ritu? n.º 179.
- Aurora* : in certis locis quomodo computanda? n.º 109.

## B

- Baldachinum* : ferentibus hastæ designantur, n.º 5.  
non debetur Reliquiis, n.º 216.
- Baptismus* à sacerdote in casu necessitatis extra ecclesiam collatus, n.º 637.
- Barbara sancta* : de illius officio, n.º 387.
- Beati* : quandò eorum Officium, et alia ad eorum cultum spectantia, n.º 132 et seq. Item, 139, 431, 463.
- Benedictio* : candelarum, etc. ubi fieri possit? n.º 34.  
Quo ritu? n.º 160.
- Cinerum, quandò facienda? n.º 303.
- Absente Episcopo, cui competat? n.º 46.
- Quænam vasa benedici debeant, n.º 122.
- Benedictio cum SS. Sacramento quomodò danda?  
n.º 176.

- Cum manu, n.º 201.  
 Cum SS. Sacramento dari non debet sub *sit et*  
*Benedictio*, n.º 114.  
 An cum SS. Reliquiis dari possit? n.º 504.  
 Benedictio octava in Festis Angelorum, n.º 226.  
 Benedictio octava in Expectatione partûs, et Transl.  
 Almæ domûs Lauretanæ, n.º 500.  
 Benedictio Nuptiarum, quandò omittenda, n.º 498.  
*Benedictus sanctus*: transl. Festi illius, n.º 371.  
*Bernardus S.* inter ecclesiæ Doctores recensendus.  
 Mutanda in Breviario et Martyrologio, n.º 708.  
*Breviarium*: vide *usus*.

## C

- Cæcutientes*: privilegiati quid debeant observare?  
 n.º 618, 668.  
*Calix*: operiendus post communionem, n.º 253. nihil  
 superimponendum, n.º 313.  
 Non execrandus cùm opificis operâ indiget, n.º 698.  
*Campana*: quando pulsanda pro *Angelus*? n.º 28.  
 Quæ benedici debeat, n.º 672.  
 Campanæ in sabbato sancto non pulsandæ ante  
 pulsationem matricis ecclesiæ, n.º 28, 322, 565.  
*Canonicus*: debent canonici in choro gestare habi-  
 tum, n.º 85.  
 Eorum habitus extra propriam ecclesiam, n.º 691.  
 Qui eorum habitus pro administratione Sacramen-  
 rum? n.º 90. et 690.  
 Missam privatam legere debent ùt simplex sacer-  
 dos, n.º 558, 625, 643, 644.  
 Quoad presbyterum sibi assistentem, n.º 2.  
 Officium per se cantare tenentur, n.º 7, 56.  
 Locus eorum in choro, n.º 33, 55.  
 Quoad cantum passionis, n.º 58.  
 Non flectunt ad benedictionem episcopi, n.º 63.  
 Debent in turno ministrare, n.º 225.

- Quomodo aspergendi? n.º 560.  
 Quoad locum tam intra, quàm extra ecclesiam,  
 n.º 354.  
 Quoad Missam, quandò spectat ad dignitates, n.º  
 357, 358.  
 Quoad Officium B. M. V. etc., n.º 81.  
 Quoad ordinem Officii, n.º 428.  
 Quoad Officium Defunctorum; quoad Psalmos Gra-  
 duales et Pœnitentiales, n.º 81. Vide n.º 84.  
*Cantor*: in Cathedrali, munus ipsius, n.º 54.  
*Capellanus*: Monialium et alii quoad Missam in earum  
 Ecclesiis, n.º 312.  
*Carmelitæ*: excalceati, quoad Octavam Corporis Chri-  
 sti, n.º 433.  
*Causa gravis*: quæ sit respectu Missæ solemnis?  
 n.º 562.  
*Cerei*: duo tantùm in Missa privata, n.º 129, 573, 643.  
*Cereus Paschalis*: quandò debeat accendi? n.º 563.  
*Cineres*: quo ordine recipiendi? n.º 11.  
 Quales esse debent? n.º 559.  
 Quis situs celebrantis? n.º 571. Vide *Benedictio*.  
*Cingulum*: ex qua materia? n.º 305.  
 Illius color, n.º 360.  
*Clausura regularium*: quoad mulieres, n.º 103.  
*Clerici*: quoad Officium Ecclesiæ, ubi morantur, n.º  
 586, 587.  
*Coadjutor*: Episcopi, illius locus in choro, n.º 77.  
 Canonici, in ordine ad chorum, n.º 83, 110.  
*Cognomina Sanctorum expungenda*. Vide *Oratio*.  
*Cæna Domini*. Vide *Feria v.*  
*Color paramentorum*: illi se debent conformare ex-  
 teri, n.º 471.  
 Qualis, exposito SS.? n.º 486.  
 Quo colore uti debeat sacerdos in solemni exposi-  
 tione et reservatione SS. Sacramenti? n.º 617,  
 656, 657.  
 Color antependii altaris, exposito SS. n.º 655, 707.  
*Tom. V.*



Qualis infra Octavas? n.º 517. 171

*Collecta. Vide Oratio.*

*Collegiata insignis* : illius prærogativa, n.º 57.

*Commemoratio* : Virginum cum aliis Virginibus occurrentium, n.º 189.

SS. Sacramenti expositi in missa, n.º 209, 439, 469, 607.

SS. Petri et Pauli in eorum octavis, n.º 442.

SS. crucis, ubi est titulus; sufficit pro suffragio, 590. n.º

Duplicis occurrentis cum dominica, n.º 518.

Duorum confessorum, n.º 520.

Simplicis in missa principali sine cantu, n.º 532.

B. M. V. dum concurrit cum alio festo ejusdem B. M. V., n.º 207.

*Commemoratio omnium Fidelium defunctorum*, occurrens cum oratione XL. horarum, n.º 680.

An in illa reponi possit festum duplex translatum? n.º 689.

*Commemoratio omnium SS. Apostolorum* in festo SS. petri et Pauli; et omnium SS. Martyrum in festo S. Stephani, n.º 682, 711 Dub. V.

*Communicantes* : proprium in votivis dicendum, n.º 198.

*Communio paschalis* : ordo servandus in ea, n.º 180.

Nùm in sabbato sancto fieri possit? n.º 685.

Clerus debet stare sub communionem fidelium, n.º 363.

Patenæ suppositio infra communionem, cui licet? n.º 144.

*Concio* : in ea salutante concionatore post *ave*, non incongruè correspondent ministri altaris, n.º 218.

Exposito SS. Sacramento fieri debet detecto capite, n.º 101.

*Concurrentia* : Vesperarum, n.º 301.

SS. cordis Jesu et diei octavæ corporis Christi, n.º 505.

- Patrocinii B. M. V. et expect. ejus, n.º 528.  
*Confessarius* : illius habitus in tribunali, n.º 94.  
*Confirmatio* : quid sub illa servandum ? n.º 482.  
 Sub ea Episcopus potest nomen novum imponere,  
 n.º 483.  
*Confraternitates* : earum jura, n.º 314 et seq. usque  
 ad n.º 346.  
 Quoad processiones, n.º 565.  
 Quo ritu eorum officia celebranda extra diem obi-  
 tûs, etc. n.º 661.  
*Consecratio ecclesiæ* : quæ in ea servanda à clero et  
 populo ? n.º 540. et seq. usque ad n. 546 inclu-  
 sivè. Vide *Dedicatio* : et Conf. n. 712.  
*Consecratio Episcopi* : quid servandum in officio ?  
 n.º 608.  
*Consuetudines* : quando tolerandæ ? n.º 24, 52.  
*Corporale* : ex quo conficiendum ? n.º 634.  
*Credo* : vide *Symbolum*.  
*Crux* : in altari apponi debet sub Missa, n.º 148.  
 Qualis esse debet ? Ibidem.  
 Locus illius in Altari. Ibidem.  
 An apponi debeat, exposito SS. Sacramento ? Ibi-  
 dem. et 603.  
 Illius Benedictio, an de præcepto ? n.º 348.  
 Ubi locanda in exequiis ? n.º 472.  
 Crux cum manu quomodo formanda super oblata ?  
 n.º 152.  
 Quomodo in processione deferenda et quare ? n.º  
 592.  
 Lignum S. Crucis quando exponitur, n.º 645.  
 Crux Feria VI. in Parasceve detegenda, n.º 709.

## D

- Dalmatica* : quandò non est sumenda à Ministris ?  
 n.º 205.  
*Dedicatio Ecclesiæ* : quoad illius Officium, n.º 98,  
 37.

99, 228, 347, 372, 391, 392, 393, 485. Confer. etiam n.º 712.

In dubio consecrationis, quid? vide *Consecratio*.  
S. Congregatio declaravit Dedicacionem censendam esse festum Domini n.º 539. Verum ab hac opinione postea recessit n.º 616.

Anniversaria Dedicacionis post reductionem festorum quo die celebranda? n.º 615 ad 7. 682. Num celebrari debeat in Ecclesiis non consecratis? 683.

*Depositio Defunctorum*: nihil mutandum in Oratione *Non intres*, n.º 252.

Quid jam addendum in fine Absolutionis? n.º 214.

*Dignitates*: non tenentur ministrare inferiore Missam celebrante, n.º 17.

Earum vestes et locus in Processione, n.º 70.

*Dominica Palmarum*: ubi cantandum Evangelium sub benedictione Palmarum? n.º 240.

In Missa illius diei una tantum dicitur Oratio, n.º 415, 499.

*Dominica in Albis*: admittit Lectionem simplicis, n.º 397.

*Dominica*: quinta post Epiphaniam anticipata quoad Lectiones, n.º 513, 519.

*Dominica SS. Trinitatis* quoad 2 Vesperas, n.º 700.

*Dominica infra octavam corporis Christi*, quæ missa celebranda? n.º 611.

## E.

*Ecclesia profanata* quomodo reconciliari debeat? n.º 639.

*Episcopus*: non potest præcipere regularibus pro se collectam, n.º 1.

Quomodo salutare debet canonicos, n.º 15.

Jus illius erga canonicos, n.º 84.

Non potest signa canonicorum ecclesiæ cathedralis aliis laxare, n.º 59.

- Jus habet ad fenestram super ecclesiam, n.º 21.  
 Quorum assistentiam requirat? n.º 32, 36.  
 Quot ministros requirat olea benedicens? n.º 23.  
 Potest compellere regulares ad processiones, n.º 47.  
 Quid ipso deficiente infra consecrationem ecclesiæ?  
 n.º 66.  
 Non potest addere officia calendario, n.º 89.  
 Illius commemoratio in canone, n.º 119.  
 Ordinans sabbato sancto quid ei agendum? n.º 248,  
 249, 430, 502.  
 De illius receptione per antiphonam *ecce sacerdos*,  
 n.º 450,  
 Consecrans ecclesiam quale officium ab ipso legen-  
 dum? n.º 467.  
 Quid potest circa oratoria privata? n.º 481.  
 Potest cogere confessarios sæculares ad audiendas  
 confessiones cum superpelliceo et stola, n.º 94.  
 Episcopo suffraganeo tenentur canonici ministrare,  
 n.º 19.  
 Episcopi canonici locus in choro, n.º 27.  
 Episcopus regularis ritum diœcesis quoad officium  
 assumere tenetur, n.º 589.  
 Reliqua ad episcopum spectantia, n.º 351, 365, et  
 seq. usque ad n.º 370.  
*Evangelium*: quod in Missa sancti Petri Martyris?  
 n.º 383.  
*Eucharistia*: an frequenter exponenda? n.º 31.  
 Concio coram SS. exposito capite detecto facienda,  
 n.º 101.  
 Patenæ suppositio infra Communionem cui debe-  
 tur? n.º 144.  
 In Cœna Domini quo ritu distribuenda, n.º 180.  
 Non danda in nigris, n.º 438. Confer. n. 699.  
 Species frequenter renovandæ, n.º 703 ad 1.  
 Eucharistiæ Sacramentum ad ægrotos deferendum,  
 n.º 703 ad 2.  
 Quot cerei coram SS. Sacramento exposito? n.º 254.

*Exequiæ* : parvulorum in triduo ante Pascha, n.º 177.  
 Quid jam addendum in fine Absolutionis, n.º 214.  
 Vid. *Missa exequialis, Anniversaria.*

## F.

*SS. Fabianus et Sebastianus* : dum separantur quoad  
 Orationes et Officium, n.º 13, et 679.

*Feria v. in Cœna Domini* : una tantum dicitur Missa  
 sollemnis, n.º 522.

Num tolerari possit missa lecta in parochiis rurali-  
 bus, n.º 696.

Quis color veli Crucis sub Missa? n.º 555.

Quo habitu in Cœna Domini Eucharistia à Sacer-  
 dotibus sumenda, et quo ordine à Laïcis? n.º 180.

*Feria vj. in Parasceve* : crux quomodo adoranda?  
 n.º 414.

Quomodo thurificanda? n.º 251.

Quomodo hâc die particula SS. Hostiæ in Calicem  
 immittenda? n.º 575.

Quid si sacerdos in principio functionis occumbe-  
 ret. n.º 702.

Oblationes hujus diei, cui cedant? n.º 14.

Quomodo eo die Festum incidens colendum? n.º  
 570.

*Feria vj.* : post Octavam Ascensionis quoad Comme-  
 morationes, n.º 350.

*Festum Cordis Jesu* : quis color in eo? n.º 505.

Occurrens cum aliis, n.º 509.

*Festum Corporis Christi* : in Parochiis quomodo cele-  
 brandum? n.º 475.

SS. Sacramentum in processione deferendum pro-  
 priis manibus, n.º 569, 613.

Sub eo non debent cantari cationes sermone vul-  
 gari, n.º 45.

*Festum duplex* : quoad lectiones I nocturni, n.º 437.

*Festum duplex* 2. classis si incidat in dom. 1. vel 2.  
 class. quid faciendum? n.º 605.

- Festum in populo* : non auget ritum officii , n.º 233.
- Festum SS. nominis Jesu* : occurrens cum aliis , n.º 385 , 509 , 667.
- Festum SS. nominis Mariæ* : quid si occurrat cum die octava Nativitatis ejus ? n.º 215.
- Quid cum exaltatione S. crucis ? n.º 217.
- Festum Auxilium Christianorum* , 686.
- Festum VII Dolorum* Dominica 3 Septembris celebrandum. n.º 473 , 619 , 626.
- Festum patroni* . officium illius quo ritu et à quibus celebrandum ? n.º 115. vide n.º 362 , 446 , 447.
- Quisnam festo in populo gaudeat ? n.º 117.
- Quis patronus loci ? n.º 302.
- Cujus suffragium legendum ? n.º 203.
- Festa secundaria* patronorum minùs principalium , n.º 604.
- Festum simplex* : non transfertur , n.º 484.
- Fidelium animæ* : missa quomodo privilegiata ? n.º 646.
- Franciscani* : non possunt addere *patris nostri* in orationibus et versiculis , n.º 537.

## G

- Genuflexio* coram SS. Sacramento, etiam in processionibus , n.º 8 , 74.
- Infra officium , n.º 421.
- Gloria in excelsis*. Vide *hymnus angelicus*.

## H

- Hebdomada sancta* : in illius ultimo triduo ubi officium fieri possit ? n.º 127. Vide *feria v. vj. et sabbato sancto*.
- Hebdomadarius* : sine stola in choro , n.º 151.
- Homilia* super Evangelium *Nolite arbitrari*, n.º 706 ad 2.
- Hora Matutini* : ubi mutari possit ? n.º 38.

*Hora parva* : non incipienda ante finem Evangelii sancti Joannis, n.º 492.

*Hostia sub Sacrificio* : quomodò frangenda? n.º 154.

*Hymnus Angelicus* : in Missis votivis B. M. V. quandò dicendus? n.º 37.

*Hymnus Iste Confessor* : quandò mutandus tertius Versus? n.º 196.

Quid in veteri Hymno? n.º 501.

Nihil in eo mutandum in Festum Stigmatum, n.º 440.

*Hymnus* : proprius alicujus Sancti impeditus in I Vesperis, quid de eo? n.º 389, 711.

Infra Octavam B. M. V. quandò dicendum *Jesu tibi sit gloria*, etc. n.º 487.

*Hymnus Te Deum* : an standum sub illo exposito SS. Sacramento? n.º 531.

## J

*Jejunium Vigilæ S. Joannis Baptistæ* : quandò anticipandum? n.º 113.

Jejunium vigilæ SS. apost. Petri et Pauli : quandò observandum? n.º 615. art. 4. item quandonam vigiliarum Nativ. Dom. Pentecostes, etc. art. 5.

Sancti Mathiæ an anticipari possit? n.º 234.

*Imagines* : quandò velandæ? n.º 121, 583.

*Imagines SS. Augustini*, etc. : in ordine ejusdem Sancti, quomodò pingendæ? n.º 112.

De Imagine sancti Antonii apud Capuccinos, n.º 289.

*Indulgentia* : non transfertur cum Officio, n.º 60, 184.

Quandò transferuntur Officium et Festum, cum iis transit Indulgentia, ibidem, n.º 184, in fine.

*Indulgentiæ* in Diœcesi Mechliniensi post reductionem et translationem festorum, n.º 615, 650.

Plura ex decretis S. C. Indulgentiarum, n.º 646, et seq. 652, et seq.

*Indulgentiæ scalæ sanctæ*, n.º 673 et seq.

*Indulgentia plenaria* in art. mortis, n.º 703.

- Introitus* : quando in cantu incipiendus? n.º 491.
- Joachim* : de translatione illius officii, n.º 460.
- Joannis Bapt. decollatio* : quo ritu agetur? n.º 609.
- Joannes Chrysostomus* : lectiones I nocturni, quæ? n.º 401.
- Joannes Nepomucenus* : quoad lectiones tertii nocturni, n.º 386.
- Joseph sanctus* : de illius missa in hebdomada sancta, n.º 149.
- De illius patrocinio, n.º 377, 510, 511, 512, 536.
- Nomen illius apponi debet in litaniiis majoribus.
- Quo loco in dictis litaniiis et suffragiis communibus? n.º 451.
- Addi potest in collecta *A cunctis*, n. 651.

## L

- Lapis consecratus* : si ab altari fixo, seu à suo stipite fuerit amotus, quid? n.º 635.
- Lectiones* primi nocturni in duplici majori sunt de communi, n.º 158.
- In quocumque festo ritus duplicis min. et semiduplicis sumi debent ex Scriptura occurrente, n.º 612. nisi propriæ assignentur in Breviario Romano, n.º 681.
- Quid de illis infra Quadragesimam cùm lectiones de communi non assignantur? n.º 711.
- Quid de illis in dominica quarta quadragesimæ? n.º 378.
- Quæ in octava dedicationis et SS. Angelorum? n.º 391.
- Quæ primi nocturni legendæ dominicâ quartâ post Pascha, n.º 396.
- Machabæorum quomodo distribuendæ? n.º 399.
- Primi nocturni in festis sanctorum, quomodo ponendæ? n.º 400.
- Legatum* : ut post missam dicatur *de profundis*, aut 37..



quid aliud, adimpleri nequit in altari, n.º 155,  
170, 434,

*Litanie majores*: in illis nil addendum, n.º 102, 352.

Non possunt recitari pridie, n.º 494.

Si impediuntur in Paschate, quò transferendæ?  
n.º 577.

## M

*Magister cæremoniarum*: quid de eo, n.º 375, 376.

Manus super oblata quomodo extendendæ? n.º 153.

*Mappæ altarium* ex quo conficiendæ, n.º 634.

*Marcus sanctus*: credo non dicitur in Missa Feriæ, n.º  
219. an si occurrat infra oct. Paschæ? n.º 595.

Quæ Missa ubi una tantum, n.º 227, 709.

Translatio Officii illius, n.º 353.

*Maria Virgo*: quo colore vestienda Feria v. in Cæna  
Domini n.º 456. vid. *Missa votiva*.

*Martyrologium*: quomodò Festa in eo nuntianda?  
n.º 395.

*Mathias sanctus*: dies illius in Bissextili, n.º 101.

Quoad Jejunium in illius Vigilia, n.º 234.

*Matutinum*: vide *Hora*.

*Michaël S.*: occurrens cum Rosario, n.º 457.

*Ministri*: quot adhiberi liceat in missa privata? n.º  
643.

*Missa*: quæ pro Sponso, etc. n.º 497, 556, 640. vide  
*Benedictio*.

*Missa conventualis*: ubi cantari possit sine Ministris?  
n.º 42.

Duæ Missæ in Cathed. et Collegiatis cantandæ,  
n.º 82, 409.

Quo ordine? n.º 428, 697.

Idem in casu Anniversarii, n.º 91.

*Missa*: non legenda in altari majori sub officio, n.º 73.

*Missa exequialis*: citò cantanda, n.º 525.

Cantari potest in Vigilia Epiphaniæ, n.º 526.

An cantari possit pro vivo? n.º 523.

- An cantari possit in festis quorum solemnitas transfertur ad Dominicam seq. n.º 711 Dub. V. an in Dominica, *ibid.*
- Quid si cadaver sit insepultum quamvis non præsens, n.º 623.
- An cantari possit in festo 1. vel 2. classis? n.º 623. 624.
- Missa exequalis in Dominica n.º 677.
- Missæ defunctorum*: quandò prohibitæ? n.º 39, 172, 468, 523, 524. Vide *Anniversaria*.
- Missæ S. Gregorii*: quid de illis? n.º 578, 579.
- Missa privata*: quid de ea exposito SS. Sacramento? n.º 171.
- Quot cerei in ea? n.º 573. quot ministri, n.º 643.
- Sacerdos duas missas eodem die celebrans, n.º 687.
- Quæ reverentia altari debita post missam? n.º 576.
- Quomodo ordinanda infra octavas? n.º 410.
- Missa sollemnis*: verba submissa voce recitanda; an sacerdos dicere debeat: *Ite missa est, Benedicamus D., Requiescant in pace*? n.º 621.
- Missa votiva*: non valet pro conventuali, n.º 80.
- Exceptiones quædam, *ibid.*
- Quæ orationes in ea? n.º 410.
- Votiva in precibus 40 horarum, quando omittenda? n.º 161.
- Non potest cantari in duplicibus ob professionem, etc. n.º 200, 355.
- Quid de ea in comitiis generalibus? n.º 508.
- Missa votiva B. M. V.*: quando cantari possit? n.º 108, 147, 449, 462, 557.
- Quid de *Gloria et Credo* in ea? n.º 211, 212.
- Cantari potest 9 diebus ante Nativitatem Domini n.º 126.
- Quæ legenda pro illius votiva? n.º 167.
- Missa VII. dolorum*: ritus illius et votivæ? n.º 169.
- Votiva Conceptionis sine *Credo*, n.º 521.
- Quæ missa pro S. M. de Monte Carmelo? n.º 382,

595. an ejus officium transferri possit in dom.  
post diem 16 Julii. 658.
- Missa votiva crucis* : non legenda infra octavam Nati-  
vitatís Domini, n.º 166.
- Missa votiva sponsorum* : quid circa eam sancitum ?  
n.º 640.
- Missa votiva ob causam gravem* : quibus prohibita ?  
n.º 533. Quæ commemorat. in ea ? n.º 664, 678.
- Missale* quis debeat aperire ? n.º 621.
- Moniales* : quoad dedicationem cathedralis, n.º 311,  
459.
- Sacerdos earum persolvens off. cui se conformabit ?  
n.º 618. art. 12.
- Ritus SS. communionis earum, n.º 417.
- Quomodo benedicendæ cum SS. Sacramento ?  
n.º 514.
- Sub *Confiteor* non possunt dicere *Tibi Mater*, etc.  
n.º 591.

## N

*Nativitas Domini* : quoad missas, n.º 116, 549.

## O

- Occurrentia* : conceptionis B. M. V. cum die octava  
alicujus Sancti vel dominicâ quid ? n.º 231.
- Quid in eodem casu de Præsentatione B. M. V. ?  
n.º 232.
- Quid dum plures Sancti simul occurrent ? n.º 230.
- Quid in casu S. Anselmi et S. Cuneg ? n.º 405.
- Octava* : dies quando impeditur non habet 1 Vespere-  
ras, n.º 76.
- Non transfertur, n.º 190.
- Quid de octava occurrente, infra octavam corporis  
Christi ? n.º 433.
- Dignitas diei octavæ in concursu, n.º 493.
- Dies octava apostolorum et Angelorum non gaudent  
privilegio, n.º 551.

- Quid de octava translata? n.º 445.
- Quid de octava privilegiata in die cinerum et aliis temporibus privilegiatis? n.º 194.
- Octavæ pro defunctis prohibentur, n.º 164. Vide *missa defunctorum*.
- Octava corporis Christi concurrens cum octava SS. Trinitatis, n.º 295. an patiatur missam de requiem de die obitûs tertio, etc. 661.
- Octavarium Romanum*: quid? Illius usus, n.º 75.
- Officia*: pro Hispania quos attingunt? n.º 507.
- Officia translata ad tempus Paschale quoad missam, n.º 423, 424.
- Officia ad libitum, quandò omittenda? n.º 174.
- Quoad Regulares, n.º 195
- An obligent? n.º 204.
- Officium*: quomodò ordinandum? n.º 178.
- Fit duplex ratione Reliquiæ insignis, n.º 71.
- Quæ sit insignis? ibid.
- Non fit duplex ratione celebritatis, n.º 458.
- Nihil mutandum in Officio, n.º 221.
- Quid ad officium Sanctorum licitè recitandum? n.º 448, 586, 587.
- Officium S. Nominis*, si concurrat cum Dom. septuag. quid servandum? n.º 666.
- Officium Angelorum*, n.º 182.
- Septem Dolorum an transferendum? n.º 169, 435, 473.
- Officium Martyrum Gorcomiensium et S. Erasmi*: ubi legendum? n.º 466.
- Officium defunct*: quid circa illud? n.º 655, 658 et seq., 663, 664.
- In breviario quomodo ordinandum? n.º 600, 601.
- Officium Defunctorum*: prima Novembris quandò legendum? n.º 12.
- Hâc die fructus Missæ, cui applicandus? n.º 155.
- Quo ritu legendum extra diem obitûs? n.º 422.
- À quibus per annum legi debeat? n.º 81.

- Non cantandum exposito SS. Sacramento, n.º 524.
- Officium parvum B. M. V.*: ubi et à quibus recitandum, n.º 81.
- Officium B. M. V. de Monte Carmelo*: an transferri possit in Dom. seq. ? n.º 595, 558.
- Officium votivum conceptionis B. M. V.*: quæ Antiph. tertia 3 Nocturni in eo ? n.º 413.
- Olea sacra*: ante paschalem solemnitatem per parochias distribuenda, n.º 703 ad IV.
- Oleum infirmorum* ubi asservandum, n.º 703 ad III.
- Oratio*: quæ et quot in Missa Passionis, Paschæ et Pentecostes ? n.º 138.
- In Vigiliis ? n.º 415.
- In Oratione *A cunctis*, quis ordo servandus, n.º 451.
- Orationes quomodo concludendæ ? n.º 416, 709.
- Quomodo concludenda Oratio pro Rege ? n.º 496.
- Quænam nomina ex illis expungenda ? n.º 384, 665.
- Oratio imperata quo ordine ponenda ? n.º 469. An dicenda in officio 1 et 2 classis ? n.º 621, 711. pag. 305. An in Dominicâ Palmarum et vigilia Nativitatis ? n.º 697.
- Oratio 40 horarum*: si incidat in dom. palmarum quid observandum ? n.º 642.
- Si in diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, n.º 680.
- Oratorium publicum*: quæ illius jura ? n.º 95.
- In privatis oratoriis, una tantum missa indulta, n.º 142. 711. Dub. V.
- Circa illa, quæ debeat esse episcopi attentio ? n.º 585.
- Ordinatio*: quid sub illa servandum ab ordinandis, n.º 477. et seq. ab episcopo. Vide *episcopus*.
- Organa*: quando silere debeant ? n.º 441.

## P

- Palla*: quomodo vestienda ? n.º 304, 634.
- Palmatoria*: quibus uti liceat, n.º 691.

*Parascere* : vide *Feria* vj.

*Parochus* : locus illius in processionibus, n.º 49.

Ei infirmo indulgetur pileolus viaticum deferenti  
extra urbem, n.º 106.

Jura illius quoad sepulturam, n.º 107.

Quoad confraternitates, n.º 314 et seq.

Quoad viaticum feria vj. maj. hebd. n.º 464.

Tenetur diebus dominicis et festivis celebrare pro  
ovibus, n.º 581. an festis suppressis? n.º 682.

*Passio* : ubi legenda? n.º 150.

*Passionis instrumenta* : an possint deferri in proces-  
sione solemni? n.º 592.

*Patrocinium B. M. V.* : illius translatio, n.º 432, 676.

Antiphona ad Magnificat in 1. Vesp. et Responso-  
rium VII. n.º 628.

*Patrocinium sancti Joseph* : in occurso et concursu,  
n.º 377, 510, 511, 512, 536.

*Patena* : ubi osculanda? n.º 202.

*Patronus*. Vide *festum patroni*.

*Pax* : quomodo danda? n.º 3.

A diacono non danda laïcis, n.º 567.

*Petri Damiani S.* Festum, n.º 704, 705.

*Philippus et Jacobus SS.* : quoad Lectiones I Nocturni,  
n.º 396.

Quoad Officium, n.º 398.

*Prædicatores FF* : in suis Processionibus limitantur,  
n.º 68.

*Præfatio* : missæ Votivæ infra Octavam et sub Officio  
Votivo SS. Sacramenti et Conceptionis, n.º 198.

SS. Trinitatis quandò dicenda? n.º 488.

In Expectatione Partûs et Almæ Domûs Transl. n.º 500.

Quæ infra Oct. Nativitatis Domini in Missis Festivis  
propriam habentibus? n.º 547.

Quæ in Missa Quat. Temp. in Octava Nativitatis B. M.  
V. n.º 572.

Quæ in missa propriam habente infra Octavam  
Ascensionis? n.º 574.

- Præpositus Ecclesie Cathedralis* : jura illius , etc. in Processionibus , n.º 379 , 380 , 381.
- Preces XL. horarum* : quoad Missas , n.º 476.
- Preces* : dicendæ in Dominicis ubi fit Comm. Duplicis , n.º 516. Vide *Casum* , n.º 188.
- Preces FERIALES* : sine cantu legendæ , n.º 427 , 588 , 662.
- Preces publicæ* : intra missam non faciendæ , n.º 25.
- Privilegia Regularium* : non valent pro officiis Sanctorum , n.º 185.
- Processio SS. Euchar.* : quo die incipiatur ; quo finem habeat ? n.º 615. art. 8. quis ordo in ea servandus ? n.º 4. , 50. quis color ? n.º 655 , dub. 6.
- Quis Ritus in illis ? n.º 222 , 638.
- Respectu Cathedralis , n.º 22.
- Respectu Regularium , n.º 111.
- Non potest à Capellano pro libitu fieri , n.º 30.
- Sub Cruce Parochiali omnes incedere debent , n.º 69.
- Jus Sodalitatis SS. Sacramenti , n.º 124.
- Psalmi graduales et pœnitentiales* ubi , et à quibus recitandi ? n.º 81.
- Purificatio B. M. V.* illius translatio , n.º 192 , 193.
- Purificatorium* : an seorsim benedici debeat ? n.º 621.

## R

- Raphaël sanctus* : quodnam illius officium tempore Paschali ? n.º 402 , 403.
- Reconciliatio ecclesie* : cui competat ? n.º 41.
- Reductio festorum* in territorio Reipublicæ Gallicanæ : Indultum Pii VII. , n.º 682.
- Officia Epiphaniæ , etc. et SS. Patronorum die proprio recitanda , n.º 615 ad 1.
- Nùm propriis occurrentiæ diebus officia publicè celebrari debeant ? 710 ad 2. , 711 , Dub. V.
- Quid circa applicationem sacrificii ? n.º 632.
- Quid circa missas Defunctorum , n.º 711 Dub. V.

- Solemnitas translata ad Dom. seq. quo ritu celebranda n.º 615 ad 3. 710, 711, Dub. V.
- Quando impedita et ulterius transferenda, n.º 683 711, Dub. V.
- Solemnitas Titularium, capellarum; an transferri debeat? n.º 683.
- Reductio et translatio festorum* in regno Siciliae, n.º 629.
- In diocesi Neapolitana, n.º 630, et seq.
- Regulares*: limitantur in suis processionibus, n.º 64, 86, 87.
- Habitus eorum in processionibus, n.º 93.
- Crux eorum cum velo pendente, n.º 568.
- Quoad expositionem SS. Sacramenti, n.º 88.
- Quoad dedicationem ecclesiae cathedralis, n.º 539.
- Quoad festa diocesis, n.º 453.
- Quoad patronum ejusdem, n.º 449.
- Quoad patronum propriae ecclesiae, n.º 195.
- Quoad suffragium patroni ordinis et ecclesiae propriae, n.º 552.
- Quoad officia regni, etc., n.º 195, 197.
- Ad pastorum promoti tenentur uti breviario loci, n.º 589.
- Regularium superiores non veniunt nomine ordinarii, n.º 308.
- Regulares non possunt erigere altare in cellis, n.º 585.
- Reliquiae*: earum clavis respectu magistratus, n.º 20.
- A quo deferendae, n.º 51.; an sub baldachino, 670
- Ab ordinario loci recognoscendae, n.º 692.
- Quae sit reliquia insignis? n.º 71.
- An talis spinæ coronæ Domini? n.º 104.
- An talis tibia? n.º 146. an ossa femoris, 569.
- Quibusnam debetur officium? n.º 223.
- Officium in loco tantum ubi jacent, n.º 92, 208.
- Non exponendae, exposito SS. Sacramento, n.º 439.
- De lampade et cereis coram illis, n.º 306.



- De earum incensatione, n.º 454.  
 Quis color in officio communi reliquiarum? n.º 506.  
 Reliquia SS. Crucis : illius cultus, n.º 418, 419, 420, 470.  
*Responsorium* : Octavum *Domine prævenisti*, quandò ponendum? n.º 229.; item *Hæc est vera fraternitas*, n.º 627.  
*Hodiè si vocem Domini*, etc. tempore Passionis, n.º 199.  
*Rochus S.* : Limitatur illius Officium, n.º 100.  
*Rubicæ* : Dum discrepant, quid agendum? n.º 455.

## S

- Sabbatum Passionis* : in eo velandæ Imagines, n.º 121, 583.  
*Sabbatum Sanctum* : circa Missam, cerei benedictionem, et n.º 242.  
*Sacerdotes* : exteri quoad Missam, n.º 309, 310.  
*Scholastica sancta* : quoad illius Octavam, n.º 411, 412.  
*Sequentia* : Nominis Jesu, à quibus legenda, n.º 407.  
*Sessio* : sub *Gloria* et *Credo*, n.º 53, 175.  
 An liceat acolythis, n.º 538.  
*Simplex* : quid de eo infra Octavam Corporis Christi? n.º 73.  
*Spinæ SS.* Vide *Reliquiæ*.  
*Sponsorum missa* : quid circa eam sancitum? n.º 640.  
*Stipendium* : secundum recipere potest, qui tantum ad celebrandum arctatur, n.º 582.  
*Stola* : ejus usus, n.º 620.  
 A quibus in processione deferenda, 694, 701.  
*Subdiaconus* : quoad genuflexiones sub incensatione, n.º 503.  
 Deficiente Subdiacono an substitui possit constitutus in Minoribus? n.º 264.

- Suffragium B. M. V.* : ponendum etiam in casa Officii parvi, n.º 16, 206, 236, 237.
- Suffragium Salvatoris et Crucis*, quid de eo? n.º 349.
- Symbolum* : cani potest ob populi concursum, n.º 143.
- Non dicitur in Missa Dup. maj., n.º 159.
- Dicitur cum *Gloria* in missis specialibus, n.º 163.
- Omittitur in paramentis violaceis, n.º 561.
- Totum cantandum, n.º 238 et seq.
- Quid de eo in missa patroni regularium? n.º 535.
- In festo sancti Laurentii titularis, ubi legendum? n.º 356.
- Recitandum in missa sancti Joannis Baptistæ patroni, n.º 452.
- Symbolum S. Athanasii* : omittitur infra oct. SS. Trinitatis, ubi est titulus, n.º 294.

## T

- Tabernaculum* : quoad flores ante illud, n.º 307.
- Tertiarii* : quoad officium loci, n.º 6, 235.
- Teresa sancta* : quoad hymnos, n.º 425.
- Quoad lectiones I nocturni, n.º 443. Iatiùs n.º 612.
- Thurificatio* : chori ad diaconum spectat, n.º 44.
- Cum uno thuribulo tantum est facienda, n.º 72.
- Non agenda in missa sine ministris, n.º 123.
- In vesperis quando in minori altari SS. Sacramentum est incensandum? n.º 118.
- Exposito SS. Sacramento crux non incensanda, n.º 426.
- Thurificatio* respectu assistentium episcopo, n.º 9.
- In concursu abbatis collegiatæ et canonici cathedralis ecclesiæ, quis prior incensandus? n.º 18.
- Translatio* : festorum quomodo facienda? n.º 183, 168, 220, 239. Si fiat ratione Patroni, n.º 633.

- Duplex locum habet infra octavas n.º 181.  
 Exceptio pro oct. corporis Christi, n.º 187.  
 In ea nulla distinctio inter apostolum et evangelistam, n.º 162.  
 Translatio festi habentis octavam, quando alteri festo etiam translato præponenda? n.º 684.  
 Translatio non fit ultra annum, n.º 188, 515.  
 Quomodo celebranda officia, quæ ultra annum transferri non possunt? n.º 534.  
 Fieri nequit in 28 Januarii, n.º 385.  
 Nec in 3 Februarii, n.º 193.  
 Nec in 2 Novembris, n.º 527.  
 Translatio Festi Lanceæ, n.º 404.  
 Sancti Joannis Baptistæ, n.º 406.  
*Typographi* : pro impressione Missalis, Breviarii, etc. ad quid tenentur? n.º 224.

## V

- Vesperæ* : diei Octavæ non privilegiatæ dimidianantur cum Dup. concurrente, n.º 157;  
 An in solemnibus hebdom. etc. pluviali indui debeat? n.º 671.  
*Vigilia* : nativitatis Domini, in ea una Oratio in Missa, n.º 499.  
 In adventu quandò legendum in Missa illius Evangelium, n.º 548.  
 Vigilia omnium Sanctorum pro Benedictinis, n.º 390.

## U

- Ursula sancta et Sociæ* : quid de Officio ob earum Reliquias? n.º 474.  
*Usus Romanus* : semel receptus per se mutari non potest, n.º 43.

INDEX ALPHABETICUS.

453

	<i>pag.</i>
<i>Rubricæ generales Breviarii,</i>	312
<i>Rubricæ generales Missalis,</i>	371
<i>Ritus servandus in celebratione Missæ,</i>	392

A. M. D. G.

FINIS.

---

APPROBATIO.

Imprimatur.

Mechliniæ, 13 Septembris 1858.

J. B. PAUWELS, VIC. GEN.